


M. 100. P.
7.
3.





MATTHIAE BELII,
NOTITIA
HUNGARIAE
NOVAE

GEOGRAPHICO HISTORICA.

PARTIS PRIMAE
CIS-DANUBIANAE,
TOMVS TERTIVS.

MATTHIAE BELLI
NOTITIA
HUNGARIAE
NOVAE
GEOGRAPHICO HISTORICA
PARTIS PRIMAE
CLES. DAN. V. DE ANNAE
TOM. I. TERTIUS



ALLADA QVOD MARTI CORVINVS IVNXIT AMICAM,
FIT BELLI ET PACIS LAVDIBVS IPSE, DEVS.

NOTITIA
HUNGARIAE

NOVAE
HISTORICO GEOGRAPHICA,
DIVISA IN PARTES QUATVOR,

QUARVM

PRIMA, HUNGARIAM CIS-DANUBIANAM; ALTERA, TRANS-
DANUBIANAM; TERTIA, CIS-TIBISCANAM; QUARTA, TRANS-TIBISCANAM:

Vniuersim XLVIII. Comitatus Designatam,

EXPROMIT,

*Regionis Situs, Terminos, Montes, Campos, Fluios, Lacus,
Thermas, Celi Solique ingenium, Naturæ munera & prodigia; Incolas va-
riarum Gentium, atque harum mores; Prouinciarum Magistratus; Illustres Familias;
Urbes, Arces, Oppida, & Vicos propemodum omnes; Singulorum præterea, Ortus &
Incrementa, Belli Pacisque Conuerfiones, & præfentem Habitus;*

Fide optima, Adcuratione fumma,

EXPLICAT.

OPVS, HVCVSQVE DESIDERATVM, ET IN COMMUNE VTILE,

SACRATISSIMIS AVSPICIIS
CAROLI VI. CAESARIS,
ET REGIS INDVLGENTISSIMI,

ELABORAVIT


MATTHIAS BEL.

ACCEDVNT

SAMVELIS MIKOVINII

Mappæ, fingulorum Comitatum, Methodo Astronomico-Geometrica concinnatæ.

TOMVS TERTIVS.



VIENNAE AVSTRIAE, Impensis PAVLLI STRAVBII Bibliopola.
Typis IOHANNIS PETRI VAN GHELEN, Typographi Cæsarei.
ANNO MDCCXXXVII.

MAGY AKADEMIA
KÖNYVTÁRA

553.607/3

AUGUSTISSIMO,
INVICTISSIMO,
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI,
CAROLO
SEXTO,
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO,
GERMANIAE, HISPANIAE,
HUNGARIAE, BOHEMIAE,
NEAPOLIS ET SICILIAE,
REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,
PRINCIPI TRANSILVANIAE, &c. &c. &c.
VITAM, ET VICTORIARVM
TENOREM PERPETVVM!

M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA



Te TIBI, AVGVSTIS-
SIME CAESAR ! eueniat perpetuo,
quem-

quemadmodum, in TVAE huius comitatu Hungariæ, semel atque iterum, comprecatus fui; nunc autem, eo deprecor impensius; quo maiore hæctenus benignitate, conceptis rite precibus, fauit numen cæleste: quando, & bellum, quod hinc Germaniam, Italiam illinc, cruentauerat, pace inopina, terminavit; & Augustæ Domus TVAE orbitatem, pro eo *coepit consolari*, ut in spem vocetur haud dubiam, orbis melior, futurum breui, uti, vno cuncti ore succinamus:

*Magnus ab integro seculorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies caelo demittitur alto.*

Natura enim, sic comparatum est, SACRATISSIME IMPERATOR! ut numquam non, aurora nascens, solis orituri sit prænuncia: quod ego isthuc interpretor; adfulsuram expectatissimam lucem illam, quæ, augustali partu, principem iuuentutis

tutis nobis impertiatur, diuinissimos auos æmulaturum:

*Ille Deum vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget, patriis virtutibus, orbem.*

Hos, tam felices expectatosque euentus, ad TVVM istud puluinar, quod tertium subeo, CAESAR & REX Indulgentissime! data, pro vade, HVNGARIA TVA, liberaliter spondebam anno superiore; neque cesso spondere adhuc: non, quod mentis quadam vanitate ducar; quam, cum ab omni actione honesta; tum in primis, a pietatis officiis, procul arcendam, semper existimaui; sed, quod, certa mihi ratio est, in Diuina bonitate, quæ genti TVAE, & tunc maxime placabilis fuit ac propitia, cum, de perpetuitate eius, metuebant TVI, ad dubitabant focii, hostes conclamabant. Id vero, memoria recolenti, ecquid potest, esse procliuius?

uius? quam, & præfagire auspica-
to, & sperare confidenter; haud
desitutum, regnorum arbitrum
DEVM, prouectas, sua prouiden-
tia, in immensum, conseruatasque
hactenus opes AVSTRIACAS, susten-
tare, propagare, magnificare. Cer-
te enim, dum orbis durabit,

*Hæc Domus AENEAE, cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.*

Fruemur interea, AVGVSTISSIME
IMPERATOR! TVO superstitis im-
perio, miti illo, benigno, ac felici:
& quia, obstrictam, fidissimi obse-
quii sacramento, conscientiam ge-
rimus erga TE,

*Quo nihil maius meliusque terris,
Fata donauere, bonique Diui;
Nec dabunt; quamuis, redeant in aurum,
Tempora prisca.*

DEVM, TVI causa, supplices & si-
ne cessatione, venerabimur, uti, re-
bus tranquillis, PIVM, FELICEM, Pa-
CIFICVM, & suis vndiquaque gau-
dentem bonis; sin belli labores, in-
gruant,

gruant, sicuti iam, scelere barbaro-
rum ingruerunt omnino, VICTO-
REM, TRIUMPHATOREM, SEMPER
AVGVSTVM, TE nobis præstet,
conseruetque.

Quæ, cum ita ibunt; itura au-
tem, nemo non probus confidit:

*Quis Parthum paueat, & gelidum Scythæ?
INCOLVM CAESARE!*

Bonis nominibus, hæc ominan-
tem, CAESARVM OPTIME! si, quod
cumulate fecisti hactenus, pius, bo-
nusque accipies; parata fore confi-
do, huic TVAE Hungariæ; cuius
regiam vere partem, cernuus TIBI
consecro iterum; augusta illa præsi-
dia, fauorem nimirum, & munifi-
cam prouidentiam; uti SACRATISSI-
MIS AVSPICIIS TVIS, huc deductum
opus, consummetur tandem, trans-
mittaturque, cum æternis TVA-
RVM laudum præconiis, ad gra-
tam, & amantem litterarum, po-
steritatem.

))(2

Quod

Quod est, piissimi, erga TE, & Augustam Domum TVAM, IMPERATOR CLEMENTISSIME! studii reliquum, perpetuis id supplicationibus absoluetur; vt longa, post nos; quorum securitas vitæque, ex TVA vnus incolumitate pendet; temporum intercapedine superstes, atque annis, & rerum præclare gestarum gloria, vltra communem modum, grauis, non ante ad superos emigres, quam, vbi confociatis gentium Europæ voluntatibus, & ROMANO IMPERIO, & regnis TVIS omnibus, gubernatorem reliqueris, TVI simillimum! FELICITER! Ita, conceptissimis precationibus, opto uo-ueoque,

SACRATISSIMAE CAESARAE,
ET REGIAE,
MAIESTATIS TVAE,

deuotissimus, subiectissimus,

MATTHIAS BEL.

PRAEFATIO.



Eduximus, quæ DEI, & CAESARIS gratia est, adfectum de HUNGARIA opus, vsque eo, amice Lector! vt iam volumen eius tertium, in manus tibi tradere queamus; idque, non mole tantum, sed rerum etiam varietate, &, si quid de nobis audemus polliceri, prioribus, toto eo adparatu, suppar, qui se æquis conatum nostrorum existimatoribus, penitus adprobauit. Atque, ita omnino poscebat, cum argumenti, quod pergimus expromere, dignitas; tum grauis illa obligatio, qua nos, palam, orbi litterato deuinximus; constiturum sibi opus, omni ex parte, neque commissum iri facile, vti desciscat a tenore suo. quod, quemadmodum a nobis præstitum sit, ii iudicabunt optime, qui, procul odio gratiae, aperte dicunt, quod ex vero sentiunt. Sed, hæc illi viderint; nos, quid iam exhibeamus lectoribus, quaque elaboratum fide, iuuat docuisse.

II. HUNGARIAE, nimirum, pars est prorsus augustalis: quippe quam, Reges olim coluere sede perpetua, fecereque, coadunatis *Comitatibus*, ad omne genus auocamentorum, quæ viros principes decent, idoneam. Et initio quidem, duo *Comitatus* fuere: *PEST* & *PILIS*; vltiore hic, ille citiore *Danubii ripa*, diffusus; ne quid deesset ad dignam regibus opportunitatem. Cum enim, *PESTIENSIS* regio, plana sit fere tota, &, si occidentalem eius oram, & qua se in aquilonem sinuat, excipias, in campestre, nudumque siluis æquor, late porrigatur; *PILISIENSIS* contra, collibus hic vitiferis tumescit, illic montibus asperatur & saltuosus recessibus, habetque ad oblectandum, commoditatem sane eximiam. Hos, diuersi ingenii, positus, *DANUBIUS*, annuum pater, interluit, geminamque insulam, *Ros* (a.) alteram, alteram *CSEPELIAM*, vt minores silicamus, molitus, & ad *Solthensem*, coadunatam dudum *Pestiensi*, atque *Pilisiensi*,

)(3

(a.) Ita in Decreto anni MDXIV. Art. III. adpellatur: alii *Ros* malunt legere; quod silendum haud erat: tamen, prona sit,

vocabuli *Rvs*, *Ros*, a *Rvssis*, quorum coloniam, huc deduxerat *Colomannus* deriuatio.

P R A E F A T I O.

siensi, prouinciam delapsus, in diuerticula passim effunditur. quæ, quod densa arundine siluescunt, immensam aquaticarum auium multitudinem, & genera varia, educant. Ergo, quidquid alibi, magno artis impendio, paratum habent Reges; natura id sufficiebat, felici hac regione: venatus puta, piscationes, & aucupia: vt secessus principum alios, mirifico instructos adparatu, hortos, viuaria, ac piscinas, arte positas, & tristia hinc atque illinc monstrantes rudera, taceamus.

III. Tantarum opportunitatum situs, ad eum modum designauimus, qui, & rebus ipsis congruus sit, & prisca, recentisque habitus, speciem referat. In primis elaborauimus cum cura, ne quid temere nobis subduceretur, quod, ad *BVDAE* historiam, quomocumque adtinere credebamus. Quocirca, vestigauimus genuinos vrbis natales; expromsimus incrementa; fatorum autem vicissitudines, adcuracione *descripsimus*, quæ a nobis proficisci potuit, maxima: vt confidamus, neminem fore, qui, prolixam hanc diligentiam reprobet; nisi forte, incitiam suam, & in cognoscendis patriæ rebus, turpe fastidium, velit accusare. Meruit hoc enim, tot retro seculis, nunc domesticis, nunc illapsis aliunde, malis, dirum in modum exercita diuexataque; sed recreata iterum iterumque, ac nouis locupletata accessionibus, *HUNGARIA*; vt, nullum vsquam vestigium, læto tristitue nobilitatum euentu, silentio prætereatur. Quod, si de tota *vniversim* patria, *sentiendum* est; *BVDAM* profecto, in eo censu haberi oportuit, vltra *Troia*, propemodum, & *Carthaginis* fortunam, memorabilem.

IV. Neque tamen, vni huic regiæ ita nos impendimus, quin *PESTVM* quoque, *VISSEGRADVM*, ^(b.) *VACZIAM* atque *COLOCSAM*, pro eo, ac res poscebat, illustraremus. Dabat se hic occasio, expendendorum, belli, ac pacis, temporum; quæ non excussisse, iniurium fore in lectores, putabamus: quippe, aduetos iam, vt in vrbium arciumque descriptione, omne id, vno quasi obtutu re-

b.) Adde iam, quod in *VISSEGRADI* historia, obseruatum a nobis haud est; primam eius mentionem, in diplomate *S. STEPHANI* reperiri, quo is, anno *MIX*, Ecclesie *S. M-*

CHARIS *Vesprimiensis*, & huius *Episcopis*, docem liberaliter attribuit: ad quam, *CYTATEM* quoque, *VISSEGRADVM* referri, legas, in iisdem tabulis.

P R A E F A T I O.

præsentatum, positumque ob oculos, reperiant, quod est in historia cuiusque loci, seu paruum, seu magnum. Idem hic adcuracionis tenor, laborem nobis consciuit, operosum eum quidem; sed futurum tamen vtilem, ad res ecclesie Hungaricæ, penitus cognoscendas; si, in hac, qua sumus, monumentorum inopia, confici ex animi sententia (c.) potuisset: historia nimirum est, *Archiepiscoporum Colocsensium*, *Episcoporum*, item, *Vaczienfium*. Nihil de his, præter macros catalogos, neque eos sibi constantes, relatum in litteras legas. quod nobis incitamento fuit, vt, hanc quoque historiae partem, locupletiore redderemus non tantum; sed diplomatum etiam fide, & quantum eius fieri potuit, scriptorum testimoniis, exaggeratiorem. Ac, vindicauimus sane, ab obliuione, plurium *Antistitum* nomina; memorauimus actus; &, quod heic atque alibi, offendimus dignum relatu, intulimus in commentaria *nostra*; ducti *spe certa*, haud *superuacuos* habitum iri, hos quoque conatus, ab iis, quibus cordi sunt antiquitates Hungariæ.

V. Quod ad regionem ipsam, & huius, seu comoda, seu incommoda, atque conuersiones, adtinere; morem, in edisserendis singulis, nostrum tenuimus; eum videlicet, vt neque nimii essemus, neque ieiuni & exiles: veri autem, ita tenaces, vt maluerimus, collectas improbo labore, elucubratasque cum fide notitias, semel iterumque, *sub incudem*, a prouinciæ magistratibus vocari, quam locum facere, qualicumque aberrationi. Est autem heic, quod *Serenissimo Principi*, *FRANCISCO STEPHANO*, *Lotharingiæ & Barri*, iam, quod auspicato dictum sit, & *Magno Hetruriae Duci*, atque Regio, per Hungariam, *Locumtenenti*, præcipue, & cum obsequentiissimæ voluntatis significatione, tribuam. Moderatur *Is*, Comitibus *Pest*, *Pilis* & *Solth*, *Supremi Comitibus* titulo, benigne non minus, quam ex patriarum legum præscripto.

Proin-

c.) Monendus Lector est; præterisse nos, in *Archiepiscopis Colocsensibus*, *BERTHOLOM*, de quo, insigniter, facillaris aliquo studio nostris scriptor, *SAM. TIMON S. I.* meminuit, *Synopses Nonæ Chronol. Parte 3. p. 72.* ad annum *MCCXIV.* quem, po-

steaquam, ad *Patriarchatum Aquileiensem*, translatus esset, vltra annum *MCCXLIX.* vixisse scribit. Inserendus ergo fuerit, eadē catalogo *Archiepiscoporum*, p. 546. post numerum *X.*

P R A E F A T I O.

Proinde, curatum voluit a suis, uti, commentationes has meas, quam sollicitissime excuterent locupletarentque. Et obsecundauere sane iteratis iussis, prouinciales, ad eum modum, ut habeam, cur his praecipue, gratum animum, publice nunc adfirmem, qui posito supercilio, descriptos locorum situs, & cognouerunt diligenter, & sicubi nos aberrasse deprehenderunt, reuocarunt singula, ad eum, qui est, regionis habitum; idque sine bile, & obrectatione. Eadem aequitate, *Budenses*, *Pestenses*que magistratus, vfos fuisse, in examinando labore nostro, fas est, ut palam profiteamur, & cum laudibus, quas cumulatissimas meruere.

VI. Fuerunt, qui excusos iam, *Tomos*, indicibus, cum hoc tertio, cupiebant instructos; rati, expeditiorem vasti adeo operis, fructuosiorumque vsum futurum, si, quod quisque nosse cupit, sine molesta indagatione, isthic repererit. quod tametsi ita est; eam tamen operam, *Tomo* quarto, seruandam putauimus: quando, cum eo, pars operis prima, *Cis-Danubiana*, consummanda erit prorsus: id quod, *Lectorum* causa, quibus, haec nostra, manibus versare volupe est, monendum existimauimus; daturi interim operam, ut *Indices* concinnentur, non locupletes minus, quam adcurati. Ceterum, ut luculentior sit, *CORVINIANAE* Bibliothecae historia, *NALDI NALDI*, scriptam, in eius, & *MATTHIAE* conditoris, laudem, epistolam, & carminum libros *IV.* ad calcem voluminis, mantissae loco, adiecisse placuit. Tu interim, *LECTOR* amice! dispendiosam eam cunctationem, quam operarum tarditas, *tomo* huic tertio, nulla nostra culpa, iniecit, aequi bonique consule, his, quae iam prodeunt, frui, & consummandi operis rationes, *DEO*, ad cuius honorem, & decus patriae, omnia haec supplices gratique referimus, fideliter commenda. Vale! *PISONII*, A. *MDCCLXXXVII.* Calendis Augusti.

SAMVELIS MIKOVINII
NOB. HUNGARI,

Sacr. Caesar. ac Reg. Cath. Maiestatis, ad Mineras Regni
Hungariae, Aulico Cameralis Geometrae & Architecti,
Societatisque Scient. Reg. Borufs. Membri.

DE MAPPIS SVIS
NOTITIAE HVNGARIAE BELIANAE,

Partim insertis iam, partim inserendis postea,

MONITVM II.

MAppas, Spectatissime Lector! nitidissimi huius operis, *Tomis* tribus insertas iam, & methodo *Astronomico-Geometrica*, concinnatas, nullus dubito, quin ex singularum titulis cognoscas. Cum autem seculum viuamus, quo res exiles, praegrandibus insignire titulis, adeo in consuetudinem abiit, ut ex magno nomine, de vilitate rei, certo liceat existimare; splendida enim hedera, corruptae egent merces: quae, qui se permittunt alluci, pro ure lupinas, scorias pro auro, incauti mercantur. Si cui, nobis sane, similis cuiuspiam gloriolae usurpatione, ac forsan tutius, quam aliis, uti licuisset; quando a seueriori alienigenarum non minus, quam ciuium nostrorum censura, labor improbus, accuratio attenda, atque obseruationum, quas adhibemus, fidelitas, securos reddere videbatur.

Ad auerruncandam tamen omnem, quae subnasci posset, vanitatis suspicionem, & ad fidei publico datae liberationem, sanctaeque legum, in monito *Tomi* primi, nobismet ipsis latorum, obseruationis contestationem, hic vnum alterumque, laboris nostri specimen, inserere libuit: rati, operam, ea re, aequis prudentibusque iudicibus, nec inutilem, nec inacceptam nos praestituros.

Et operationum quidem, *Geometrico-Trigonometricarum*, quarum integra iam congeimus, & cumulatam adhuc, volumina, exempla hic infinita producere possemus: at, cum eas expendere, iudicare ac censere, nemini, nisi qui fors stationes nostras, per ardua montium cacumina, repetere ac reuidere vellet, liceat; paginas iis onerare, superuacuum ducimus, tametsi, superis vires, vitamque concedentibus, exantlato, totius regni dimentendi labore, aduersaria nostra, in decentem ordinem redacta, & instruendis instructa, si id a nobis desideratum fuerit, speciali volumine, publici iuris facere, haud detrectauerimus.

Nunc vero, operae pretium nos facturos putamus, si *Obseruationum Astronomicarum*, determinandis locorum *Latitudinibus*, & *Longitudinibus* seruientium, quarum haud tenuem apparatus congeimus, & congerimus, praecipua specimina, nonnullorum votis satisfacturi, subicerimus.

Praecipuarum igitur Urbium, in *Mappis*, praestantissimi huius operis, primis tribus *Tomis* positarum, *Latitudines* ac *Longitudines*, ex obseruationibus, ita deduximus.

POSONII
PRO LATITVDINE.

ANNO 1733. die 13. Maii. Loc. ☉. 8.	22.	35.	0.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	60.	35.	15.
Refr. - Parall.	-	-	30.
Altit. ☉. correcta	60.	34.	45.
Semidiam. ☉.	-	15.	55.
Altit. centri ☉. vera	60.	18.	50.
Decl. ☉. boreal	18.	26.	50.
<i>Elevatio Aequatoris</i>	41.	52.	0.
<i>Elevatio Poli</i>	48.	8.	0.
ANNO 1733. die 23. Sept. Loc. ☉. 2.	0.	20.	6.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	42.	0.	50.
Refr. - Parall.	-	-	57.
Altit. ☉. correcta	41.	59.	53.
Semidiam. ☉.	-	16.	3.
Altit. centri ☉. vera	41.	41.	50.
Decl. ☉. austral. †	-	8.	10.
<i>Elevatio Aequatoris</i>	42.	52.	0.
<i>Elevatio Poli</i>	48.	8.	0.
ANNO 1734. die 27. Nov. Loc. ☉. 1.	5.	3.	12.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	21.	0.	0.
Refr. - Parall.	-	2.	20.
Altit. ☉. correcta	20.	57.	40.
Semidiam. ☉.	-	16.	20.
Altit. centri ☉. vera	20.	41.	20.
Decl. ☉. austral. †	21.	10.	30.
<i>Elevatio Aequatoris</i>	41.	51.	50.
<i>Elevatio Poli</i>	48.	8.	10.
ANNO 1734. die 12. Ianuar. Stellæ Polaris			
Hora 5. 10. 0. Altitudo maxima obs.	50.	17.	0.
Refractio.	-	-	50.
<i>Altitudo maxima, vera</i>	50.	16.	10.
Hora 17. 10. 0. Altit. minima observ.	46.	1.	0.
Refractio	-	-	58.
<i>Altitudo minima vera</i>	46.	0.	2.
<i>Altitudinum semidifferentia</i>	2.	8.	4.
<i>Elevatio Poli</i>	48.	8.	6.

PRO

PRO LONGITVDINE.
ANNO. 1735. die 1. Octob. observata est
ECLIPSIS LVNAE,
Tabo ped. 14. Tempor. ex altitudinibus Fixarum correctis.

Temp. ver. Astron.	Immersiones.	Emersiones.
H. 13. 10. 0.	Penumbra sentiebatur.	H. 14. 37. 40. Grimaldus emergit.
22. 30.	Schikardus obumbratur.	51. 30. Landsbergius.
33. 30.	Sinus Epidemiarum.	59. 10. Morinus.
33. 40.	Tycho incipit.	H. 15. 6. 0. Bullialdus.
35. 30.	- - - medius.	15. 30. Munefius.
36. 20.	- - - totus.	20. 20. Cyprus.
46. 30.	Morinus & Munefius.	23. 10. Pitatus.
46. 30.	Bullialdus.	28. 0. Tycho incipit.
49. 30.	L. Cyprus & Profatius.	29. 15. - - - medius.
50. 30.	Grimaldus incipit.	30. 40. - - - totus.
56. 40.	- - - medius.	42. 40. Langrenus.
H. 14. 5. 30.	- - - totus.	57. 30. Vmbra Lunam deserit.
16. 0.	Landsbergius totus.	
	Vmbra hæret.	

SHEMNITZII
PRO LATITVDINE.

ANNO. 1732. die 7. Iunii Loc. ☉. II.	16.	46.	20.
Altit. Limb. ☉. inf. mer. obs.	64.	5.	30.
Refr. - Parall.	-	-	24.
Altit. ☉. correcta.	64.	5.	6.
Semidiam. ☉. †	-	-	15. 52.
Altit. centri ☉. vera	64.	20.	58.
Decl. ☉. boreal.	22.	49.	4.
<i>Elevatio Aequatoris.</i>	41.	31.	54.
<i>Elevatio Poli.</i>	48.	28.	6.
ANNO 1732. die 11. Iunii Loc. ☉. II.	20.	35.	45.
Altit. Merid. Limb. ☉. inf. obs.	64.	25.	0.
Refr. - Parall.	-	-	24.
Altit. ☉. correcta.	64.	24.	36.
Semidiam. ☉. †	-	-	15. 51.
Altit. centri ☉. vera	64.	40.	27.
Decl. ☉. boreal.	23.	8.	30.
<i>Elevatio Aequatori.</i>	41.	31.	57.
<i>Elevatio Poli.</i>	48.	28.	3.

(((2

ANNO

ANNO 1736. die 23. Decemb. Loc. ☉. ♌.	°	'	"
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	18.	23.	30.
Refr. - Parall.	-	2.	45.
Altit. ☉. correcta	18.	20.	45.
Semidiam. ☉.	-	16.	23.
Altit. centri ☉. vera	18.	4.	22.
Decl. ☉. austral. +.	23.	27.	35.
Elevatio Aequatoris	41.	31.	57.
Elevatio Poli.	48.	28.	3.

ANNO 1737. die 2. Januar. Loc. ☉. ♌.	°	'	"
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	18.	56.	30.
Refr. - Parall.	-	2.	40.
Altit. ☉. correcta	18.	53.	50.
Semidiam. ☉.	-	16.	23.
Altit. centri ☉. vera	18.	37.	27.
Decl. ☉. austral. +.	22.	54.	30.
Elevatio Aequatoris	41.	31.	57.
Elevatio Poli.	48.	28.	3.

PRO LONGITVDINE.
 ANNO 1736. die 26. Martii obseruata est
ECLIPSIS LVNAE

Totalis, cum mora H. 1. min. 37. Tubo pedum 14. Temporibus ex altitudinibus Fixarum determinatis.

Temp. ver. Altitud.	Immerfiones.	Immerfiones.
H. II. 22. 30.	Penumbra sentiebatur.	H. II. 47. 10. Bullialdus.
28. 30.	Vmbra obseruata.	49. 0. Archimedes incipit.
30. 30.	Grimaldus incipit.	49. 50. - - - medius.
31. 0.	- - - medius.	50. 30. - - - totus.
31. 40.	- - - totus.	54. 0. Plato incipit.
31. 50.	Gallilæus.	54. 30. - - - medius.
36. 0.	Aristarchus incipit.	55. 0. - - - totus.
37. 0.	- - - totus.	55. 50. Tycho incipit.
40. 10.	Gassendus incipit.	56. 20. - - - medius.
41. 0.	- - - totus.	57. 0. - - - totus.
42. 50.	Rheinholdus.	59. 10. Manilius incipit.
43. 30.	Morinus.	H. 12. 0. 0. - - - medius.
44. 30.	Copernicus incipit.	0. 30. - - - totus.
45. 30.	- - - medius.	2. 10. Iulius Cæsar.
46. 30.	- - - totus.	2. 10. Menclaus incipit.
45. 30.	Pythæas.	3. 0. - - - medius.

H. 12.

	Immerfiones.	Emerfiones.
H. 12. 4. 0.	- - - totus.	H. 14. 19. 50. - - - totus.
11. 30.	Posidonius totus.	22. 40. Plato incipit.
15. 10.	Goelenius incipit.	23. 40. - - - medius.
15. 50.	- - - medius.	24. 40. - - - totus.
16. 30.	- - - totus.	23. 20. Bullialdus incipit.
19. 0.	Langrenus.	24. 40. - - - totus.
17. 0.	Mare Caspium incipit.	28. 30. Tycho incipit.
19. 0.	- - - - medium.	29. 30. - - - medius.
21. 10.	- - - - totum.	30. 10. - - - totus.
26. 30.	Totalis immerfio.	33. 0. Purbachius.
	Emerfiones.	35. 30. Manilius incipit.
H. 14. 3. 30.	Limbus Lunæ emergit.	36. 10. - - - totus.
7. 0.	Grimaldus incipit.	38. 10. Menclaus.
7. 30.	- - - medius.	40. 50. Posidonius incipit.
8. 0.	- - - totus.	41. 40. - - - medius.
9. 30.	Gallilæus.	42. 40. - - - totus.
10. 50.	Aristarchus incipit.	42. 40. Plinius.
11. 20.	- - - medius.	51. 0. Mare Caspium incipit.
11. 50.	- - - totus.	54. 0. - - - - medium.
14. 40.	Keplerus incipit.	57. 0. - - - - totum.
15. 10.	- - - medius.	53. 0. Goelenius.
15. 50.	- - - totus.	59. 0. Langrenus.
19. 10.	Gassendus incipit.	H. 15. 3. 10. Vmbra Lunam deserit.

B V D A E E T P E S T I
 PRO LATITVDINE.

ANNO 1736. die 19. Septemb. Loc. ☉. ♍.	°	'	"
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	44.	6.	30.
Refr. - Parall.	-	-	54.
Altit. ☉. correcta	44.	5.	36.
Semidiam. ☉.	-	16.	3.
Altit. centri ☉. vera	43.	49.	33.
Decl. ☉. boreal.	1.	19.	0.
Elevatio Aequatoris	42.	30.	33.
Elevatio Poli.	47.	29.	27.

XXX 3

ANNO

ANNO 1736. die 20. Septemb. Loc. ☉. m.	27.	39.	28.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	43.	43.	30.
Refr. - Parall.	-	-	55.
Altit. ☉. correcta	43.	42.	35.
Semidiam. ☉.	-	16.	3.
Altit. centri ☉. vera	43.	26.	32.
Decl. ☉. boreal.	0.	55.	50.
Elevatio Aequatoris	42.	30.	42.
Elevatio Poli.	47.	29.	18.

ANNO 1736. die 21. Septemb. Loc. ☉. m.	28.	38.	17.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	43.	19.	50.
Refr. - Parall.	-	-	55.
Altit. ☉. correcta	43.	18.	55.
Semidiam. ☉.	-	16.	3.
Altit. centri ☉. vera	43.	2.	52.
Decl. ☉. boreal.	-	32.	28.
Elevatio Aequatoris.	42.	30.	24.
Elevatio Poli.	47.	29.	36.

ANNO 1736. die Septemb. 24. Loc. ☉. m.	1.	35.	0.
Altit. Merid. Limb. ☉. sup. obs.	42.	9.	30.
Refr. - Parall.	-	-	57.
Altit. ☉. correcta	42.	8.	33.
Semidiam. ☉.	-	16.	4.
Altit. centri ☉. vera	41.	52.	29.
Decl. ☉. austral. ♄	0.	38.	0.
Elevatio Aequatoris.	42.	30.	29.
Elevatio Poli.	47.	29.	31.

PRO LONGITVDINE.

ANNO 1736. die 19. Septemb. observata est
ECLIPSIS LVNAE

Totalis, ac prope centralis, cum mora Hor. 1. 47. 20. Tubo pedum 14.
Temporibus ex altitudinibus Fixarum correctis.

Temp. ver. Astron.			
H. 14	5.	0.	Limbus Lunæ pallefcit.
	9.	0.	Penumbra fentitur.
	15.	0.	Luna umbram ingreditur.
	17.	12.	Grimaldus mergitur.
	18.	15.	- - - totus.
	H. 14	19.	50.
		20.	40.
		25.	25.
		26.	45.
		27.	40.

H. 14.

H. 14	28.	15.	Aristarchus incipit.
	29.	20.	- - - totus.
	34.	50.	Bullialdus incipit.
	35.	40.	- - - totus.
	36.	30.	Copernicus incipit.
	37.	30.	- - - medius.
	38.	30.	- - - totus
	39.	20.	Heraclides.
	42.	30.	Tycho incipit.
	43.	28.	- - - medius.
	44.	25.	- - - totus.
	44.	25.	Helicon.
	51.	12.	Plato incipit.
	51.	50.	- - - medius.
	52.	30.	- - - totus.
	54.	15.	Manilius.
	54.	15.	Mare serenitatis incipit.
	58.	10.	Menelaus incipit.
	58.	50.	- - - totus.
H. 15	0.	35.	Dionisius incipit.
	1.	30.	- - - totus.
	1.	30.	Plinius incipit.
	2.	0.	- - - totus.
	2.	50.	Mare nectaris incipit.
	3.	50.	Fracastorius incipit.
	4.	30.	- - - totus.
	6.	50.	Mare nectaris totum.

Ita Sole iamiam orituro, crassæ subito elevatæ nebulae, finem observationi nostræ imposuerunt.

Cum Vrbes, BVDA, & PEST, montes ab occidente obiectos habeant, patentioris prospectus gratia, observationem in aede hortensi Illustr. Dn. L. B. Szeletzky, loco 1000. haexapedis, Urbibus orientiori, instituimus.

Observationibus hisce, cum Illustr. Dn. Marinoni, Cons. & Academ. Mathem. Caesar. Direct., Vti & R. Patrum Soc. Jesv Colleg. Academ. Viennensis, industria collatis, deprehendimus,

DIFFERENTIAS MERIDIANORVM.

Viennensis &	{	Pofoniensis	0.	50.	30.
		Schemnitziensis	2.	37.	30.
		Budensis	2.	52.	30.
Adeoqve Pofoniensis &	{	Schemnitziensis	1.	47.	0.
		Budensis	2.	2.	0.

Habes

Habes igitur Lector Optime! præcipuarum Urbium, quarum una in medio Regni, in partibus occidentalibus altera, & in septentrionalibus tertia, sita est, *Latitudines*, & *Longitudines*; quas, vel earum obseruationes, si cum Tuis comparaueris, situm singularum ad Tua loca relatum, facile inuenies.

Nobis sane, tres solummodo hæ *Obseruationes*, pro totius regni situ definiendo, sufficere possent; memoratas enim Vrbes pro principalioribus stationibus adsumpsimus, easque dimensione laterum & angulorum, pure *Geometrica*, adhibita, exacto *Triangulo* inclusimus. Quo, cum obseruationibus *Astronomicis* comparato, vix vllam notabilem, & in tanto opere curandam differentiam, experti sumus.

Hac tamen methodo inquirimus etiam in loca alia, in quacunque regni parte posita. Quorum *Latitudines* celo sereno, quotidie; *Longitudines* vero, quoties caeli *Phænomena* ad id deseruientia occurrunt, obseruamus. Quæ licet quidem rariora sint, nec semper ob tempestatum incomoda, obseruari possunt; sufficit tamen locorum præcipuorum longitudes determinasse. Ab his mutuo primum *Geometrico* coniunctis; tanquam a centrīs, extendunt se operationes nostræ, *Triangulis* infinitis, maioribus & minoribus, nexu perpetuo colligatæ; ita, vt dato vnus alteriusue loci situ *Astronomico-Geographico*, de reliquorum *Triangulis* nostris conclusorum, nullum superfit dubium.

His itaque paucis, Lectoribus eruditis, de methodo operandi nostra *Astronomico-Geometrica*, rationem reddere, atque *Mappas* nostras, omnes, *Geometricè* dimensas; in iisque notatos *Longitudinum*, & *Latitudinum* gradus *Astronomicè* determinatos esse, magis rebus, quam verbis adseuerare voluimus: daturi in posterum, auxiliante Numine, plura. *Schemnitzii*, Libera Regia ac Montana vrbe, die 30. Ian. 1737.



COMI-

AD OPUS INCLUTUM
DE HUNGARIA,
AUSPICIIS
AUGUSTISSIMI IMPERATORIS
CAROLI VI.
SUSCEPTUM.

Aἔτι Πανονίης Ἐλικῶν ὑποκάριον ἔλκος
Κλαύσε, δέμας κρήνης δάκρυα θερμὰ χέων
Οἴμοι, ἔφη· πῆ κάλλο ἐμὸν; πῆ κίφιοι ἄνδρες
Μισοπόλοι; σκοτὴ πᾶντα σκέπει συγερή.

Ὅπποτε ΚΟΡΒΙΝΟΣ μεγαλήτορ ἄρεος ἔρνος
Κάτθανε γνήσιον καὶ λίπεν ἥελιον.

Ὅπποτε κ' α) ἈΥΣΟΝΙΟΝ, β) ΣΤΕΦΑΝΙΔΗΝ, γ) ΣΑΜΒΥΚΙΟΝ τε
Μοῖρ' ὅλοη κύματι κρύψε παλιόροθλον

Δίψα μὲν Ἴσορῆ κοιμήτατο χάλκεον ὕπνον,
Μνήμην δ' ἠρώων ἀμφεκάλυψε κόπης.

Κεῖται ἰδιοσύνῃ πατριίδος, θειόν τε νοῆσαι
Πύργων καὶ πόλεων ἠλιβάτες τεφάνας

Κεῖται καὶ φυσικῆ πανάλολος, ἢ μυρίοισι
Κάρποις Παννονίων ἐσεφάνωσε πέδον

Ὡς Φάτο, καὶ μέγα πένθος ἔχων ἔλικῶν τονάχεσκεν
Φωνὴ δ' ἔρανόθεν θεσπεσίη φέρεται.

Ῥίπτε γόος Ἐλικῶν. ἀνατέλλει ΚΑΙΣΑΡΟΣ αὐγὴ
Ἐνθεος, ἐλκμένη ἔκλυσε κίβλα σέλας.

Κοίρανος Ἀυστριαδὸς πετάσας ἱερὸν τὸ μέλαθρον
Μισσέων, Ἴσορῆν ἐσ Φάος αὖθις ἄγει,

α) Bonfinium. β) Ikuantium. γ) Sambucium.

ΒΗΛΙΑΔΗΝ τε κέλευσε, κλυτὸν βλάστημα πατρίδος
 Βιβλί' ἀναπύσσειν περὶ λυέλινα σοφῶν.
 Ὅφρα γε Πάνονες ἰφθίμοι ζείδωρον ἄεθραν
 Γνώσι, καὶ προγόνων κῦδος ἀπειρέσιον,
 Δόσκει δ' ἀργύρευ ΒΗΛΙΑΔΗΣ δαίδαλμα πόνοιο
 Ἐίλικα ὀγγυγίω πλεθρόμενον χαρίτων.
 Χαίρει ἀνασσα λαῶν ὅττι γε λέλογχας ἀνάκτορος
 Διοτρεφῆς, Μισσέων δὴ πατέρας πρέφρονος
 Σοὶ μὲν εὐζῶρα λείβει Βρομόιο ἔεργη
 Πᾶν τε γένος σίτη εὐκαλάμευ Φύεται.
 Σοὶ Ἴστρος βατιχέυμων, ἔχθυβάτος τε Πάτισσος
 Καὶ λιμεῶν προχοῆ νηδυμον ὄψον ἄγει.
 Ὅυρατα καρπαθίης βλαστήματα πᾶμφυλα φέρει,
 Ταῖς ἄρα καὶ πέλεται Φαρμακόεσσα Φύτις.
 Ἐνθάδε καὶ χαλιῆ καὶ ἀργύρευ ἱμερόεντος
 Μαρμαίρεσι Φλέβες καὶ χρυσὸς ἀυτόφυτος.
 Ἄλλὰ κίεαρ μείζον Θεὸς ὅπασε, Παμβασιλῆα.
 ΚΑΡΟΛΟΝ, ἀνδρείας καὶ σοφίης πρόμαχον.
 Θύματα καὶ εὐχὰς καθαρὰς μέμνησο κομίσσαι
 Ἄθανάτοισ' ἔσαι ΚΑΙΣΑΡΑ σῶζε Θεὸς
 Μηκύνε γενέθλην ἔσαναι ἔμπεδα ρίζαν
 Δῶς ἱερῆν. πλάθύνε τέρατα κοιρανίης.
 Μῆσαι τρισμάκαρες, τοίω ὑπὸ ΚΑΙΣΑΡΙ ὕμων
 Σμήνεα ταξάμεναι, ἀνθεα δρεψάμεναι.
 Ἦν Ἐλικώνια ΚΑΙΣΑΡ ἀέξει δώματα, δώσει
 Βηλὸς Παννονίης ΒΗΛΙΑΔΑΣ πλέονας.

Amico v. l. c. f.

J. Z. PANNON.



COMITATVVM
 PEST, PILIS, ET SOLTH,
 PARS PRIOR
 GENERALIS.
 PROOEMIUM.



Entum est, ad eam Hungariae partem, quæ olim, sedem Regibus, & nullum non auocamentorum genus, affatim sufficiebat. Comitatus sunt nimirum, PEST, PILIS & SOLTH, varie quidem positi; sed lege patria, ita coadunati pridem, vt, & iisdem regantur magistratibus, & si res ferat, ad eadem coeant comitiola, seu *Congregationes*. Aequum proinde est, ac prorsus, cum instituto nostro consentaneum, vt regionem, prisco decore illustrem, postea, barbarorum illapsu foedatam, iamque, CAESARIS optimi, REGIS indulgentissimi,

TOM. III.

A

tissimi,

tissimi, CAROLI VI. prouidentia ac bonitate, ad pristinae felicitatis modum, reparatam denuo, adtenta cura & studio, designemus.

MEMBRVM PRIVS P H Y S I C V M.

D R

Situ, Natura, atque Opportunitatibus horum Comitatum.

S Y N O P S I S.

Coaluit prouincia, ex tribus aliis: eius longitudo & latitudo: limites & confinia. §. I.

Montes Comitatus: Naszál: Pilisenses: mons Pestiensis: quis? S. Gerhardi: unde acceperit nomen? fons illinc scatenus, indolis eximia. §. II.

Vallis, supra Budam, celebritas: a Caenobio Paullinorum petita: eius origines: incrementa: fuda vastatio. §. III.

Mons Iohanneus: Uröm: Pilis: arcis in eo, vestigium: Caenobium Paullinorum S. Crucis: metallorum indicia: mons Abrahami. §. IV.

Siluae citiores: earum ingenium: Monorodienstum fama. §. V.

Campi regionis, & horum indoles. §. VI.

Fluuiorum princeps Danubius: insula S. Andreae: minores

aliae: Leporaria, siue S. Margarita. §. VII.

Amnes reliqui: Vajas: Tibiscus: Zagyyva: Galga: Rákos: campus riuo cognominis: Tapjú: riuus alii: aquae salutaris: Budenses calidae. §. VIII.

Aeris diuersitas: regionis habitus: montanus: campestris. §. IX.

Vitis genera: an a Matthia Coruino, vel Turcis inuectae? colendarum vinearum ratio: uini ingenium. §. X.

Res frumentaria: ritus triturandi. §. XI.

Pomaria varia: cur? magistratum, in eam rem, prouidentia: pepouum laus. §. XII.

Res pecuaria: tria eius genera: armentarii quales? equorum indoles: oues quales? suillum genus. §. XIII.

Vena-

Venationis modus: auium copia: aucupii neglectus. §. XIV.

Piscatura ratio: Antaei: reliqua genera: pisces fossiles. §. XV.

Metalla: antra: lapides, edifiis idonei. §. XVI.

Herba, & frutices, materia medica. §. XVII.

§. I.



EST, PILIS, & SOLTH, tres olim Coaluit Prouincia, ex tribus aliis diuersae fuerunt prouincia, siue Comitatus. quorum primus, a *Pesto*, seu *Pestino*; libera & regia vrbe; alter, a monte *Pilisio*; tertius, ab oppido *Solth*, seu dynastia, eius nominis, uti volunt aliqui, adpellabantur. At, simul *Budam*, sedes regia translata est, *Pilisensis*, cum *Pestienfi* coaluit, caruitque, ob Regis praesentiam, supremis Comitibus (a.); *Solthenfi*, post captam, a Turcis, *Albam*, prioribus duobus, adnexo (b.), qui olim erat *Sedis Albensis*. Sicuti vero, ex tribus, prouincia una facta est; ita, vix possis, seu longitudinem, seu latitudinem eius certo definire: partim, ob intercurrentes *Cumanos*, & *Lazyges*; partim, ob terminos, heic, atque illic, controuersos. quos disputare, non est instituti nostri. Et *Cumani* quidem *Minores*, a *Csongradiensi* Comitatu, immittuntur in campos, latitudine plurium miliarium, longitudine vero multo minore. Atque sic, a *Cumanis*, ad Danubium vsque, passim vix vnus miliaris spatium, Comitatu nostro relinquatur; uti in limites & confinia. prouincia *Solthenfi*, demonstrabimus. Quemadmodum autem hac parte, *Cumani*, & *Csongradienses*, prouincia nostrae, fines terminant; ita, adtingunt quoque eosdem ab oriente *Asliuo*, *Szolnokiensis*, *Lazyges*, & *Hovesenses*; a meridie sunt *Batsenses*, *Tolnenses* atque *Albenses*; ab occasu vero, *Strigonienses*; qui & a septentrione, cum *Neogradiensibus*, prouinciam late praecingunt.

§. II.

EA parte, qua *Danubius*, a *Strigoniensi* agro, *Pilisienfi* accedit, Montes Comitatus: Naszál: & inter hunc, atque *Neogradiensem* volutus, *Pestienfi* adpropinquat, occurrit ei ibidem a sinistris, supra *Vacziam*, mons *Naszál*, qui ex ripa fluminis, sensim primum adtollitur, deinde altius, alia super aliis, iuga erigit, tantamque indispiscitur celsitatem, ut ex summo eius cacumine, vniuersam regionem possis despiceret. Siluescit quercu, mixta fago, & id genus materia. Sub his, per meridianum latus, vineae porriguntur, totamque eius decliuitatem, longe late

a) Vid. VLADISLAI DECR. I. AN. MCCCXXII. | b) Vid. MAXIMIL. DECR. III. ART. LII. AN. ART. C. & DECR. II. ART. XXIV. MDLX.

lateque conuelliunt. Protenditur, dimidii milliaris longitudine. Ex positionis habitu, monti nomen Hungaricum est. quia, ingenti tractu adfurgit, speciemque inducit, ingentis cuiuspiam metæ; Hungari ideo, *Nagy-Szál* eum vocant. Alioquin, discriminator est, *Pestienfis*, & *Neogradienfis* Comitatus, ubi recurret iterum eius mentio. Reliqui montes, vno tantum interfluente Danubio, a priori dirimuntur, vocanturque *Pilifienfis*. Nam, & ea regione, quæ a flumine in meridiem, & occasum stringitur, pari celsitudine, iuga alia confurgunt. Et, quemadmodum, a *Scrigonienfi* arce, vna serie, ad *Visegradum* vsque procurrunt; ita, modica intermissa planitie, penes flumen eminent, perguntque continuis lateribus, eadem semper fluminis vicinia, vsque ad oppidum *S. Andrea*: ibi autem, quasi repercussi, incuruantur vallibus, lunæ decrecentis specie, latioreque iam, & diffusiore planitiem, *Danubio* intermittunt; dum, propinquius iterum ripæ accedant, atque repressi denuo, incingant, lata satis vestigia *Sicambria*. At, ubi rursus ad flumen, infra *Buda* veteris fines, redierunt, eadem ripa, ægre tantum præbent spatii, quantum vico sufficiat. Ultra, laxantur vicissim, diuisique in valliculas, retractis paullulum iugis, peculiari dorso, urbem *Budam* sustinent; altero vicino, quem a *S. Gerhar-do* denominarunt, anni tam prope accedunt, vt vix geminas quadrigas occurrantes, transmittant. Hic demum, abscissi & reflexi, recedunt ab amne, & iuga, non tam edita, & siluosa, quam vini feracia, in meridiem, & occidentem, dispergunt, ipsisque post *Vertesiis* siluis, coniunguntur. Præcipua vero sunt, iuga montium *Budensium*, quæ vulgo, *Promontorium* adpellant: haud omnino male; nam, promontorium alias vocatur, mons, in mare procurrens; saltem, littus quodcumque altius, quo reprimuntur fluctus maris: id vero, & montes nostri videntur præstare, cum submouent quasi *Danubium*, atque celsis iugis, hic atque illic, eidem imminet. Eorum pars, *mons Pestienfis* a nonnullis nominatur, quod *Pestienfis* in eo sunt vineæ: Hungari *Csepely-Hegy*, adpellant. Sic olim vocabatur mons, cui nunc *Buda* incubat. Litteræ profecto, cum *Pontificum*, quibus munera sacra, seu *Præposituræ*, illhic conferebantur; tum *Regum Hungaria*, quibus priuilegia, & libertates ciuium, perscribentur, montem *Pestiensem*, nuncupant. *Promontorium* excipit, *mons S. Gerhardi*, Hungaris *Sz. Geller-Hegy*, altior paullo prioribus, propinquiorque flumini, metæ instar, impudentium cautium præcipitiis, atque modico intermisso ripæ spatio. Mons, si quis alius, eximie utilis. Nam, & lapicidina cauatur; & thermarum venis scatet, feruentibus adeo, vt auibus deplumandis sint idoneæ, qua sunt ad fontes proximæ. Habet, latere utroque deiectus, non tamen ita directos, quin cultum humanum, tenuem licet, neque multi redditus, admittant. Qua *Buda* obiectus est, ima decliuitate, ædibus, vltra, vite quoque colitur. Sed, latus etiam aduersum, quod sub austro est, vineis quadamtenus conuelliunt: mitescensibus autem radicibus, agellos habet, pauci fructus. Nomen accepit, a

mons Pestienfis quis?

S. Gerhardi:

S. Ger-

S. Gerhar-do, *Clanadiensi* antislite, propterea, quod per eiusdem præcipitia, ab Hungaris, ductu *ANDREAE I.* aduersus sacra Christiana fuerentibus, in *Danubium* deiectus, fidei, quam adnunciabat, testimonium, morte & sanguine, heic obsignauit. Ferunt, cruorem, e præcipitato, saxi adpersum, diu mansisse indelebilem. Alioquin, ædem quoque eiusdem martyris nomine dedicatam, in vertice montis stetit, ex diplomate, seu bulla *Pii II.* pontificis, quam ad annum *MCCCCLXIV.* edidit, colligitur. Diserta enim ibidem, templi *S. Gerhardi* in suburbio *Budensi*, fit mentio; quod de monte interpretantur, qui id, in eodem, ab *ANDREA I.* expiandi facinoris causa, conditum credunt. Cædis auctores, *Corogios* fuisse, *ISTVÁNEFYVS (c.)* memorat, dum cladem recenset *Moháclianam*: Præter alios, inquit, in fuga, an in conflictu, incertum, occubuit *Petrus ille Corogius*, admirabili & stupendo, planeque ferreo natura, ac omnia conscientis stomachi robore, memorabilis, qui poscente rege inueno, mures viuos, præcisissasque felium caudas, & abiecta in plateis, canum cadauera, tetra sanie, & tabo vermibusque scatentia, absque horrore, atque vlla gula contumelia, mandere, & conficere erat solitus. In eo, vetusta nobilium *Corogiorum* familia defecit. qui olim *ANDREAE Regis*, eius nominis *Primi*, tempore, dum *Pannoniæ*, religionem Christianam posthabuissent, *D. GERHARDO*, vt crudelem, sic impiam necem, intulisse, memorabantur: eiusque rei, argumento fuisse, posteros illorum, in sacellum eiusdem diui memoria, in colle, urbi *Budensi* opposito, adificatum, sponte, aut secus, ingressos, continere se nequaquam potuisse, quin soluta repente aluo, sæde contaminarentur; regemque inueno, *LVDVICVM*, non sine multorum risu, simul & admiratione, in hoc *Petro*, eius rei experimentum, facto sæpius periculo, sumfisse. Ceterum, *Turcæ*, capta *Buda*, sacello huic, castellum, anno *MDXCVIII.* instruxerunt; quibus tamen, anno *MDCII. XI. Oct.* exturbatis, & *Budam* repressis, *MATTHIAS* Archidux, die altero, castellum desertum & combustum, refici, missisque in illud, *Pálffy*, & *Péczió*, cum parte exercitus, & *XXII.* tormentis, *Budam* oppugnari iussit. Idem, & alii post factitarunt, dum *Budam* infestarent: *Bauarus* præcipue. id quod, in vrbis historia, memorabimus. quapropter, castellum quidem, *Blokhaus*, mons ipse *Blocksberg*, a Germanis nominatur. Exstant hodieque rudera, & parietinæ, in montis vertice, passuum, plus minus *CC.* amplitudine. Inde, per decliuiam, *Budam* versus, fossæ descendunt & aggeres, crebris passim eminentibus tumultis, interstincti, suggestus fuisse, facile est conicere, e quibus, depositæ, aduersus arcem, machinæ, euibrabantur. In ipso montis vertice, *CCC.* fere passibus, vltra castellum, præcipuæ munitionis vestigia conspiciuntur. Nam, præter fossas, depressas alte, vastissimi sunt aggeres. Sub his, reclinato paullulum in meridiem, situ, fons emanat, indolis haud prætereunda. Cautas est, saxo quasi substructa, triginta circiter pedum laxitate. Qua hiat, depressum habet aditum, quem ægre, declinato

vnde accepit nomen?

fons illius fontem, indolis eximia.

A 3

COR-

corpore, subieris; intus certe, nisi sedendo, caput vix possis ad tollere. Destillat autem, ex saxea scrobis concameratione, latex, limpiditatis eximia, qui, fonte quasi quodam collectus, defluit occulto meatu, suffuro tamen suavi, dum subterraneus, decem circiter passus, emetiatur, iterumque, ad fontis modum, scateat. *Periodicam esse scatebram*, quæ nunc largius, nunc parcius dimanet, quandoque inarescat penitus, pro anni diuersa ratione, adfirmant nonnulli; id quod, negant operæ, quæ, vti a primo vere, in serum vsque auctumnum, cultui vacant vineatico; ita, nullam vnquam scaturiginis conuersionem, se obseruare aiunt. Et, re vera, vnus hic fons est, qui non vinicolis tantum, sed ipsi quoque suburbio *Thracico*, qua cliuum montis obsidet, salubrem non minus, quam vberem perennemque potum, ministrat. Certatim, eius hauriendi causa, puellæ conuolant. Res, oppido digna admiratione, montem vnum eundemque, aquis ita variare, vt summitate gelidas, intimis autem visceribus, feruidas, & medicatas, cructet. Sed, feruidarum cavernam, quam sub eodem monte capaci, & facta a natura fornice, extare, certum est, thermarum ædificium iam præcludit. Ceterum, mons totus, glaber & apertus est. Proxime hinc absunt, montes illi *Budenses*, quos in vicinis, circa urbem, recensimus.

§. III.

Vallis, supra Budam, celebris:

a cenobio Paullinorum, petita: eius orrigines:

incrementa:

Celebris, supra *Budam*, vallicula est, quæ a Cenobio *D. Paulli Eremitæ*, nomen trahit. Visitur ea, versus occidentem, duos inter montes depressa, sed erectior tamen, quam quæ ei ab vrbe subest. Collem dicere malles, nisi ex vtraque parte, eminentioribus duobus, intermissæ vallis haberet speciem. In medio eius stetit Cenobium, cum templo augusto *S. Laurentii*. *Annales Eremiticorum* (d.) fundationis gloriam, *LAURENTIO*, primo generali, tribuunt: Tandem, inquit, singulari industria *Patris Laurentii*, amplissimum illud monasterium, vno supra *Hungaria* metropolim, germanico milliari, ad honorem *S. Laurentii*, sui que nominis perpetuitatem, orbi comparuit, in monte, ad solis occasum, ita situato, vt ædificia murorum, *Budam* versus, maiorem diei partem lucerent, vespertino autem tempore, umbras ei graciles immitterent; quod successu temporis munificentia in primis *CAROLI* Regis, deinde *Iohannis de Ovar* & *Paulli Veneti*, cuius *Budensis*, aliorumque fauoribus, adeo fulciebatur, vt super vniuersa ordinis domicilia, amplitudine, diuitiis, & numerositate fratrum, caput extulerit. Quin etiam, e *S. Cruce*, Capitula generalia, eo per sæpe dictum *Prouincialem*, magno ordinis commodo, translata fuere. Hæc illic legas; vbi simul error *Thórózn*, de condito cenobio, chronologicus, confutatur. Totum opus, longum fuit orgyias *XL*. latum totidem: iam, nihil eius restat aliud, quam informia rudera, vberissima

d.) Lib. II. Cap. VI. p. 100.

item scaturigo, & nescio quæ specus, quas alii, fodinas fuisse dicunt, alii cellas. Plures illic eiusmodi cauernas fuisse, accepimus. quarum tamen numerum, aut vestigia, haud facile definiuerit quisquam. Cuncta enim, vepribus & dumetis obsita sunt, & accessu prohibent rerum curiosos. Alioqui, fontes, qui superant adhuc, aquarum sunt vberes. in his præcipuus, hodieque, orgyias sex altus est. Ipsa *Cœnobii* positio, elegans fuit, & extra modum amœna, eremo autem vnice idonea. Præterquam enim, quod pulchre, intra duos colles, monti *Iohanneo*, subiacebat, atque aura perflabatur liquida & salubris; *Budam*, sedem regum, in obtutu habuit. Itaque, dum florebat *Cœnobium*, frequentabatur a Regibus, & religionis, & animi causa: a *CAROLO I.* maxime, qui nihil dubitauit, frequentius illuc accedere, miscere, cum patribus, sermones, eosque, noua subinde benignitatis significatione, prosequi. *Laurentium* enim vero, morti proximum, adiit, vna cum *Palatino*, atque impetrauit ab optimo viro, sibi suisque, vti quam efficacissime benediceret. *LVDOVICVS I.* postea (e.) corpore *S. PAULLI*, primi *Eremitæ*; *LVDOVICVS II.* autem (f.) capite eiusdem huc illato, *Cœnobium* illustrarunt. Deletum est *Turcarum* scuitia, eodem, qui *LVDOVICO II.* totique, cum eo, *Hungariæ*, funestus fuit, anno *MDXXXVI.* *Vndecim*, inquit annales (g.) laudati, *monasteria ordinis Proto-Eremitici*, (alii numerant duplum) vna quasi violenta alluione, abrepta sunt. Sed nullum sic furias barbari orientis, in se concitasse videbatur, quam claustrum *D. Laurentii*, diuitiis utpote, amplitudine, ac venustate ædificii, ceteris eminentius: vbi, præter viginti quinque fratrum detruncationem, incinerata testudine *Sanctuarii*, imaginibus frustratim concisis, suffossisque sepulchris, prostratis aris, artificiosissimo operculo, marmoreæ tumba *D. Patris nostri*, violenter amoto, & in Partes constracto, lamentabilis rerum metamorphosis adparuit. Protegente tamen Deo, non tantum *Capella D. Patris nostri*, sed & ornamenta ecclesiastica, auro, gemmis & lapidibus celata, a rapacitate militum, intacta mansere, qua postea maiore ex parte, ad seculares deuoluta manus, paucis retentis, in monasteria translata, sui adpectu, hodie dum, memoriam seu illius depopulationis, mæstis exsulibus ingenerant. Violato sepulchro *D. Patris nostri*, exuuiæ *Trentsinii*, in castrum *Vajuda Transiluanensis* fortissimum, docenti pietate, reposita, milite tamen, eo loci veniente, amaro ordinis & regni sensu, igne absunta sunt. Ista, dum montes, *Pilisiensis* prosequimur, non erant omnino silenda.

§. IV.

Quod, porro, ad montem *Iohanneum* adinet, cui substitum fuisse *Cœnobium*, diximus, de eo, & aliis, infra, circa *Budam* dicemus. E regione vallis *Paullinorum*, mons eminet, versus *Budam*

fons vberis.

Monte Iohanneo:

e.) *Annalium Eremit. Cœnobiticorum*, | f.) *Ibidem* Lib. II. Cap. xxxv. p. 287.
Lib. II. Cap. xv. p. 162. seqq. | g.) *Ibidem* Lib. II. Cap. xxxvi. p. 294.

Budam veterem. Alto is iugo procedit *Solmárum*, crebraque ostendit Romanorum polytheicæ monumenta. In eo, & rudera observauimus, muri, a Budensi vrbe, vsque ad arcem *Solmariensem* protensi, quem viuarium cinxisse, a MATTHIA excitatum, existimant eruditi. Mons *Uröm*, eminet ea serie iugorum, quæ infra *Veterem Budam*, a vestigiis *Sicambriae*, pergunt continuo dorso, versus montem *Pilisium*. vbi demum, velut in metam aculeatur, estque, hoc tractu, omnium altissimus, petrosus idem, atque abruptus, ideoque, non tam siluosus, quam glaber. *PILIS*, haud procul recedit a priori, eorum, qui oram hanc infederunt, facile princeps, siluestris illa parte, qua in septentrionem respicit, cetera glaber, in primis in summitate, quam lata pascua, atque idonea foenicicis, gramina, vellunt. Ab eo certe caluitio, nomen Hungaricum accepit: quia *Pilis*, caluum Hungaris significat. Alioquin, qua siluestit, heic quercu atque fago, acere & fraxino alibi, proceræ, & pulcherrimæ materiæ, distinguitur. Incipit autem, in finibus Comitatus *Strigoniensis*, e regione vici *Kesz-tölcz*. Atque inde, præcipiti adcliuitate conflurgens, super omnes eminet, & vno quidem iugo, versus *Szántó*, versus Danubium altero, protenditur. Ea parte, qua *Szántó* ei subiectus est, ruinas ostendit, arcis olim solidæ. Eadem montis regione, primum *Paullinorum* cœnobium, a *B. Eusebio*, titulo *S. Crucis*, anno MCCL. fuisse excitatum, eiusdem ordinis annales (*b.*) memorant. *Superna vocis occasione*, inquit, excitatus *Eusebius*, adsumtis secum sociis, septimusmet, *Ecclesiam modicam S. CRUCIS in Pilisio, dictam, iuxta triplicem speluncam, erexit, & quidem ad annum Domini MCCL. cui adiunxit monasterium, quod postea, quarto anno, a sua erectione, per regem Hungariae Ladislaum (rectius Belam IV.) siluis, terris, aliisque prouentibus locupletatum est.* E. modicis his initiis, extra modum *Ordo Paullinorum*, breui increuit, qui ab hoc monasterio, in Pontificum & Regum literis, non raro *S. Crucis* dicitur. *BELAM IV.* frequenter huc, e venatione, diuertisse, neque discessisse, nisi edicis munificentia testificationibus, annales (*i.*) tradunt. In templi possibus, quod vna cum cœnobio, *Turcarum* furor deleuit, illiusmodi olim carmen legabatur:

*Deserti quondam lustrantes inuia Patres,
Hic humiles scopulis casas fixere sub altis,
Et latebras sparsim statuunt in rupe cauata.
Eusebius sacer hinc vir eremita atque sacerdos,
Sub titulo tandem Sanctæ Crucis exstruit aulam.
Mox ad eum fratres specubus fluxere relictis
Cœperuntque simul claustralem ducere vitam.
Hinc Eremitarum Paulli succreuit in orbe
Religio, morum probitate nitens, & amictu.
Maximus exiguo fluuius sic fonte redundat.*

b.) Libro II. Cap. III. p. 74. seq.

i.) Loco citato, p. 83.

Quin

Quin & altera parte, qua *Pilisus*, latus in *Strigoniensem* Comitatum, demittit, Cœnobium *Paullinorum*, *S. Spiritui* dedicatum stetit. *BELA IV.* huic quoque initia dedit; quæ decimo septimo anno post, *Ladislaus Cumanus*, consummaret. Palatium illic *BELA* habuit, venationis causa exstructum, *Benedek-völgye*, quod ille insigni liberalitate, *Paullinis*, arctius forte, apud *S. Crucem* degentibus, eo sine donauit, vt sacram isthuc coloniam, deducerent. Annum, non definiunt annales. Fuisse autem MCCLXIII. relatum accepimus. Hoc si est, anno demum MCCLXXX. a *LADISLAO*, suprema operi manus imposita est. Hanc, scribunt annales (*k.*) *scintillam probitatis, in tam copioso, iniquitatum cinere, sepultam habuit* *Ladislaus Cumanus*, quod *BELAE* votis obsecundans, e palatio illo, *Benedek-völgye* dicto, claustrum, cum *Excelsia*, congregandis inibi *Paullinis*, indito nomine, *S. SPIRITVS in Pilisio*, edificauerit. Itaque, subest adhucdum mons *PP. Paullinis* Pestiensibus. Erant, qui spe inueniendi metalli, montem hunc, magnis sumptibus, suffoderunt. Atque, reperta omnino sunt, non plane nulla, auri argentique indicia, sed desistendum tamen coeptis fuit, quod impensam haud reddebant operæ. Horum tentaminum, occurrunt passim, in monte, vestigia, putei alti depressi, cuniculis item cauatæ specus, & id genus alia. quæ accolas, hodiernum adiciunt, ad quærendos illic thesauros. Est etiam sub monte hoc, fons acidus, salubritatis eximia. Ab hoc monte, Comitatus, iuga, & reliqua, nomen acceperunt. Mons *Abrahami*, recedit a *Pilisio* in Septentrionem, milliari fere vno, iungiturque, hinc *Bogdanensibus*, illinc *Totfaluensibus* iugis, quæ accolis nominantur *Váradi-Hegy*. Pulchro eminent dorso, habentque, media sui parte, proceram materiam, & opaca nemora. In cacumine eorum, obliqua planities est, læta passim, & fecunda foenicicia: quippe quæ, in ipsa summitate, crebris rigantur scaturiginibus. Frequens ibi, & amœna, ceruorum & damarum est venatio. Inde, cædunt siluæ, cum ipso monte, descendunt. Sub his, pingues & aprici colles, vitem, prohi fructus, clementer fouent. Ima, pomiferæ arbores infederunt; postea prata, & vber planities, tanto spatio, quantum prætersluens *Danubius*, relinquit. Magnam ibidem voluptatem possis capere, ex regionis obtutu, quem montis summitas obicit. Nam, non ea tantum, quæ subsunt, sed ora omnis, quæ ad XX. miliaria subfunditur, patet prospectui.

§. V.

PRÆTER montes editos, sunt etiam humiles siluæ, quæ prouinciam distinguunt. Inde enim a monte *Naszál*, vsque ad viam, qua *Pesthino*, *Szólnokum* itur, eximia longitudine, procurruunt nemora. Non tamen sic sunt depressa, quin collibus adsurgant. Passim enim tumulos, siluestres partim, partim apertos, intermittunt,

TOM. III.

B

iisdem-

b.) Lib. II. Cap. IV. p. 83.

montium indicia:

mons Abrahami.

Silua clariora:

iisdemque vitem etiam excipiunt, atque fouent. Respuant tamen alibi segetes, triticum præcipue, & siliginem; sed, neque alia ferunt femina, nisi, & letamine adspargantur liberalius, & subigantur sapius, fortibus aratris. Solo enim arcuoso sunt, & in eiusmodi passim sabulones excunt, quibus, ne gramina quidem, multo minus segetes, conualescunt. Id & siluas impedit, vt nequeant incrementum; sed desiderantur tantummodo arborum materia, quomodocumque virecant. Quo vero magis mitescunt colles, eo rariora esse incipiunt nemora. quin, & quæ sunt, dumeta potius, quam siluas dixeris; eo quod, rubis propemodum, corylisque, & id genus ignobilibus virgultis, incrementum. lam tamen herorum, cædis siluis parcentium, providentia, fit, vt passim inualescant luci ac nemuscula. Neque enim fœcis materiam adhibent aliam, quam quæ deiecta a ventis est. Quæ cura, si vniuersim adhiberetur ab omnibus, breui, si non diues siluarum, saltem haud egena foret, etiam siticulosa hæc regio. Alioquin, silva *Mongorod*, earum, quæ decliues hos colles vestiunt, in primis memoranda est, ob victum isthic, a *Geysa*, & *S. Ladislao*, SALOMONEM. Quin & *Vácziensis* ager, densum tunc nemus, & solitudo fuit: Sicuti *BONENIYS* (l.) meminuit.

§. VI.

Campi regionis, & horum indoles:

Campi hinc procurrunt, lateque patens, orientem atque meridiem versus, planities, valli æquoris specie, inter *Tibiscum* & *Danubium*, diffunditur. Nusquam heic saxum, aut arbor adparet, nisi qua seu ripæ, seu insulæ *Danubii*, siluescunt. Tentarunt manu conferere nemora, præsci illi, quin & nostræ ætatis, homines; sed profectu aut nullo, aut lento nimium: credo, ob siticulosam humum, multoque sale grauidatam. Eiusmodi nemuscula, tractu illo, quo *Késkemétum*, *Pesthino* itur, & in *Cumanis*, conspicias. Reliqua, siluarum sunt indiga, pascuis tamen, & rei frumentariæ, idonea. Planam regionem, per interualla, tumuli, quos ventus e sabulo congestit, interstinguunt. Intersunt quoque ingentes tractus, extra modum steriles, & neque frumentariæ, neque pecuariæ rei, commodi. Ergo, luporum & vulpium hic sunt lustra. Sed ii quoque situs, qui pabulis non minus quam segete, proficiunt, aquarum sunt inopes. Itaque, puteos apertis campis deprimi oportet, adquandis armentis. Id quod multum operæ deposcit. Scatent hi, venis vberibus quidem, sed nitrosis; quod apprime conducit, non educando tantum, sed saginando etiam pecori. Pari labore lapides quoque passim eruuntur. Subest resolutæ humo, saxi genus optimum, albidum, succum, friabile, ædificiisque educendis commodum. Idcirco, & latum locum esse vidimus. Alioquin, offendas etiam fontes dulces, saporis grati, frigidi laticis & salubris. Nam, variat campestre hoc

l.) Dec. II. Lib. III. p. 215, 50. & p. 216, 16. seqq.

hoc solum; & partim duratur petris, partim resoluitur in glaream. Quæ inualuit glareæ, aqua est salubrior; lenta contra ea, & procliuus ad vitium, vbi solum pinguescit. Ergo, nihil pluuiis huic oræ, accommodatius est. quæ vbi deciderunt vberius, suntque, locis conuexis, collectæ, stagnant diutius, & turgescunt sale nitri. quæ quidem opportunitate, res pecuaria eximie proficit. Sunt & lacunæ, quæ occultis venis suffunduntur; sed temporariæ eæ, & sicuti, vel e *Tibisco*, vel e *Danubio*, trahunt aquas, pro fluminum copia, aut redundant, aut inarescunt. Ita parens natura, nusquam se ipsam deseruit.

§. VII.

Fluuiorum, sicuti totius regni, ita, & prouinciæ huius, princeps *DANUBIUS* est. Subit regionem, ea parte, qua a *Neogradensi* & *Strigoniensi*, separatur, vastoque alueo *Wissegrado* suffusus, manat sui similis, qua montibus arctatur; inde vero eluctatus, dispersit ad *Bogdány* aquas, insulamque molitur, longam milliaria tria, latam nunc quartam, nunc maiorem minoremque partem milliaria. Nomen a *Sacello S. Andreae*, *ISTVÁNYO* teste (m.), accepit. Alioquin, in legibus patriis nominatur, *insula Ros*, censeturque in iis bonis, quæ ad Coronam Regni Hungariæ adtinent: *Insula Ros* adpellata *infra Wissegrad*, verba sunt (n.) Decreti *Wladislai II.* Equidem, a *Russis*, quos huc deduxerat *Colomannus*, sic nuncupatam existimari. Sed *Danubius*, dextro alueo stringit primo vicum *Bogdány*, deinde, prædia *Taby*, *Sz. Péter*, *Várad*, *Szempeç*; tum oppidum *D. Andreae*, & denique prædium *Kissing*: quippe, quæ omnia, in ripa sunt fluminis. Sinistro contra, *Váczi* primo adsidet, inde *Dunakeszi*, ultra, prædium *Szemes*, & denique diuersorium, nuper ripæ, a vici *Footh* possessoribus, adstructum. Marginem vero insulæ dexterem, tenet primo (o.) *Kis-Oroszi*, mox *Tothfalv*, contra *Taby*, prædium, iterum *Megyer*, paululum inferius, & denique *Monostor*; infra quem vicum, vno milliari, insula desinit, inter diuersorium *Foothense*, & inter *Kissing*. Hac regione *Saluam* mansionem *Antonini* fuisse, putat *CELLARIUS*. Verba eius sic habent: *Ptolemæus*, in primis *Pannoniæ Inferioris* oppidum habet *Σαρία*, *Salua*, quæ *Salua* mansio est *Antonini*, itinere ab *Acinco*, ab eodem *XLII. M. P.* Sic vero legendum, cum *Ptolemæo* est, non *Solu*, uti editum; censente etiam *Thoma Reinesio*, *Inscript. p. 33.* Incidit circa insulam, quæ supra *Budam* est, cui *Váczi* adiacet, a *S. Andreae*, cognominatam. Non autem sola mansio fuit, sed præsidium equestre, seu equitum castra, tam *Maurorum*, quam cuneum scutariorum, habuit, ut distincte in *Notitia Imperii* notatum est. Hæc ille (p.), vir, si quis alius, veteris Geographiæ scientissimus, vti, haud refellenda,

B 2

ita

m.) Lib. XXXI. p. 732. 44.

n.) A. XXXIV. ART. III.

o.) En nominis rationem, quam huic diximus; conser autem, quæ adferimus,

in historia Comitatus *Neogradensis*, ad mentionem oppidi *Nez-Oroszy*.

p.) Geographiæ Antiquæ, Lib. II. Cap. VIII. p. 559.

Fluuiorum princeps Danubius:

insula S. Andreae:

ita permittenda harum rerum gnaris, ad examinandum. Isthic RVDOLPHO imperante, Christianos, cum Turcis, pacis tractandæ causa, anno MDXCIX. conuenisse, ISTVÁNEFFVS auctor est (q.). Vix inde, quartam partem milliaris processit flumen, cum, silio iterum varie aluco, insulas facit alias. Certe, a *Buda Veteris* territorio, vsque ad recentia *Buda* suburbia, plures numeraueris. Harum, ceteris minutis, duæ sunt ampliores. Superior altera, quæ incipit contra *Sicanbriam*, & desinit contra *Budam* veterem. Hanc iterum, alia circumstant. Quæ *Buda* veteri, proxime obiecta est, rudera habet cultus Romani. Inter alia, hiatus occurrit, cryptæ hydraulicæ similis, quem glareæ, varie pictam, atque ornatam fuisse, ruinæ adhuc arguunt. Locum, quo est, totum virgulta, & spissa veprium silua, ita offudit, vt non sine molestiis adiri possit. Sed, quemadmodum insulam hanc minutio-rem, ornat hortus, & varia rudera; ita illam maiusculam, quæ vltra hanc porrigitur, agri distinguunt, segetes, prataque, & pabula. Hic, & villa rustica, *Zichiorum* est. Vtraque enim insula, ad eiusdem Comitatus ditionem adinet. E regione, insula tertia, in eodem aluei tractu, sed maiori his, intermisso aluco, visitur. Est ea *Pestien-si* ripæ propior, planeque contra ostium *Rákosi* illabentis. Longa est passus plus minus ducentos, lata sexaginta, vbi maxime expanditur. Totam, salix minutior, & hinc illinc, vitis siluestris, operit. tam est humili positione, vt modico quouis fluminis incremento, obruatur, neque, nisi arbutis, aquæ supereminentibus, notari possit. Ea parte, qua *Zichianis* insulis obiicitur, rasa est, & aperto sabulo offusa. Fons hic calidus, compluribus scatebris ebullit, colore, ex albedo, fere cæruleo, tanto caloris feruore, vt nudato pede, ferri nequeat. Fama est, thermas hic olim fuisse: cuius rei fidem faciunt lacus, & haud obscura baptisteriorum vestigia. Sed, vnde tam calidus humor, tam in exili, frigidissimi fluminis, insula? Plus enim, quam duo millia passuum, a *Batis* recedit *Budensibus*, totiusque fluminis intercedente aluco, ab iisdem dirimitur. Sunt, qui partem insule *Leporarie* fuisse aiunt. Ea enim, passuum vix trecentorum, lato *Danubii* ramo, rescinditur in meridiem, estque contra *Thermas* *Budenses*, quas vocamus *Casareas*; vna illic intermissa minutiore insula, quæ ad urbem pertinet. A viuario ea nomen accepit, quod hic præci reges, educandis leporibus posuerant. Meliore postea omine, cognita est, cum *Margarita*, *BELÆ* IV. filia, sua eam, & vita, & morte, illustrasset. De hac insula *ISTVÁNEFFVS*: *Et Leporaria, inquit, & D. Margarita vocari solet: a filia BELÆ regis I. (r.) Margarita, quæ isthic inter sacras virgines, repudiata Aragonum regis connubio, Deo dicatam vitam (s.) exegit, & in*

q.) Libro xxxi. p. 742. 44.

r.) Erronee! nam *BELÆ* IV. fuit, sicut docuimus ad reliquiarum mentionem, quæ hodieque *Pestii*, in cœnobio *S. Clara*, adseruantur. Vide, Operis nostri,

Tom. I. Parte Speciali, Memb. I. Sect. I. Hist. Urbis *Pison*. Cap. vi. Artic. I. §. x. seq. p. 590.

r.) Prolixus est, in describenda vita & miraculis *B. Margaritæ F. SIGISVNDVS* *FR.*

numerum duorum relata est. Ad insulam, quod adinet, fuit ea, non profanis modo, sed in primis sacris ædibus, & cœnobiis, cultissima. Sua hic Regi, Archiepiscopo, proceribus, & præcipuæ nobilitati, palatia fuerunt: vt, siue animi, siue religionis causa, reges, ab vrbe vellent digredi, haberent isthic diuerticulum, & voluptarium, & ad religionem comparatum. Inerant nempe, *Franciscanorum*, *Præmonstratensium*, *Dominicanorum*, sacrarum item *Virginum*, *Dominicanarum* non minus, quam *Cisterciensium*, vassa, & substructa solido opere, cœnobia. Quod frequenter hic reges diuertebant, cum familiaribus, vulgo *Vrszigeth*, insula dominorum, adpellabatur. Totum eius ambitum, murus, idemque solidus præmuniebat, aggeres item fluctibus obieci. Accedebat ad frequentiam insulæ, vicus *S. PAVLLI*, sic satis copiosus. At, simul *Turcæ*, *Budam* sub potestatem misere, in solitudinem abire insula coepit; iniuriis certe *Danubii*, eo magis patuit, quo negligentius habebantur aggeres, eluionibus oppositi. Itaque, non ædificia modo omnia, pessum iure; sed maior etiam insulæ pars, abrasa a fluctibus est. Iam, e præscito illo decore, nihil restat amplius, nisi rudera, & nonnullæ ædificiorum parietinæ. In ruinis templi summi, sacellum adhuc videas, iconæ, beatæ *MARGARITÆ*, conspicuam. *Tugurium*, quod in insula est, curandis foenicæ excitatum accepimus. Hæc enim, fecundissimo gramine luxuriant. Supra templum, passibus plus minus CC. in ipso amnis margine, qui se *Budam* versus porrigit, thermarum scaturigo est, quæ, dum ex flumine ebullire nequit, vaporem tamen eructat calidum, manifesto indicio, venas illic salutaris scateret. Siue autem a *Budensibus*, siue aliunde, promanent, magnam profecto caloris, tot frigidarum aquarum vim penetrantis, admirationem merentur. Narrant accolæ, flumen, dum totum gelu obriguerit, eo loco, semper hiare, præbereque aquandi commoditatem. Hæc mente recoleantibus, inciderunt, quæ alibi *PLINIVS* (t.): *Quæcumque de causa, inquit, permulta in vrbe nostra, iuxtaque urbem, non oculis modo, sed ne auribus quidem nouimus: quæ, si tulisset Achaia, Aegyptus, Asia, aliaque qualibet miraculorum ferax, commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrataque haberemus. Ipse certe nuper, quod nec audieram ante, nec videram, audiui pariter & vidi. Infra insulam, coit rursus Danubius, vnoque totus aluco recollectus, pergat sinistrorsum, Budamque subluit, & vbi hac *Pestum* diremit, monte, vti dictum est, *Gerhardino* repercullus, in patentiores campos, liberius euagatur. Nam, etsi ex ea parte, qua Comitatus, *Albensis*, atque *Tolnensis*, ab agris nostris, rescindit, editis riparum cliuis, velut collibus, cocretur, tamen, ex altera parte, qua campos nostros lambit, offendit vbi que plana, iisque se insinuat. Vix terrenum relinquit *Pestien-si*, paruo, infra mont-*

B 3

tem

FERRARIUS, in, *de Rebus Hungaricæ* *Præuincie Ordinis Prædicatorum*, Partis secundæ, Lib. II. integris Cap. 1.

xxxiv. a pag. 211. vsque ad pag. 382. quem legelis.

2.) Lib. viii. Ep. xx. p. 446. edit. Cellarii.

tem *Gerhardinum*, intervallo, scinditur, partisque iterum vadis, insulam *Csepel*, longam milliaria circiter quinque, latam, unum, vbi laxissima est, complectitur. Atque illic, brachio dextro, adluit primo vicum *Tétén*, deinde *Erd*, postea *Érts*, tum *Adonum*; sinistro autem, *Haraszi*, *Taxon*, *Latzházam*, *Dömsödum*, & *Dab*. Eadem hac parte, quia solum demissum stringit, saepe exundat, agrosque & pascua offundit, tanta amplitudine, vt in maris speciem conuersus videatur. Insulam hanc, a vico eiusdem, primo nominarunt Historici (u.) *Csepeliám*, atque diu *Margarita*, a templo forte, quod heic virgo regia, condiderat. Nos *Eugeniam* vocabimus, a principe, cui nunc parat. Infra insulam, coadunatur iterum *Danubius*, & dextra ripa, eademque erectiore, præterchitur vicos *Almás*, *Pentele*, oppidaque *Földvár*, & *Pax*; sinistra vero *Vesze*, *Egyház*, *Darda*, *Sz. Benedek*; vbi *Vajasa* emissio, ducit alueum ad *Bodiszlónem*; atque postea, ad *Bajam* deuolutus, hinc *Bácsiensis*, illic *Tollnensis*, prouincias, interfluit. Sed, quoad nostram adluit regionem, includit insulas plures; vnã, contra *Vesze*; alteram, e regione *Földvár*; tertiam, & plures, ad *Pax*; & ita porro. quæ omnes siluescunt nemoribus, & salicetis, præsertim, vbi *Vajasum* amnis emiserat. Illis locis plurimæ passum, & vberes sunt *Husonum* piscaturæ, maxime contra *Földvár*um.

S. VIII.

Nunc annes reliquos videamus, qui perluant regionem, in his est: II. *VAIAS*, alueus *Danubii*, quem *Colocsienses* olim, subuehendorum lapidum, & materia, extruendo ibidem templo, necessariæ, manu fecisse creduntur. Egreditur is ex *Danubio*, infra vicum *Lak*, pergitque ad *S. Benedictum*, inde ad *Vszód*, tum ad *Feghró*, indeque, vicis aliis adlapsus, penes *Bajam*, *Danubio* se rursus intimat. Amoenus est illic, vtriusque fluminis, confluxus. Sæpe tamen, quæ depresso loco suar, effulsit, in hancce partem, aquis, inundantur. Alioquin, piscatio ibidem, & crebra est, & plurimi reditus.

III. *TIBISCVS*, accedit Comitatu, ex regione *Szólnokiensi*, recessisque eius terminis, ab oriente, subluit, nostra hac parte, vicum *Tószög*; deinde, tribus milliariis inferius, *Letske*; ultra, vno milliari, *Alpár*, in eadem ripa; a quo reflexus, ingreditur Comitatum *Csongradiensem*. Ad *Tószögum* insulam efficit, & quod ex altera parte ripis altioribus est, totus in nostram oram incumbit, atque in paludes varias diffunditur. Nam, præter *Tószög*, stagnat etiam supra *Ketske*, & e regione *Alpár*. Alioquin, orgyas passim denas, interdum & plures, altus est, scaturitque piscibus maioribus, & minoribus.

IV. *ZAGYVA*, apud *Neogradienses* editus, fines nostros, dirimit, a *Iazygibus*, & prouincia *Heuesiensis*, vbi eum fusius describemus.

u.) Vid. *Istoriæ* Lib. xiv.

Amnes reliqui:

Vajasa:

Tibiscus:

Zagyva:

mus. Rigat primo terrenum *Boldogiense*, & vbi a vico progressus, *Galgam* riuum accepit, descendit post ad terrenum *Szent-Lőrincz-Káta*, inde, *S. Georgium* Philestæorum, pergitque eodem *Iazygum* tractu, vsque ad vicum, *Lanus-Hidja*, nostro huic Comitatu, accessum; & iterum ad *Rékásum*, vicum itidem Pestiensis, antequam *Tappone* adaugeatur: tum, ad *Szólnokum* delatus, in *Tibiscum* elabatur. Non minus vero prouinciam hanc, quam *Iazygum* & *Heuesiensis*, diuisi viciat, dum intumescit. Quia enim præceps e montibus, qui *Heuesiensis*, & *Neogradiensis*, comitatum determinant, deicitur, accipitque saxos torrentes, facile ripas supergreditur, potissimum regione depressa. Illud mirere, quod, cum montanis fontibus emanet, non raro tamen, inarescat penitus, & alucum relinquat siticulosum.

V. *GALGA*, Hungaris, *Galgavize*, oritur, gemino fonte, altero, supra vicum *Cósvár*, altero, supra *Bétske*, a quibus per ditersas valles demanans, coit. penes *Püspök-Hatvan*; factaque illic piscina, velut ex alio fonte erumpit rursus, defluitque valle continua ad *Tó-Györkum*; inde reflexus in meridiem, emanat in alteram vallem penes *Mátsam*: & quia hic planitiem ampliore reperit, rigat eandem, crebrisque riuis, ex vtroque latere vallis, adinuantibus, augetur. Sed, postquam ad solum mollius deuenerat, stagnat latius, præcipue eo tractu, quo a *Domány*, *Afzódum* versus deuoluitur. Illic enim, terra pingui & concaua, retentus quasi, & inorptus, relinquit aquarum partem, & inter lacunas, repens magis, quam defluens, ducit alueum. Modico quouis imbre ripas excedit, impeditque iter, cœno fere impermeabili. Quapropter, prouinciæ magistratus, vti viæ regie consulere, non alueum modo, sed etiam lacunas eius, ponte lapideo, longo passus circiter quinquaginta, instruit. Factum id est, anno vigesimo nono, post millesimum, & septingentesimum. In ripa eius erectiore, dum arena pro cemento effoderetur, crux sunt vrnæ romanæ, cineribus humanis & ossiculis, iam putribus, refertæ. Forma erant oblonga, laxa inferne, semper tamen, a medio, ad summum angustiore, ollarum in similitudinem, quæ arcto finguntur ore. Vrnæ ipsæ, excisæ erant, lapidis quadrati specie, longiores, quam latiores, & in summo operculatæ. numos quoque argenteos, *Gordiani* potissimum, refossos tunc, accepimus. Ex quibus facile est ad colligendum; Romanos, qui, siue *Sicambriam*, siue *Transaquincum*, siue alias ibidem colonias, habitarunt, sua, his in partibus, habuisse prædia, suasque villas, & municipia. Quod ad *Galgam* adinet, postquam ex lacunis emerit, equaliori alueo, molam subit *Afzodiensem*, disceditque iterum, lento & torpido lapsu, iuxta vicos *Hévygyörk*, *Héviz* & *Thuram*, ibidemque, ex valle in campos delatus, stringit agros planiores, versus *Boldogum* in orientem, posteaque infra eundem vicum, fluuio *Zagyva*, miscetur. Qua demanans, quatuor plus minus, milliarium intervallo, non agros tantum, & vicos

Galga:

vicos rigat, sed molas etiam, tempore verno, vel, si cælum sit pluuium, locis compluribus, versat. Melior hoc est

Rákos:

VI. RÁKOS, quem vi vocis, Hungarica lingua, a *cancerorum* copia dictum (*v.*) putares, nisi hac ora, eisdem careret. Paucis enim, & non nisi manu positis falicibus, radicibus autem nullis, nullis item lapidibus, cancerorum amicis receptaculis, interfluit; sed, per aperta, & mollia delabens, illos etiam, quos interdum a *Danubio* mutuatur, suffocat, aut remittit. Rectius, mea opinione, nuncupatur, a voce Sarmatica, *Rákos*, quod concilium, & annua comitia significat. Nam, ita reor, morem campestrium comitorum, a Sarmatis (*x.*) accepisse Hungaros. Ergo, quia riuulus hicce, comitiis Hungaricis innotuit, dubium non est, quin hic ab illis, non illa ab hoc, nomen sumpserint; tametsi post BONFINIVM, & ISTVÁNFFYVS, campos *Rákofios*, dilerte ab eodem riuo adpellatos existimarit. Sic enim ille (*y.*): *Quum*, inquit, *ad campos Pestanos, qui Rákofii, a præterfluente eius nominis riuo, adpellantur, indidita essent, frequentes e Panonia, & Illyrico, Proceres conuenere.* Oritur riuus, fonte humili, supra vicum *Gödölö*, in vallicula, sub vineis eiusdem vici. Hinc, vber satis, arguto susurro, vicum præterfluit, & vbi eadem valle, passus circiter bis mille, in meridiem processerat, ibidem vico, quem *Isaszeg* adpellant, aduolutus, alueum, vna cum valle, versus occidentem flectit, dum molis *Isaszegensibus*, & *Péczelyensibus* adfundatur, easque non tam vbertate aquarum, quam coactus aggere, & ex piscina demissus, urgeat. Ampla enim piscina illic colligitur, substarum molarum commodo. A *Péczelyo*, eodem tractu, pergit ad *Csábam*, Slauorum coloniam, vbi molis vicissim inducitur. Non minus, & dum ad *Kereftikum* venit, molarum utilitate, commendatur. Infra eum vicum, laxatur iam sensim vallis, planitieque interiecta, dilatatur cliuos, dimidii miliaris amplitudine. Atque his iisdem campis, comitia celebrari olim fuerunt. Quoties namque, proceres regni coire ad concilium iubebantur, hic congregati, castra circa *Rákofium* ponebant, armatique ex stapede, agitabant consilia. Pro regis tabernaculo, delictus erat tumulus, qui adhuc ibidem, ripæ fluuioli dextræ supereminet; reliquis tentoriorum vestigiis, erecto hic, depresso alibi, solo, adparentibus. Manat amniculus, trium miliarium anfractu.

campis
riuo cogno-
minis.

VII.

v.) Ita BONFINIVS Decade II. Lib. III. p. 215, 43. Consilio addimus, *hæc ora*, Nam, vbi a p[ri]ma scaturigine, per agrum *Gödölöensem*, & *Isa - Szibien - sem*, deliuit, caneros alit, optiani saporis, non modo Danubianis præferendos; sed us etiam, qui e riuus montanarum partium adferuntur, comparandos. Postquam autem, campestri se regioni inuauit, coepit

que resagnate, cancerorum p[ro]fus impatiens est.

x.) Notum est Slauorum prouerbium: *Po Rákofii mandri Páni*, id est: *sero sapiant P[ro]gyes*.

y.) Lib. VIII. 110, 49. Non id vult historicus, quasi campi *Rákos* omnes, proprii sint *Pestianum*; sed, quod ex eius vrbis vicinitate, ita tunc adpellabantur.

VII. *Tapjo*, seu *Tapju*, fluuiolus, priori suppar. Oritur in prædio *Lotsód*, supra vicum *Suly*. Hunc, vbi præteriit, pergit orientem versus, penes *Ságum*, *Betskam*, & *S. Martini* vicum. quorum singulos, sinistra ripa excipit. Tum, pressius in æstium orientem, incuruatur, manatque eadem plaga, per complura prædia, donec fluuiio *Zagyvæ* commisceatur.

VIII. Sunt, & plures riuuli, crebris passim fontibus editi, iis riuis aliis præcipue partibus, quæ siluis insidentur. quorum tamen, nec nomen certum, est nec gloria. Maioris sunt pretii salutare aquæ. In primis celebrantur fontes *Budenses*. Differemus de his fusius, circa *Budam*. Nunc dixisse suffecerit, oram, nusquam aliam exundantiorem aquarum salutarium, quam quæ *Buda* circumfusa est. Nam, non calidis tantum adfluit, sed fontibus etiam aliis medicatis. Videbimus, complures riuulos ad *Budam* calore, atque sapore salutari. Sed & vniuersi montes *Pilifenses*, scatent venis salubribus, præcipue ex ea parte, qua *Danubio* subluantur.

§. IX.

Aeris, tota prouincia, mira diuersitas est. Nam, qua montibus, & siluis exasperatur, cælum habet, hieme frigidum; æstatis contra, clementiam, prorsus singularem. Semper enim hic mouetur aër, frequentioresque auras, quam ventos habet. Hinc viuidi incolæ, pectore firmo, mente alacri, & quum alibi *Hungaria*, Germanis mors est, heic vita est. Regionis, porro, forma pulcherrima. Imaginare hortum aliquem immensum, & qualem sola natura poterit effingere. Lata & diffusa planities, qua *Danubium* immittit, montibus præcingitur, quorum summitates, procera & opaca nemora, inferne vitem, & arbores fatiuas, habent. Contra, quæ in late patentibus campos exeunt, æquoris referunt speciem. Hic vero fauiores hiemis, & æstatis sunt vicissitudines. Nam, vti bruma, ultra modum inclemens quandoque est, & ventis infesta; ita, succedunt, non raro, æstates torridæ, regioni propemodum intolerabiles, rei autem rusticæ etiam perniciosas. In primis, culices damnaueris, hominibus non minus, quam pecudi, graues. Mugire armenta coguntur, morsuum impatientia. Adde, quod dies feruentissimos, noctes plerumque excipiunt, ultra, quam pro æstatis temperamento, frigida. quod vnum, iniquissime ferunt peregrini. Quin, & salubrium aquarum inopia, campestri illo æquore, laborat regio. Nempe:

Non omnis fert omnia tellus.

§. X.

Vitem, montana ora, benigne fouet. Vtrumque, rubellum, & album genus: illud tamen copiosius proficit. Terræ resolutæ, permittæque sabulo, hoc esse ingenium, aiunt, ut vitum,

vitem, gratius admittat rubram; quamvis, neque albulam reformidet. Pinguis enim est, & leui motu subacta, racemis luxuriat. Vuarum grana, acinis turgescunt, maiusculis, & pellucidis. Fama est, MATTHIAM Coruinum, ex *Campania*, vites, agro *Budensi*, intulisse: vnde vini sit orta similitudo. Alii, barbaris id gloriae tribuunt, quasi qui, ex *Bosnia*, id seminum huc traduxerint. Neutrum definimus; tamen, ea prouidentia, *Coruino*, meliori iure possit adtribui, cum constet, *Turcas*, ad escam vitem colere, non ad potum. Plantatio fit per sulcos, viuiradice, & taleis: quamvis posterior modus sit crebrior: multo tamen melius figit radices, quod superiori anno recuruum, in arcu coecepit radicari: idemque rescissum dein, melius solo consuecit, si transferatur. Putatione, ad oculum submittitur vitis capitata, nisi iam submissa erat ad arcum, seu viuiradicem; talis enim, ternis, quaternisue gemmis, submittitur. Neque pedamenti magnum studium est. Videas puluini, botros impendere; leuis ridica, neque ea singulis vitibus, adpangitur. Vindemia, diuersitate soli metienda est. Quae soluta, & molli humo profertur, vinum gignit, vnius vix anni etatem laturum. Perennius est, quod solidiori terra procreatur. Huius generis, quinquennale, quin vetulus etiam, bibunt *Budenses*.

§. XI.

Fruentum, non vno vbiuis modo proficit. Multa sunt terreno rudi, sabuloso, quae nec semina benigne patiuntur, nec pascuis apta sunt; praesertim, dum feruidiori sole accensa, exuruntur, & terra emoriente, sterilesunt. Qua feracior est agri positio, sementem reddit egregio fœnore: Illud culpaueris, quod, qua foecundissimus ager est, operas requirat plures. Senos boues, iungas oportet, si pinguem, & quasi bituminosum agrum velis frangere. Huc vero, quam validis opus sit aratris, facile intelligunt, rei rusticae periti. Sunt tamen, qui leui opera subiguntur. Itaque, frumenti etiam variat qualitas. Nobilissimum ferunt campi, praesertim, qui solo pullo, & fluminibus, Danubio maxime, vicini sunt. Alioqui, & per campos, praecipue inter siluas, triticum anno altero, tertioque confutum, sit siligo. Hac enim parte regionis, maxime conualescit, ideoque frequentissime feritur. Nec deficit hordeum, auenaeque, & id genus pabulum; at leguminum gloria, tenuis est. Milium passim obseruaueris luxuriare. Nam, hoc genus seminis, leuissima insperum cura, inualescit. Messes, regio tota, longas habet; quandoque operarum inopia; non raro, iniuria quoque tempestatis. Venti in primis, maturae segeti sunt noxii, si incidant; conuulsatis enim aristis, elidunt grana, vt nihil messorum super sit, quam stipula. Triturandi, equorum opera, modus, haec in primis inualuit. quem, qui non viderunt, vix possunt animo concipere. Fit horreum, aperta

om a Mat-
thia Corui-
no, vel
Turcis, in-
uicta?

colenda-
rum vicia-
rum ratio:

vini inge-
nium.

Res fru-
mentaria:

ritus tritu-
randi.

area. Huc, in acervos frumentum, sub dio, congeritur. Ergo, apricis solibus, opus adgrediuntur, quod demum totis noctibus feruet. Insternunt frugibus arcam, quam possunt, densissime. His, coniugatos equos inducunt, quos, stans in medio rector, nunc voce, nunc flagri strepitu, impellit in gyrum, dum conteratur substrata seges. Inuertitur demum puluinus, & eadem demum opera, deterritur. Cum satis esse putant, excutiunt stramen, & negligentissime coaceruant; deinde, colligunt granum, & cum est opportunum, ventillant. Vidi, risisse exteros triturae genus, & exhorruisse, cum aduerterent, & aluum, & vesicam, inter operas, exonerare iumentum. Qua illi quidem auersatione prodiderunt, non delicatam modo indolem; sed ignorantem quoque triturae, gentium orientalium, quae nostra regione obtinet hodieque.

§. XII.

Satiuarum arborum foecunditas, quam copia, maior est. Sunt quidem pyrorum, malorumque multa genera, sed non tanta varietate, qualem alibi vidimus. Nequiverunt enim inferri tot species, regioni adhuc desolatae. Ante quam pessum iisset provincia, nihil pomariis, ad oppida & vicos, erat frequentius. Immo, silvas propemodum conserebant, arboribus fructiferis, prisca illi homines. Vidimus aliquando, insulas, luxuriantes fructuum vbertate, sed ita horridas dumis, vt vix adiri potuerint. quod indicio erat, pomaria illic habuisse olim *Hungaros*. In primis, *Wissegradensem* oram, fauise pomonae, oportuit. Omnis enim ea ripa, quae ultra vicum, in occidentem recedit, veterrimarum arborum, truncos partim, partim stolones, ex imis radicibus pullulantes, ostendebat, cum hac, semel atque iterum, nauigassemus. Sub barbaris, vix vlla satiuarum arborum cura fuit. Quid, quod repetitis toties urbium obsidionibus, non potuerit, etiam a nostro milite, arboribus parci. Fallor? an relatum accepi, magistratus provinciae, edixisse, colonias haec ponentibus, vti, qui agri aliquem modum, rusticationi idoneum, ab heris acceperint, certum, satiuarum arborum, numerum depangerent. Quae diligentia, si inualuerit, non est dubitandum, quin breui, omni fructuum genere, redundaturus sit Comitatus. Si enim dicendum, quod res est, segnius, in hac rusticationis parte, elaboratum est adhuc. Quod, quam sit, non heris modo, sed toti etiam provinciae, damnosum, nihil adinet monere. Ceteroquin, haud ita inops est fructuum regio, quin habeat, quo gloriatur. Magna passim malorum laus est. In prunis ferendis, plus operae collocatur a rusticis. His enim, vilissimum quilibet horti, siluescunt. Persica, vineas ex more, interstinguunt, sicuti & nuces. Peponum, grande vbiq; incrementum, gustus gratus, & multa laus est. Vtroque autem genere proficiunt, *Italico*, & *Graco*. Adfirmarunt nobis, qui non viderunt modo, sed ederunt

Pomaria
sativa,
cur?

magistra-
tum in
comitatu,
providen-
tia:

peponum
laus.

etiam, in agro *Podmanicziano*, ad eam molem profecisse, annis superioribus, ut sesquipedem, & amplius, longitudine, pedem unum, crassitie adaequarit, cetera saporis probissimi.

§. XIII.

Res pecu-
ria:

Focunda armentorum, campestris regio est, proficitque omni pecudis genere. Perennat id in desertis, aestate pabula, hieme stabulationes, sequutum. Neque enim alius vastarum solitudinum, *pradia* vocant, usus est. Inerrant autem pascuis armenta, prout pabula vocant. Itaque, locum, ubi ea vesper deprehendit, pro stabulo habent; perguntque iterum illucescente die, qua intemerata adhuc sunt gramina. Sunt autem, trium generum, Pestiensis agri, armenta; domesticum illud, quod diebus singulis, vicos subit, & *Csorda* adpellatur; campestre, ubi educatur pecus, *Gulya* nostris dictum; denique, ad saginam destinatum, quod *Göbölly* vocant, ubi iuencos, adultosque boues, habent, & cum profecerunt, ad mercatus inde propellunt. Qui, duo hæc genera consectantur, armentarii; *Gulyás* eis, & *Göböllyós*, illi *Csordás*, nomen est. Durum hi, & extra modum agreste vitæ genus degunt. Nempe, quidquid ad escam & potum pertinet, alinino penu, secum deferunt, promuntque, cum, aut esurics stimulat, aut sitis. Veste vtuntur pellicea, sed cruda, & præter modum villosa, quam *Bunda* dicunt. hanc, si frigeat, fouendo corpori admouent, sin caleat, aut depluat, obuertunt acri. Sed pedes etiam, crudo perone, induunt. *Satyros* dices, non homines, ita sunt culti insolenter. Sed, illa herilia fere armenta fuere; rusticis, paruus admodum pascuorum modus est. Semina, armentorum specie, ab aliis, quæ regio proficit, non differunt; sed pari colore, forma, nunc maiore, exiliore iterum, distinguuntur. Id, de equis pariter, & de bobus, dixerim. Equorum custodes, suppare sunt armentariis, quandoque etiam austeriores, & ad omnem facti nequitiam. Sunt autem agri *Pestiensis* equi, prorsus *Hungaricæ* indolis; hoc est, cum decore, graciles, venuste proceri, & pernices. Ouium genus, quod *Hungaricum* dicimus, heic etiam obtinuit; tametsi nec *Germanici* desint, *Bohemicæ*que greges, in siluis, & circa montes, quibus in primis gaudent. Ibidem, & suillum pecus habetur lautius. Qui enim porci in campis sunt, & circa riuos, minori, & copia, & incremento, educantur. Ad *Danubium* genus illud, de quo apud *Simigienses* dicimus, grandibus, sed flaccidis auribus, inualuit. Frequens, in primis est in tractu *Colocsiensi*, & qua est solum pinguius, coenosumque, *Hungaris Sárköz*.

§. XIV.

Venationis
modus:

Venatio, pro possessorum arbitrio, nunc libera est, nunc vetita. Ea sclopis fit, & canibus: retia enim, & insidiarum species aliæ, ignorantur adhuc. Neque iam sunt, copia tanta, feræ,

feræ, quanta olim videbantur. Nam, ubi gregatim, cerui damæque inerrabant, nunc, ne vestigia quidem facile notaris. Inopiam, libertas venatus fecit. Nihil de viris nobilibus dicam, ad quos venandi iura, lege publica adtinent; hibernantium & æstiuantium militum licentia, propemodum omne ferarum seminium, exhaustit. Accedebat, rusticorum incontinentia, quorum non pauci, cum stiuam decessisset sequi, aut obseruare armenta; feris insidiari, & earum subsidere lustra, didicerant. Et si enim, nec antiquis temporibus, prohibebatur venatio, conseruari tamen potuit genus, venatoribus, neque tam frequentibus, neque, tam auaris. Adco, ætas nostra, ab antiqua illa, ablulit. Unica lepuscule propago, quod focunda est, famam pristinorum venatum, quomodocunque tuetur: reliqua sunt rariora genera, & non nisi abstrusioribus montibus, & siluis, desidentia. In his, ceruos, damas, aprosque obserues. Profecto, nupera lege, qua suus venationibus modus positus est, vix quidquam perferri potuit, in hanc rem, commodius. Iam enim aduertat, pullulare iterum, feram illam progeniem. Animum maior copia est, præsertim in campis, & circa flumina. Tanta, circum *Tibisci* & *Danubii* eluuioues, lacunasque, & paludes, hinc atque inde, anserum & anatum, rusticularum item & fulicarum, ficedularumque, frequentia est, ut, tametsi myriada propemodum ouorum, nidis demant rustici, ieiunium *quadragesimale*, toleraturi; tamen, pullitium, in annos singulos, edant fere infinitum. Rariore sunt phasiani, eodem illo maleficio, quod diximus, venatus, & aucupii liberi, ad paucitatem redacti. Nam antea, per dumos, *Danubio* irriguos, more familiarium gallinarum, nidificabant. *Perdices*, & *Attagines*, haud temere hodieque desideraueris. Relatum accepimus; perdicum, sæpe duodecim millia, *Budam* adlata, & venum exposita olim fuisse. quod iam non disputamus; sit fides penes auctorem. Neque deficiunt *Tarde*, & *Tetraones*; *Gruibus* autem segetes passim opplentur. Foeticant *Cigni* quoque, egregio prouentu, innotantque passim, per stagna, & paludes, *Danubio* vicinas. quarum pelle, nihil salubrius, meliusque, subducendis tunicis penitioribus, credunt agrestes. Ut iam *Gauias*, albas, & cinereas, taceamus. Quidquid animum aquaticarum adnotauit *Marsiglius* (2.), noster id alit *Danubius*. Id mirere, non delectari aucupiis incolas, in tanta animum copia: Sclopis vtuntur, si quid deiciendum putant. Rustici quandoque, virgas depangunt viscetas, ad fontes, & riuos, ubi norunt ingruere turtures, palumbesque.

§. XV.

Piscaturas præbent, *Tibiscus* & *Danubius*. Circa hunc, casas passim videas piscatorum: qui statis anni temporibus, *Antacæos*, grande illud piscis genus, quod vulgo *Hufones*, nominamus, in-

C 3

2.) Tomo v. *Opus Danubialis*, toto.animum co-
pia:aucupii no-
lectat.

reliqua genera:

intertipiunt. Augustali munere, olim, ANDREAS I. *Hemico III.* Imperatori, idem illud piscis genus miserat. Ad *explendam*, inquit BONFINIVS (a.) *Alemannorum inedia*, quinquaginta piscium corpora, insane magnitudinis, quos Husones adpellant, item multa, lardi, pecorum, vini & frumenti copia, gratuito ad Imperatorem missa. Itaque, vetus hæc, in provincia nostra, captura est. Nam, sicuti vicina regioni nostræ, Germanorum fuisse castra certum est; ita, non ambigimus, quin istinc imminens hosti rex, piscaturam eam, nostra regione, institui curavit. Neque desit adhuc, fructuosissimum capturæ genus. Centenarios vndenos æquauerunt, quos ætate nostra, captos meminimus. Observabimus piscationis loca, ubi ad vicos, & vrbes, peruenerimus. Ad reliquos pisces, quod adinet, sturiones puta, syluros, luciopercas, cyprinos, lupos, ceteros, horum, neque modum adinet, neque pretium recensere (b.). Variant autem singula genera, proannorum diuersitate. Interdum adfluunt, & iterum deficiunt: qua re fit, vt, non iidem perpetuo sint piscationis reditus. Multum sæpe, impense sit laborisque, fructu aut nullo, aut tenui; sed iterum, vnus alterue iactus, plures occupat (c.) antacæos. Eiusmodi tempore, quod piscibus frequens est, florenis singulis, centenos quoque redimas carpiones. Nimirum, pretio, piscatores, nunc maiori, nunc minori, prout fert licitatio, iactum æstimant; ea tamen lege, vt, quod præter antacæos concludatur, cedat licenti. Itaque, ære vilissimo, ducentenis plures, sturiones, carpiones, & lucii, non censis reliquis vulgaribus, haud raro redimuntur: interdum tamen, vix vnus alterue gobius, aut alburnus. id enim, fortunæ, non laboris est. Testudines, præciliates, seu flutas, exhibent lacus, paludesque, copia itidem impari. Nam, si annus incidat siticulosior, parciore seminio foeticant; quandoque prorsus, *stata* in primis, videntur deficere: non, quod reuera delinant; sed, quod profundo limo se condant, emerfuri iterum, ubi restagnare paludes inceperint. Ille piscis mos, non satis aduersus, prodigii suspicionem iniecit, etiam rerum gnaris. Leui enim motu, reiectus limus, pisces dedit *fossiles*. qua de re albi.

pisces fossiles.

§. XVI.

Metalla:

Non defuerunt, qui fodinas instituerent, in monte, vti dictum est, *Piliso*. Adparent vsque huc, scrobes, putei, & cuniculi, aliarumque eius generis, officinarum vestigia: quæ nuper, vir quidam, alioqui rei metallicæ gnarus, post ingentes labores, atque impensas, deferere coactus est. Neque defunt suffossiones agre-

a.) Digna lectu historia est, *Decade II.* Lib. II. p. 200, 50.

b.) Integro eos Tomo IV. *Opus Danubialis*, MARSIGLIUS recenset, quem consulat, qui potest, oculos, piscium iconibus, scite factis, passurus: cer-

te, allud operæ pretium, vix referet.

c.) Omnem hunc piscationis modum, fuisse expromissus, Tractatu peculiari: *De Re Rustica Hungaria*, Part. III. De occupationibus Rei Rustica incundis, Cap. III.

agrestium, thesauros vestigantium. Nihil enim accolis familiarius est, quam terram, lignonibus isthic fatigare; nescio, qua thesaurorum præconcepta opinione, immo confidentia. Alioqui, non caret mons ^{antra:} idem, specubus, haud plane vulgaribus. Est supra oppidum *S. Andree*, antrum, latomiarum similitudine, rupi impressum. A Turcis excilum credunt multi, saxorum causa. Hodie, greges ouium *Rafianorum* accipit, si quid trepidæ imminet tempestatis. Alioquin, ^{lapides, adificiis idonei.} saxa, siue instruendis, siue ornandis ædibus, vix alibi repereris comodiore, quam isto tractu. Passim enim campis, atque montibus, eruuntur lapides, albuli, sicci, & patientes operarum. ostenduntur ea omnia, suis locis.

§. XVII.

Herbarum & fruticum, quæ ad victum pertinent, in campis, ^{Herba & frutices:} tanta copia est, quantam in hortis alibi vix conspicias. *Asparagus*, quem montana pars regni, ne tolerat quidem, licet magno studio excolatur, heic sine cultura, quouis fere campeltri tractu, reperitur. Budam & Pestum, tanta crassitudine infertur, vt hortensi conferri posse, videatur. qui, quod ita proficit, pretio caret, & vilissime vendatur. Numo vno, plus heic emas, quam vicenis alibi. Salubrium herbarum, fruticum, radicum, & copia, & varietas, propemodum inexplicabilis, tota regione gignitur. Non putamus necessum esse, catalogum exhibere, qui iam occurrit alibi. Illud certum est, vix vllam rerum, ad faciendam medicinam ^{materia medica.} adtinentium, ora hæc nostra, desiderari. *Regnum Minerale*, aquas sufficit medicatas, vt magna copia, & diuersitate, ita qualitate non vna. *Vegetabile*, luxuriat, nullo non genere, quod inferri solet, pharmaceuticis officinis. Denique, *Animale regnum*, ita comparatum est, vt, præter *Indiarum*, & *Aegypti portenta*, vix quidquam possis desiderare. Ergo, ne hic quidem medicali absunt, quandoque ad stuporem felices. Eam artem, vilissimus quisque olitor, armentarius (c.) opilio, & quod non genus aliud, sibi facit propriam. Dixisse suffecerit: situm, & opportunitatem, *Comitatum* horum, si ante ferri reliquis nequeat, nulli esse secundam, quod, non eo dictum volumus, vt laudibus oneremus prouinciam; sed ne silcamus, quod dicendum ex vero est.

PAR-

A) Gignitur heic genus quoddam herba, quod Hungaris, *Ezer-jó-jó*, nūminatur. Efflorescit colore, ex rubro violaceo, cuius apex, vix per noctem

durans, decedit. Habet vim, peccati curandi; quapropter, mirifice a bubulcis ad medicinam adhibetur.

PARTIS GENERALIS MEMBRVM POLITICVM

DE

*Incolis, & Magistratibus Comitatum, Pest,
Pilis, & Solth.*

SYNOPSIS.

<i>Prisci, regionis, incole: eorum conuersiones: Hungari, quando illapsi?</i> §. I.	<i>eius rei causse: qui hodie rerum potiantur?</i> §. VI.
<i>Hungarorum fata: lingua & mores: nobilium indoles.</i> §. II.	<i>Magistratus prouincie, olim penes reges erat: Supremorum Comitum primus: Franciscus Veselény: Paulus Eszterházy: Nicolaus Pálffy.</i> §. VII.
<i>Germanorum diuersitas: ingenium.</i> §. III.	<i>FRANCISCVS STEPHANVS, Lotharingia & Barri Dux: diploma Cesaris.</i> §. VIII.
<i>Slau, qui? eorum occupationes: mores & indoles.</i> §. IV.	<i>Prouincialium congratulationes: Regis ad eos littera.</i> §. IX.
<i>Dalmatarum, & Thracum: lingua: instituta.</i> §. V.	
<i>Nobiles prisci, pauci superant:</i>	

§. I.



Non est opus, priscos prouinciæ incolas, operosius indagare. Diximus de iis sepius. Iam, recognouisse isthic sufficiat; quemadmodum Comitatus nostri, cis, & ultra Danubium, siti sunt; ita illi quidem regioni, antiquis temporibus, *Pannonies*, citeriori huic, *Lazyges Metanastas*, dominatos fuisse. Et *Pannonies* quidem, *Romani*; hos *Gothi*; istos *Hunni*; *Hunos* iterum *Gothi*, subegerunt:

dum emigrantibus, qui successerant, *Longobardis*, *Auares* subirent; atque *Maharensibus* profligatis, *Hungari*, seuum genus, donec sensim mitesceret, illis regionibus potirentur. Hæ, vterioris plagæ conuersiones fuerunt. *Lazyges* citeriores, tametsi post *Dacos* victos, late coloniis deductis, *Romani* veteres infederunt; *lazyges* tamen, nisi limi-

Prisci, regionis incolae?

Prisci conuersiones?

limitancos, non potuerunt sub potestatem mittere, ob vagas & incertas sedes. Posteriori ætate, multa cum iis, Imperatoribus Constantinopolitanis, fuit dimicatio, quando, vel *Quadorum*, & *Marcomannorum* signa sequuti, infestabant, vteriore ripa, Romanos; vel suis ipsorum auspiciis, prædas, in latino solo, agebant. Nondum prorsus exinaniti fuerunt, cum *ATTILA*, flagellum illud orbis, post reges Hunnorum alios, regionem peruaderet, faceretque sibi obnoxiam; quinimmo, regiam quoque, in *Metanastarum* campis, poneret. Dignus lecta est, *OTROKOCIVS (a.)*, diligentissimus, originum Hungaricarum scriptor, qui de regie *ATTILAE* situ, præcunte *PRISCO RHETORE*, egregie commentatus est. Post occasum *Attilæ*, illic quidem *Gothi*, hinc *Lazyges*, fortunam hucusque *Hunnorum* sequuti, caput extulere: dum adessent *Hunno-Auares*, regione, vtraque *Danubii* ripa, potiti. Hos, vbi subegit *CAROLVS M.* pessum ire visa est *Auarum* respublica, nisi eam *Hungari*, ante illapsi, excitati autem postea, ab *ARNVLPHO*, iure quasi possidimii, instaurauissent. Iam tum vero, *CAROLI M.* temporibus, prouidentia Cesaris, Christiana religio, passim in gente barbara, propagabatur. regionem *Germanis*, iuxta & *Abaribus*, mixtim habitantibus. Deinde *Hungari*, diu auersati religionem *Christianam*, dederunt per Europam interiorem, permultum cladum, dum mitigarentur vltimo, subirentque *CHRISTI* fugum, eo mansuetius, quo dux & auctor iis contigit pientior. *GEYSA* is fuit, *S. STEPHANI* pater. quem nunc nominauisse sufficiat. Ab eius ætate, prouincias hæc, flos gentis Hungaricæ incoluit, vsque ad *Tartaricæ*, & postea *Mohácsianæ* cladis, tempora. Tunc vero, *LYDOVICO II.* indigno casu sublato, regnoque, inter *IOHANNEM* & *FERDINANDVM*, diuiso, Turcæ late, regionem, occupatam, libere quidem plebi *Hungaricæ*, habitandam excolendamque, permiserunt; sed, quod primo illo impetu, agrestes, non minus, quam nobiles, partim ferro deleti, partim translati sunt aliorsum, regnacula exinanita incolis, annis *CLX.* genuit sub iugo *Turcico*; fieri aliter haud potuit, quam, vt post exturbatos *Turcas*, nouæ colonie prouinciam excolerent. Itaque, *Slau* primum, *Sueui* & *Francones* postea, tunc collecti passim *Hungari*, aduenerunt. Hæc est ratio, cur *Hungaricæ* vicorum nomina, in *Germanica*, aut *Slauonica* abierint. *Rasciani*, iam tum *STIGISMUNDO* imperante, occupauerunt insulas. id quod propterea adponimus, vt luculentior fiat, earum historia. Sed videamus, singularum nationum, quæ iam prouinciam colunt, mores & indolem.

§. II.

HUNGARI, reliquæ sunt, gentis olim pessundatæ, sed fere col-
lectæ aliunde. Nam, ex teterrima illa clade *Mohácsianæ*, pauci superauerunt. Et fuissent licet plurimi, non potuerunt tamen

Tom. III. D men
*) Parte I. Cap. IV. §. 1. seqq.

Hungari, quando illapsi?

Hungarorum fata?

lingua & mores:

men non, tot acceptis, illatisque cladibus, ultra modum adteri. Linguae dialecto paullo sunt duriore, quam quae trans Tibiscum obtinet, & trans Danubium. quod non vno exemplo doceremus, si id intellet lectorum. Nec industria, cum gente reliqua, poterunt comparari. Nam, quem a maioribus acceperunt, viuendi modum, cum retinent; distinguere temporum vices, & decori leges, fere ignorantes. Alioqui, contenti paruo, diuitiis non inhiant, satis habentes, si tantum adsit, quantum vitae sustentandae, pendendis tributis, & alendo militi, sufficiat. Pecorum educatione, quod ita fert regionis indoles, quibus modus est, maxime oblectantur. Qua ex re, aliqui, modici tamen, fiunt reditus. Hospitalitati student, patrio more. Accipiunt scilicet viatores, vbi desunt tabernae diuersoriae, & lubenter, & liberaliter. Non est pridem, cum, quos in hospitium admiserunt, his pedes ante abluerent, quam se in somnum darent. quem iam ritum, siue delicatius seculum, siue causae aliae, antiquasse videntur. Amant societatem adhuc, & concordiam, neque laceffunt quemquam, nisi prouocati. Religionis, in qua nati sunt, tenaces adeo vidimus, vt, & in connubiis, & in cura liberorum, ei constanter inhaerint. In litteras haud incumbunt, nisi qui sunt erectioris animi, legendi, scribendique gratia. Agrestium hi mores fuere. Nobiles, excelso sunt animo, & prisca decoris studiosissimo. Olim, cum Turcis immixti degebant, multae & hi austeritatis fuere: quam pulchre iam permutant, cum seculi elegantia. Enim vero, non edificant modo fastose, sed viuunt etiam laute, & pro facultatum modo, amiciuntur decore. Venatum, in praecipuis exercitiis habent, tamquam simulacrum bellicae virtutis. ceterum, rei familiaris egregie sunt curiosi.

nobilitatem indoles.

§. III.

Germanorum diuersitas:

ingenium.

GERMANORVM, magna est diuersitas. Nam, quot sunt familiae, tot differunt patriis. Alios *Austria, Tyrolis & Styria*, alios submisit *Francia, Sueuia* item, *Rhenique regio*. Sunt, qui rude, ex militia, donati, confederunt, agriculturae, & rei familiaris dediti. Nusquam hi magis proficiunt; neque enim morbis, quos accusant exteri, obnoxii sunt, & vitam ducunt, sic satis commodam, cum laborum, expensarumque fœnore. Praeter agri, vinearumque studium, quaestus aliquid rustici facere sunt adfecti: quibus quidem curis, pulchre conualescunt. Addiscunt *Slanicam* non minus, quam *Hungaricam* linguam; matrimoniis tamen, cum neutris facile, nisi postulante necessitate, miscentur. Liberi eorum, in *Hungaria* se natos gaudent: suosque, parentum natalibus, longe praeferrunt. Ergo, linguas, cultum, moresque regni vernaculos, leti amplectuntur; nisi, quod sit, arceantur a parentibus. Alioqui, vellitus, qui in *Austria*, heic etiam obtinuit. Mixto enim, ex Germano & Hungarico, habitu, amiciuntur. Sed hospitalitatem metiuntur vtilitate; quod Hungarorum

garos etiam alienat, a laudatissimo maiorum suorum ritu. Eum illi morem, secum, ex patria adtulerunt, ideoque auaritia, atque inhumanitatis, a suis quoque, in primis, qui diuersis praesunt, accusantur. Ceteroquin, viuunt legibus, & consuetudinibus regni, conformiter: quippe qui, vehementer adfectent bonorum ciuium nomen. Si quas, de *Germanis*, querelas, quae in vulgo, & frequentes sunt, & quandoque inhumanae, audiunt; has, extra modum exaggerant: gloriam, ea re, aucupantes apud *Hungaros*.

§. IV.

SLAVI, consimili disparitate, ex aquilonaribus regni partibus, confluerunt. Itaque, sicuti pro diuersitate Comitatum, vnde profecti sunt, variant, ita singuli suum, quem adtulerunt modum viuendi, loquendique, sectantur, & aliis alii, argutius verba faciunt. *Germanis* non cedunt solertia, vtilitate omnibus, etiam *Hungaris*, fatentibus heris ipsis, anteponuntur. Sunt, qui praeter agriculturam, boario mercatu, lucelli quidpiam capiunt. id quod, *Hungarorum* faciunt imitatione. Par est, & domuum, & vestium ratio. *Hungaros* certe, quam *Germanos*, diligunt magis; quorum lingua, multi, tamquam vernacula, vtuntur. Et, quia pluribus in locis, mixtim, cum *Hungaris*, habitant, nubunt etiam promiscue, & liberos, vtriusque linguae dialecto, adsuefaciunt. Ob eamque rationem, hinc *Hungari*, illinc suam *Slavi*, dediscunt, & quae praeualet, colloquiis adhibent. Foecunditate generis, antecellunt *Hungaris*, atque, vbi semel posuere sedes, ita breui inualescunt, vt sementis ritu, satos, non natos crederes. Coloniae, ante hos viginti, aut triginta annos, positae, ita iam domestica pube increuerunt, vt nouas iterum colonias, tamquam apes examina, possint deducere. Quidquid eius sit; amant heri *Slanos*, vndecunque confluentes: quod, & solerter, atque opinione celerius, instruunt vicos, & agricolationi, magna virium contentione, vacant. Vastitatem in iis *Hungari* damnant; nos animorum illam mobilitatem, qua fit, vt lubenter sedes nouas quaerunt. Alioquin, & hisce oris, natura sunt hilares, solentque operi rustico, inter choreas & cantus, vacare. Ebrios diceres, ita illi, & tunc latum quidpiam modulantur, cum maxima indultia, in opus incumbunt. Nuptias agunt, magna hilaritate; funera contra, cum planctibus, ultra modum sonoris. Paucis: retinent morem patrium, dum possunt.

Slavi, quid

eorum occupationis:

mores & indoles.

§. V.

DALMATARVM etiam, non plane nulla colonia est. Cum *Thracibus*, & *Bulgaris*, huc primum delati, diu, ritu graeco viuabant. deinde, *Romano-Catholicis* reduniti, iam religionem eam

Dalmatarum, & Thracum:

profitentur quidem, sed agunt tamen moribus *Rascianorum*. Lingua etiam, multis modis, eis est similis. *Dalmata*, scilicet *Carni*, *Croatae*, *Serui*, quos & *Rascianos* dicunt, *Slavi*, *Bohemi*, *Poloni*, *Russi*, & *Tartarorum* pars quaedam, non sermone, sed dialecto, differunt. Leui, hi nostri, opera, & sparsim, domos ædificant; habitacula non maiora faciunt, quam quæ exiguum spatium, furno, & binis scamnis, intermittant. Iisdem insident interdum, noctu incubant. Socordiam gentis damnant, qui eam experimento cognorunt. Solum, quod essi optimum tenent, negligunt tamen proliis, quasi tributariam haberent naturam, quæ id, quod satis ad vitam est, cogatur sufficere. Certe, non excolunt magis, quam quod vitæ, cum molestia, ducendæ, sufficiat. Idcirco, haud magni habentur ab heris: quippe quos, in fucorum numero censent, qui sunt, frugibus consumendis nati. Par & *Tiracum*, quos *Rascianos* vocamus, plebs est. Hi, a *Dalmatis*, vix quidquam differunt. Vitam, partim agricolatione, partim mercatura sustentant, opificisque. Aediculas struant humiles; in his, a fronte, tabernas opificum ponunt. Viri, habitu Hungarico, sed cum discrimine gentis, promissiore paullum, vtuntur. Longior, scilicet iis tunica est, pileus ruber, pellicula caprea, nigri, & subtilis pilii, circumductus: pedem foccus, & pero, apud lautiores, sandalium regit. Suppar etiam feminis cultus est: vtuntur enim veste *Hungarica*; caput vitta amiciunt, faciem, candido peplo, collotenus obnubentes, vt nihil, præter oculos, & modicam genarum partem, adpareat. Id, in sponsis præcipue animaduertas. Hæ enim, quum primum domum, a sponso ducuntur, tota obtubuntur facie. Pudicitia, gens nulla, dedita magis alia. Mortem oppetere malunt, quam venere illicita, pollui. Ab ea, vt præseruentur, operis, & ieiuniis, corpus; animum, seuera religione, dstringunt. Ingenio pollent, bono; sed sine cultu. Legere & scribere, si didicerunt, a reliquis studiis se abstinent. Sacerdotes ipsi, præter lectionem, addiscunt nihil. Eiusmodi simplicitatem, in summa virtute ponunt. Sermo, linguæ *Dalmatica*, & *Slanica*, multum accedit; sed non parum etiam differt: quippe, ex vtraque simul mutuantur aliquid, aut miscent. Multum retinent a *Turcis*, in significatione externæ humanitatis: nam, & pari corporis submissione, maiores se, venerantur; &, quod adfirmare volunt, manu, barbæ, & si hanc non alant, pectori admota, adleuerant. Cibis haud luxuriant; sed legumine, & carne, leui, ac parabili modo, cocta, vescuntur. Iniiciunt frustatim carnes in cacabum, indunt cepas, & cuminum, salitasque, incoquant aquæ, eandemque cibi speciem, in maximis collocant deliciis. Ieiuniis, nihil magis commune ipsis. Tertia vix anni parte, carnes adponunt; reliquum tempus, abstinentia, a lautioribus ferculis, transmittunt. Panis, legumina, olera, plerumque oleo pinguefacta, raro pisces, atque hi etiam sole durati, & aceto excocti, oua item, & exiles cibi alii, vitæ, quomodocunque tolerandæ, sufficiunt. Hac morum au-

steri.

steritate cum sint, vafricitiei tamen, & dolorum, in commerciis arguuntur. Sunt, qui eos non dubitent cum *Iudæis* conferre. At enim, non id facile dixerim. Tametsi enim adrenti sunt ad rem, sciuntque rationes suas, magna adcuracione, subducere; tamen, *Iudæorum*, in consecrando lucro, iniquitatem, ipsi abominantur. forte, quia *figulus*, *figulum* odit.

§. VI.

Nobilium, qui olim prouinciam illustrabant, pauci hodie superant. Fas est autem existimare, si alios Comitatus, hos profecto, summis viris floruisse. Quo enim quisque, nobilitate, atque opibus, magis antecelluit; eo cupidior fuisse censendus est, ad testificandum regi, nihil non se, eius causa velle suscipere. Qua propensæ, in regem, voluntatis significatione, siebat, vt *Buda*, & *Pestini*, non minus, quam in circumlita regione, frequentissimi proceres, nobilesque, sedem sigerent. quod ex ruderibus, arcium & castellorum, passim adparentium, facile est ad condocendum. Itaque, eo pronius fuit, exinaniri nobilitate prouinciam, quo maiori impetu, & feritate, hostes, in regiam, & circumpositam huic regionem, saucierunt. Primam, in nobilitate stragem, hac quoque ora, rusticum, illud, *Cruciatorum* bellum, duce *Georgio Székely*, anno MDXIV. edidisse, certum est. Diserte *ISTVÁNYVS (b.) Georgius*, inquit, quod diu occultauerat, plenum, diu facinoris, consilium, pectore exprorsit, nefariisque armis, in nobilitatem versis, agrestibus in eam, prout cuique animus ferebat, omnibus crudelitatis & scuitia modis, grassandi, & debacchandi, licentiam concessit. Nec mora: in *Buda*, & *Pesti*, suburbanis, nobilium domos, magno impetu, ex improviso, inuadentes, spoliare, incendere, & obuios, ex eorum numero, quosuis, exquisitis tormentis cruciatis, interficere ceperunt. reliqua. Prælusio hæc fuisse putanda est, maioris, acerbiorisque cladis, quæ annis postea XII. quemadmodum vniuersæ patriæ; ita prouinciæ nostræ, inflicta est. Præterquam enim, quod flos nobilitatis, qui regem *LVDOVICVM II.* in bellum sequutus fuerat, concisus ad *Mohácsum*, protritrusque fuit; illahente in prouinciam *SOLYMANNO*, tantum cædium perpetratum, captiuorumque abactum fuit, vt, vel sola tantorum malorum recordatione, conficiamur. Hæc est illa memorabilis, simul & miserabilis, *Mohácsiana* clades, inquit *ISTVÁNYVS*, qua antiquum gentis decus, floremque nobilitatis & militie, ac quidquid virium habebamus, vna, eaque furestissima dimicatione, prostratum, amisimus. His ergo malis, vel deleti penitus, vel reiecti aliorum, nobiles, vacuam, post se, regionem reliquerunt. Enim vero, ex tanta nobilitatis, & procerum, frequentia, prohi dolor! pauca admodum superant familiae, quarum maiores, perpetua isthuc sede, olim coluerunt. Iam, late per prouinciam, dominantur: Princeps *EVGENIVS*; Comites *Pálffii*,

Nobiles pri-
sui, pauci
superant:eius rei
causa.

D 3

Eszter-

b.) Lib. v. p. 67. 15.

Eszterházi, Kohári, Zichii: *Barones*, Laffertii, Szárazii, Popouitfii, Szeleczkii, Ortzii, Grafalkouitzii; *Nobiles*, Beniczka, Bohuffii, Irfaii, Kandoii, Farkasii, Magótfii, Podmaniczki, Pronaii, Rádaii, Ujfalufii. His adde, *Colocsiensem Archiepiscopum*, & *Præsulem Váczienfem*: vt sacros ordines alios, sicamus.

§. VII.

*Magistratus
provinciae,
alios penes
reges erat:*

Magistratus provinciae, olim penes Regem fuit. Itaque, conciliis provincialibus, aut, ipse praesidebat, aut per Budenses *Castellanos* moderabatur. Hi, quidquid opus fuit, litteras praecipue, & decreta, nomine Regis, expediebant. Quemadmodum vero primum, duae tantummodo, *Pilienfis*, cum *Pestienfi*, provincioe, unitae fuerunt; ita, hae solum, praesidio regis potiebantur; *Comites* certe, & *Vice-Comites*, creare, non habebant necesse. Ita, anni MCCCCXCII. lex (c.): *Sicuti & quemadmodum haecenus, Pestienfis & Pilienfis Comitatus, ex quo prope Budam sunt, Comites non habuerunt, sic, nec in futurum Comites habere debeant.* Ergo, vicem Comitum, *Iudices Nobilium* praestabant. Res nos admonet, vt verba legis (d.) recitemus: *Ex quo duo Comitatus Pestienfis & Pilienfis, Comites, vel Vice-Comites non habent, Iudices Nobilium, in iisdem constituti, ipsam reedificationem, cum potioribus Nobilibus, facere & exercere possint.* At enim, ne plus iusto, *Iudices Nobilium* sibi tribuerent, cautum eodem comitio fuit, in haec verba (e.): *De duobus Comitatus, Pestienfi & Pilienfi, illud additum est: quod, ex quo ipsi duo Comitatus, eorum libertatis prerogatiua requirente, Comites inter se habere, non consueverunt, vt inter ipsos quoque ordo obseruetur; ordinatum est; quod Vniuersitas illorum duorum Comitatum, singulis annis, ad locum sedis iudicariae, alias consuetum, conueniant, ibique tempore electionis Iudicum Nobilium, certos, ex potioribus nobilibus eligant; cum quibus, iisdem Iudices Nobilium, vniuersas & singulas causas, instar aliorum Comitatum, Comites, vel Vice-Comites habentium, iudicare, & iudicium factum, executioni debita demandare valeant, atque possint.* Postquam vero, provinciam Albæ Regalis, Turcæ corripuerunt; *Sedes* quoque *Solthenfis*, *Pestienfi* coadunata fuit (f.). Iunctim ergo postea provincioe tres administrabantur, *Supremorum Comitum dignitate Palatinis* delata. Iuuat legis verba (g.) adscripsisse: *Status & Ordines, benigna sua Maiestatis resolutioni, & Articulis, centesimo, anni MCCCCXCII. & vigesimo, ac vigesimo quarto, anni MCCCCXCV. inhaerentes, decernunt; vt Comitatus PEST, PILIS, & SOLTH, iuxta antelatas constitutiones, in suo antiquo iure conseruati, officium Supremi Comitatus eorundem Comitatum, penes Dominos Comites Regni Hungariae Pala-*

c.) Decreto Vladislai 1. art. C.

d.) Anni MCCCCXCV. Art. XX.

e.) Eodem Decreto, Artic. XXIV.

f.) Vid. MAXIMILIANI DECRET. III. ART. LII.

g.) DECRET. I. LEOPOLDI, ANNI MDCLIX. ART. LXXVI.

tinus, modernum & futuros; a quibus alias etiam post amissam Budam, cessante, in ipsos, supremorum eiusdem ciuitatis Budensis castellanorum auctoritate, in peragendis supremorum Comitum functionibus habuissent, dependentiam, vna cum sigillo authentico, specialiter iisdem comitalibus collato, de facto maneat & relinquatur. Primus ergo, & summus Comes, vnitatum provinciarum, FRANCISCVS VESELENI de Hadad, fuit. *Veselenio*, inter nouarum rerum molitiones, anno MDCLXVII. *Neosolii* mortuo, tribus fere lustris, *Palatini* dignitas, & cum ea, *Supremi Comitatus* Comitatum nostrorum honor, vacabat: dum anno demum MDCLXXXI. *Sempronienfibus* comitiis, *Paulus Eszterházy*, magna Regis, & ordinum consensione, surrogaretur. Tunc vero, redintegratis magistratibus, id vnum, ad felicitatem provinciae defuit, quod *Buda* Turcæ dominarentur. His tandem, anno MDCLXXXVI. operosa obsidione, atque cruento adfultu, deiectis, Comes Palatinus, primam Comitatum congregationem, sub tentorio, cum provincialibus, egit, & quidquid erat, priscorum in Comitatu administrando, munetum, ex legum praescripto, communibus nobilitatis suffragiis, instaurauit. Illuc, *Verlein*, *Vice-Comes* creatus, delecti *Iudices Nobilium*, & adfessores, nihilque ommissum, quod ad reuiuifcentis provinciae incrementa, adtinere putabatur. Annis, plus triginta, summa cum laude, *Comitatibus* moderabatur PAVLLVS, iam tum anno MDCLXXXVII. S. R. I. Principis axiomate, a LEOPOLDO M. insignitus. Vt, summus vir, anno MDCCXIII. viuere desiit; vacauit aliquantisper *Supremorum Comitum* dignitas, dum, anno sequente, quem *Pisonienfibus* comitia, & inauguratio ELISABETHAE, nobilitauerant, haud quidquam cunctatus CAROLVS, electum ab Ordinibus, *Comitem Nicolaum Pálffy*, *Palatinum*, simul & *Supremum Comitem Comitatum, Pest, Pilis & Solth*, esse iuberet. Mirifica viri, in administranda provincia, moderatio fuit, vt perpetuos ei, magistratus illos, optauissent, quorum id intererat, nisi mortalitatis conditio, votis contraiisset. Enim vero, persoluit naturae debitum, anno MDCCXXXII. decimo Calendas Martii, cum annis octodecim, rebus praefuisset.

*Supremo-
rum Comit-
atum pri-
mus: Fran-
ciscus Ve-
seleni:*

*Paulus
Eszterhá-
zy:*

*Nicolaus
Pálffy.*

§. VIII.

Orbatos, supremo Comite Comitatus, infelices pene dixisses, nisi CAROLI id prouidentia, multo, quam vel sperare poterant provinciales, vertisset melius. Nimirum, Serenissimum Principem, FRANCISCVM STEPHANVM, *Lotharingia & Barri Ducem*, per vniuersam Hungariam *Locumtenentem* suum, Comitatum autem horum, *Supremum Comitem*, sapientissimo vsus consilio, instituit. Pretium opera fuerit, diploma, quo ea dignitas, a Caesare, adfirmata Duci est, prorsus adscribere: *Nos CAROLVS Sextus, Dei gratia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germania, Hispaniarum, Hun-*

*Franciscus
Stepha-
nus, Lo-
tharingia
& Barri
Dux:*

*Diploma
Caesaris:*

gariae,

garia, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Slauoniaque, &c. Rex, Archidux Austria, Dux Burgundia, Brabantia, Styria, Carinthia, Carniolia, Luxemburgi, Wirtembergae, & Theke, Superioris & Inferioris Silesia, Princeps Sueniae; Marchio Morauia, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritia &c. Memoriae commendamus, tenore presentium significantes, quibus expedit, vniuersis. Quod Nos, tum pro Regia, atque paterna nostra, qua in promotionem, & augmentationem boni publici, nec non fidelium subditorum nostrorum conseruationem, & iustitiae administrationem iugiter ferimus, cura, atque sollicitudine; tum vero, clementissimum habentes respectum atque reflexionem, ad praclaras, easque Regias sane animi dotes & qualitates, Serenissimi Principis, Domini Francisci Stephani, Lotharingia ac Barri Ducis, Aurei Velleris Equitis, nostri Regii per praefatum Regnum Hungariae Locumtenentis, consanguinei nostri charissimi, quibus ipsum Dei altissimi munere insignitum, atque ornatum esse, propria nostra experientia cognouimus; ac praeterea, etiam fidelia illa, eaque utilissima & cumulatifima, quae antenati eiusdem, signanter vero Auius, Serenissimi quippe Princeps Carolus, condam Lotharingia & Barri Dux, pluribus retroactis annis, & temporibus, generalem in praefato Regno nostro Hungariae exercituum Casareo-Regiorum commendantem agendo, & cum felicissimo armorum Casareo-Regiorum cura, & directioni sua concreditorum progressu, iuratum Christiani nominis hostem Turcam cedendo, atque profligando, ac demum, superis ita fauentibus, ex maiori, potiorique antelati Regni nostri Hungariae parte, ac ipsa quoque Transilvania propulsando, atque reprimendo, Augusta Domui nostrae Austriacae & sacrae praelibati Regni nostri Hungariae Corona, totique Reipublicae Christianae, summo infracti animi robore, & virtute heroica, non sine magno ipsius vita periculo exhibuisset, ac impendisset seruitia, clementer reuoluentes animo; officium, seu honorem Supremi Comitatus Comitatum Pest, Pilis, & Solth, articulariter vniuersorum, per mortem, & ex hac vita decessum, Spectabilis ac Magnifici condam Comitatus Nicolai Palffy ab Erdod, repetiti regni nostri Regii, de iure, & de facto vacans, prouisorio modo, & usque dum generalis Dieta memorati Regni nostri Hungariae, pro alterius Palatini electione, a nobis iudici & publicari possit, praelibato Lotharingia & Barri Duci, simul cum consueta officii huius iurisdictione, & prerogatiua, solitisque prouentibus, & emolumentis, clementer dandum duximus, & conferendum. Ita tamen, & ea conditione, ut praememoratus Lotharingia & Barri Dux, iuramentum fidelitatis Nobis seruande praestare, omnesque Status & Ordines praedictorum Pest, Pilis & Solth articulariter vniuersorum Comitatum, in iuribus, & libertatibus eorundem conseruare teneatur, attendatque insuper, & inuigilet, ut omnes & singuli prouentus Camera nostrae Regiae, de iisdem Comitatus, prouenire debentes, Nobis, & ad eandem Camera nostram fideliter administrantur; & quod mandata nostra Regia, tam ipsemet obseruet, quam ab omnibus aliis in iisdem Comitatus degentibus, obseruari faciat, inimicis nostris resistat, & cum amicis amicitiam

tiam seruet. Imo damus, & conferimus presentium per vigorem. Quo circa vobis fidelibus nostris vniuersis, & singulis, cuiuscunque status, gradus, & conditionis repetitorum Pest, Pilis & Solth, articulariter vniuersorum Comitatum Hominiibus, & Incolis, harum serie firmiter committimus & mandamus, quatenus a modo imposterum, praenotatum Lotharingia, & Barri Ducem, pro vero, legitimo, & indubitato istorum Comitatum vestrorum Supremo Comite, habere, tenere, & recognoscere, debitumque Ei honorem deferre, ac iudicio, & iudicatu ipsius adstare, in omnibus denique licitis, & consuetis rebus, ac negotiis officium hocce Supremi Comitatus tangentibus, iurisdictioni eiusdem parere, & obtemperare, modis omnibus debeatis, & teneamini. Secus non facturi. Presentibus perlectis, exhibenti restituti. Datum, per manus fidelis nostri Nobis sincere dilecti, Spectabilis ac Magnifici Comitatus Ludouici de Batthyay, perpetui in Nemeth Uroar, Comitatum Castris ferrei Supremi, & perpetui Comitatus, Szaladiensis vero Administratoris, Pincernarum nostrorum Regalium per Hungariam Magistri, Camerarii item, & Consilarii nostri, actualis intimi, nec non per antelatum Regnum nostrum Hungariae Aulae nostrae Vice-Cancellarii, in Thermit Carolinis, die vigesima, octaua mensis Iunii, Anno Domini, Millesimo Septingentesimo trigesimo secundo. Regnorum nostrorum, Romani XXI. Hispaniarum XXIX. Hungariae vero, Bohemiae & reliquorum Anno XXII. CAROLVS. Comes Ludouicus de Batthyay. Franciscus Palafthi. Haec tenus diploma,

§. IX.

Dici nequit, quanta prouincialium, non adprobatione modo, sed etiam laetitia, haec regiae voluntatis significatio, accipiebatur. Simul enim Comitatu, regis ex more litteris, intimatum est, ut Ducem, Supremum Comitem, in posterum haberent, nihil cunctati, nuncios, Pisonium mittunt, qui partim, novos Ducis honores, ex animo gratularentur; partim, testarentur etiam atque etiam, nihil sibi prius, antiquius fore nihil, quam ut, & Caesaris voluntati, ex animo obsecundent, & Ducem, omni, qua decet, obsequii testificatione, prosequantur. Accepti benigne, diem, qua capessendo ei magillratui, more maiorum, inaugurari vellet, praestitui sibi rogant. Designatae sunt Calende Octobres, quibus tota caelestis solemnitas, Pestini concelebraretur. Ita vero tunc res Ducis erant, ut non posset praesens, cerimoniam obire. Itaque, constituto, qui vices suas ageret, Pongratzio, a Comite Sigismundo Csakyo, Tauernicorum Magistro, in magna nobilitatis celebritate, Comitatu repraesentatus est. Regis, ad prouinciales litteras, istiusmodi fuerunt: CAROLVS. &c. Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item, & Egregii, Fideles nobis dilecti. Quoniam Nos officium seu honorem Supremi Comitatus Istorum Comitatum Pest, Pilis & Solth, articulariter vniuersorum, de iure & de facto vacans, Serenissimo Principi, Do-

Prouincialium
congratulationem
nos

Regis ad
nos litteras

mino FRANCISCO STEPHANO, Lotharingie & Barri Duci, Awei Velleris Equiti, qua constituto, per dictum Regnum nostrum Hungaria, Locumtenenti nostro Regio, Consanguineo nostro Charissimo, ita exigentibus praeclaris Ipsius animi Dotibus, & qualitatibus, simul cum cunctis huiusmodi Officii seu Honoris consuetis Iurisdictionibus, Prærogatiuis, obuentionibus, & emolumentis, tenendum ac possidendum, benigne dederimus & contulerimus. Ea propter, Vobis harum serie firmiter præcipientes committimus & mandamus, quatenus prælibatum Lotharingie & Barri Ducem, a modo impostero, pro vero, istorum Comitatum Vestrorum, Supremo Comite habere, tenere, & recognoscere, debitamque Eidem Reuerentiam, Honorem & Obedientiam exhibere, in omnibus denique licitis, & consuetis rebus & negotiis, officium Supremi Comitis concernentibus, Eidem parere & obtemperare, modis omnibus debeatis ac teneamini. Secus non facturi. Gratia in reliquo &c. Datum, in Thermis Carolinis die 28^{va} Mensis Junii, Anno Dñi 1732. Ita regiae litteræ habuerunt. Nos, qua sumus in rempublicam, pietate, rem omnem, ita cuenire cupimus, uti RECI, patriæ, & Duci optimo, bene vertat.

PARS SPECIALIS

DE

Processibus Comitatum Pest, Pilis, Solth.

PROOEMIUM.



Ota hæc vnitorum Comitatum regio, in prouinciolas, seu Processus Quatuor, diuisa est; puta: *Váciensem*; *Kecskemétensem*; *Pilisensem*; & *Solthensem*: dignos sane, quos adtentiore cura, atque studio emetiamur.

MEMBRUM I.

DE

Processu Váciensi.



Processuum primus est Váciensis, ab oppido eius nominis adpellatus. Pergit, vno latere, in orientem, ibidemque fluuio *Zagyva* finitur; altero in meridiem, vna cum *Danubio*,

nubio, procedens, *Pestinum* vsque procurrit, indeque reductus in orientem, facto, iuxta siluarum fines, anfractu, ad eandem *Zagyvam* redit, & regionem, maximam partem siluestrem, & dumosam, milliarium quinque longitudine, latitudineque, vbi maxime patet, complectitur. Definitur ergo, ab oriente fluuio *Zagyva*, qua regione separatur a *Iazygibus*, *Hevesiensi* item, nec non *Neogradiensi* comitatu, sed in septentrionem reducto. Tunc, in occidentem reuertitur iterum, terminaturque ibidem *Danubio*. At, vbi secundo amne, in campos diffusus est, a *Processu Kecskemétensi*, vicis, *Keresztur*, *Ury*, *Suly*, & *Samboko*, discriminatur. Varia ei terreni est facies. Nam, in aquilonem situs habet collinos, siluis passim obsitos. qui demum, quo intra *Zagyvam*, & *Danubium*, decurrunt profundius, eo mitescunt magis, & in dumos exeunt. Terrenum ei, partim sabulosum est, & sterile; partim tenax, & argillosum, difficulterque arabile; partim resolutum, ac pingue; sed hoc tamen rarissimum. Aquis abundat, quia hinc *Danubio*, illinc *Zagyva*, & per medium *Rákossó*, *Galgaque* & aliis crebrioribus riuulis, humectatur. Colitur regiuncula, qua est in aquilonem reducta, a *Slauis*; ab *Hungaris* contra, qua est in orientem & meridiem pronior. Diligentes vtrique sunt aratores, quique norunt edomare soli, quod nacti sunt, iniquitatem. Præter agros frumentarios, rus compascuum, & modicam pratorum portionem, vix quidquam colono suppetit. Siluas, heri pro se habent, vetantque lignandi facultatem. quod nisi facerent, promiscua cæde, id etiam, quod succreuit nondum, pessumiret. Ergo, carent materia rustici, nisi redimant. Præterea, etsi fatigant terram, vitis & frumenti cultura, parum tamen, vtriusque fructu, proficiunt, ob pretii vilitatem. Id quod, pauperes incolas, vicosque egenos reddit. Sed, mittamus hæc, & de *Vrbibus* huius *Processus* primo, de *Vicis* postea, quod ad rem pertinet, dicamus.

E 2

SE-

SECTIO I.

DE

Libera & Regia Vrbe Pestiensis, Processus
huius vnica.

CAPVT PRIMVM.

SIVE

Periodus Vrbe Hungarica.

SYNOPSIS.

Pesti antiquitas, ex Bonfinio:
situs ex Istvánffyó, de-
scriptus: Bonfinii sententia
examinatur: reicitur: fuit
tamen Romanorum colonia,
Transacincum dicta: Pesti
nomen, an sit Hungaricum?
auctoris sententia. §. I.

Vrbe, sub Attila incrementa:
fata, usque ad S. Stephani
tempora: inde, qua vsa,
sit fortuna? prima Pesti
apud scriptores, mentio. §. II.

Fædatur Tartarorum impres-
sione: quo tunc fuerit habi-
tu, docetur ex Rogerio:
& Nicolao Oláho: accepta
cladis malignitas. §. III.

Difficulus postea reparatur: re-
creatur sub Andrea III. ad-
fugitur a Wenceslao Bohe-
mo. §. IV.

Res Pesti, sub Otthone Bava-
ro: prima in campis Rákos
comitia: quantum ex eo ri-
tu, vrbi accesserit? §. V.

Caroli, & Ludouici erga
Pestum, benignitas: vrbe
post Budam nouam condi-
tam, incrementa: Sigis-
mundi, in eam propensio:
pontis lapidei molitio. §. VI.

Albertus, comitiis illustrat Pe-
stum: eo mortuo, Wladis-
lao Polono, fidem obstrin-
git: post Varnensem cladem,
Iohannis Hunyadi prouid-
entia: qua heic fuerint co-
mitiis decreta? §. VII.

Matthias Coruinus, in cam-
pis Rákos, in regem eligi-
tur: artibus haud omnino
aquis: Pestana plebis in
Matthiam propensio. §. VIII.

Quantopere, sub Coruino,
Pestum effloruerit? vrbe,
post Matthiæ fata, fortuna
iniquior: comitia ex Pesta-
nis campis, Budam transla-
ta: reuocantur iterum, pe-
culiari Ordinum sanctione. §. IX.
Anni 1505. turbulenta, in
campis Rákos comitia: eo-
rum

rum sanctio: ex Istvánffyó
recitatur. §. X.

Seruiliis belli, quod in campis
Rákos inuit, historia: eius
dux Georgius Székely:
quam maligna fuerit in-
dole. §. XI.

Vrbe, qua tunc fuerit fortuna?
decretum, in colluuiem,
bellum, Bornemilza exordi-
tur: agrestium clades. §. XII.

Taurini de eodem bello car-
men. §. XIII.

Wladislao mortuo, deteri cœ-
pit Pesti decus: anni 1523.
comitia, violentia plena: Ver-
bóczyi serocia: eius, ad
multitudinem, oratio: facta
Hatuanum, secessio: vlti-
ma, in campis Rákos, comi-
tia, anno 1526. regi Lu-
douico fatali. §. XIV.

§. I.



ESTVM, vrbiū Hungariæ facile ve-
terimum, si BONFINIO (a.) credamus, solertis-
simo antiquitatis, qua se dat occasio, adfecta-
tori. Pestum, in Buda noua conspectu situm,
ac Pesti Italici nomen quondam imitatum, & a
Pestanis fortasse militibus, vigente quondam im-
perio Romano, conditum. Et ex recentioris
ætatis habitu, ISTVÁNEFFYVS (b.): Pestum, situs ex Ist-
vánffyó do-
scriptus: quadrata forma oppidum est, in plano situm, &
Budam, altiori colli rupique impositam, interfluente latioribus ripis Danu-
bio, respicit: adeo, ut e Buda, in omnes planities partes, tormenta
vibrari possint, & nullus, meta eorum, locus vacuus relinquatur:
præter eam partem, qua ad portam, qua Agriam itur, adiacet, qua
obiectu oppidi protecta, & conspectus erepta, securior esse potest. Au-
daciter, & sine historiarum monumentis, vti pleraque alia, BONFI-
NIVS. Tametsi enim, luculenta, apud scriptores, Pesti, (ita enim
auctores) mentio habetur, in Italiæ designatione; tamen Pestanos mi-
lites, aut legionem, isthuc excitam fuisse aliquando, nusquam reperio.
Nempe, vrbs fuit Pestum, sinui cognomini adsita: De ea STRABO
(c): Picenorum auulsa particula quadam, eorum, qui ad mare Adriati-
cum incolunt, a Romanis traducta; ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τῆς Πικτίας, ἢ τοῦ ποταμοῦ
καλιῆτος. καὶ ἡ πόλις ἡ πικτιανία, καὶ τὸ ἐν πείρῃ τῆ ἀδριακῆς κρημνῶν, ad sinum Posidonia-
tem, cui nunc Pastano, & vrbi Posidonia, Pestum nomen est, in medio
sinu sita. Murum, Sybarita ad mare condiderant: habitatores autem
sur-

a.) Decade I. Lib. I. p. 4. 20.

b.) Libro xv. p. 249. 28.

c.) Libro v. in descriptione Italiae, p. 173.
37. Adde. PEINIVM Hist. Natur. Lib.
III. Cap. v. POMPONIVM METAM, Lib.
II. Cap. IV. p. m. 184. VELLEIVM

PATERCVLVM, Lib. I. Cap. XIV. 7. p.
101. editionis BYRMANNI. A rosarum
delitiis, VIRGILIO memorabilis, Ge-
orgicor. Lib. IV. 119. item OVIPIO
Lib. II. Pont. Epist. IV. versu 28. Sci-
licet, ager huius, rosas ferebat, Maio,
& Septembri, efflorescentes.

resistitur: *fuit tamen Romanorum colonia, Trans-acincum dicta:*
Pesti nomen au sic Hungaricam:
auferri sententia:
fata, usque ad S. Stephani tempora:

sursum commigraverunt: his Lucani postea, Lucanisque deinde, Romani, ademerunt urbem: morbosam eam facit fluvius, in proximo, in paludes diffusus. Hæc, illustrando BONFINIO, adscribenda erant, ut constet lectori, ad quos, urbis nostræ originem, ausus sit referre; Sybaritas nimirum, & nescio, quod genus aliud. Profecto male! Numquamne vero nostrum illud *Pestum* Romani incolere? Ita existimat CELLARIUS (d.) ponitque hæc *Transacincum*. Sunt, inquit, qui *Budam*, siue *Ofen*, *Acincum* interpretentur; *trans flumen, quod oppositum est, Pestum*, *Transacincum*. Id si est, sicuti esse potest, non caruit, iam tum præsidio Romano *Pestum*. Diserte, Notitia Imperii, præfectum legionis *Transacincum* imponit; & ante paulo, *Auxilia vigintum, Contra-Acincum, trans, in barbarico: quemadmodum legionis secundæ adiutricis, pars Acincum* erat. Atque, fuit omnino opus, contra *Iazygum* deserta, ripam, validis præsiidiis, communiri, ne Romanam provinciam, temere incurserent. Quidquid eius sit, *Pesti* certe nostratis, siue nomen, siue ipsa exordia, frustra a *Pestanis* Italiæ deriuaveris. LAZIVS (e.) vocabuli etymon, apud Hungaros quaerit: videamus, quam feliciter. *Attila*, inquit, ex *Datis* mouens, *Danubium*, in loco *Pesthe*, (cuius etiam nomen traiectum, in lingua Hungarica, sonat,) traiecit. Nescio, quis id insulurraverit LAZIO, *Pest*, Hungaris traiectum significare. Ignorat lingua nostra, eam nomenclationem; namque, traiectum *Rév*, dicimus. Itaque, aliunde repetatur adpellationis origo, iuxta & significatio. Equidem, ita reor, *Jazyges Metanastus*, qui aduersam *Pannoniis* ripam, usque ad *Tibiscum*, colebant, loco nomen dedisse; tunc forte, cum deletum *Trans-Acincum*, in solitudinem abiit, quam illi *Pusst*, seu, dialecto eius ætatis, *Pusst* (f.) hoc est, *desertum* locum adpellarunt: vnde Hungaros, *Pest* fecisse exillimo. Nam, ut a *peste* urbis nomen deriuem, non possum a me impetrare. Sed hæc nemini obtruduntor.

S. II.

Per
 Credo autem, post infellam, ab ATTILA, Sicambriam, inualuisse, ob traiectus frequentiam, rudus *Trans-Acinci*, ad copiosam urbis modum, retinuisse tamen *Pussti*, seu *Pesti* nomen. Neque fieri poterat aliter, in ea, commeanantium vltro citroque multitudine. Postea, eadem *Pesti*, quæ Sicambriæ fata fuisse, ex vicinitatis habitu, conici potest, quæ iam nihil adtinet vestigare. Dubiam vero habuisse fortunam, usque ad S. STEPHANI tempora, nemo temere fuerit inficiatus. Nam, & pulsus ATTILAE filius, & prostrigatis a CAROLO M. Abaribus, non potuit non, iisdem calamitatibus, foedari. At, regno ab Hungaris constituto, atque religione Christiana,

d.) Notitiæ Orbis Antiquæ, Lib. II. Cap. VIII. p. 559.

e.) De Reipubl. Romana, Lib. XII. Sect. II. Cap. XII. p. 1123.

f.) Ita hodieque *Slaut*, inter *Dranum* & *Sauem*, colentes, quin & *Dalmata*, in multis vocibus, & u, legunt tamquam II, more Gallico.

inde, qua uita sic seruata:
primo Pesti apud scriptores mentio:
quo tunc fuerit habitata, docetur ex Rogerio:

per gentem barbaram, propagata, excitabantur passim vrbes, hospitibus, ad eas colendas, ex Italia, Germania atque Bohemia, inuitatis; quod ex decreto S. STEPHANI alibi monuimus. *Pestum* certe id meruit, sub ipsa regni Hungarici exordia, ut in (g.) liberis regisque vrbibus, referretur, subessetque *Magistro Tanernicorum*. Sed, coniectatu facile est, lenta eius fuisse incrementa, ob temporum perpetuas conuersiones, quibus, mortuo S. STEPHANO, affligebatur Hungaria. Non modo enim, non poterat efflorescere regio, cum ABA, atque PETRVS Alemannus, infestis armis, mutuo se lacerarent; sed ibant etiam *pestum*, quæ pietissimi regis prouidentia, passim insigni profectu, fuerant excitata. Neque, toto seculo undecimo, fortuna urbis erat mitior, quando ANDREAS quidem, credibus Christianorum, sequuti autem reges, fraterno bello, miscuerunt Hungariam. Atque, tunc quidem *Geyza*, cognomento magnus, tributum *Pestiense*, nauulum (h.) fuisse reor, *Budensi* ecclesie, quam construxerat, adtribuit. Ita THURÓCZIVS (i.): *Rex, inquit, Geyza, fundauit ecclesiam etiam Budensem, cui constituit tributum de Pesth, & tres villas in Simigio, ac ornamenta pretiosa.* Prima hæc *Pesti*, quod sciam, mentio est, apud Hungaricos scriptores, oppido fausta, quia in re sacra adhibita. Frequenter postea, *Pestum*, nominari legas, sed funesto propemodum euentu.

S. III.

Pedagogy Tartarorum inuersione:
 PRIMUS, qui urbem memorabilem fecit, *Tartarorum* incurfus fuit. BELA IV. rerum potiebatur, cum anno MCCXXI gens sanguinolenta, Hungariam subito inundauit. Multitudinis, in euastanda regione, feritatem, illatas cædes, & propagata, quaquauorsum, incendia, non est huius loci edisserere. *Buda*, primo, postea *Pestum*, campus Martius fuit, ubi rex, suas, iuxta & procerum, copias, statuit coadunandas. Rex, inquit ROGERIVS, (k.) de *Strigoniensi, & Albensi ciuitatibus, quæ ad unam tantum diatam (l.) distabant, exercitu congregato, confestim transiit Danubium, & in magna & ditissima Theutonica villa, quæ Pesth dicitur, Buda opposita, ex altera parte Danubii, moram traxit: suos ibidem cum exercitu expectans, principes, comites & barones.* Aduertat hæc lector, & magnam, & ditissimam, & *Theoticam* villam, *Pestum* dici, quod, adtinet sane ad urbis commendationem, ac plane conducet, multo tunc *Buda*, non incolis modo, valentior fuisse, sed etiam opibus.

Pro-

g.) Vide, WLADISLAI Decretum VII. Articulum III. & Operis Tripartiti, Parte III. Tit. VIII. & XIX.

h.) Nam, & BONFINIVS Dec. II. Lib. IV. p. 220. II. *Posthanna* uestigalia, nominat.

i.) Chronici Hungarorum, Parte II. Cap. III. p. 61, 39. Certe, ante GEYSAM,

nulla *Pesti* habetur mentio. Adde BONFINIVM, Dec. II. Lib. III. p. 215, 7.

k.) De Destructione Hungariae per Tartaros. Cap. XVI. p. 183. editionis Wechelii, quæ connexa est, cum chronico Thuroczii, p. 183, 28.

l.) Vnius iter dici uoluit diuere.

et ex Ni-
colao Olá-
ho:

Proinde, constat sibi, NICOLAI OLÁHI (m.) quam in Hungaria sua, retulit, Pesti descriptio: *Pestum, ciuitas, ad orientem Danubii ripam, e regione arcis Budensis, conspicitur, micribus, in latum orbem circumdatis, Danubio utrinque compacta: incolis partim Hungaris, partim Germanis frequens, & ex utraque parte, longis suburbis, insignis, vinis exoticis, non Syrmicis modo, iisque optimis, (atque perinde ac Cretica sunt) dulci sapore praestantibus; sed & Baranianis, Somodianis, & alterius generis; praeter haec, mercaturis omnis generis est celebris. Mercatorum magnus est eo concursus: Poloni, Silesiae, & pleraeque exterae nationes, in ea vina mercantur. Ager illius arenosus, steriliusque, nullius frumenti magis, quam peporum, rapae, & raphani minoris, ferax. Non ergo male ROGERIVS, magnitudinis, atque opulentiae laudem, vrbi circumposuit: vtrumque autem, a Germanis habuisse, eo minus ambigendum est, quo magis constat, vrbes Hungariae, plerasque omnes, Germanorum fuisse colonias, cum artibus aliis, tum mercatu potissimum, sustentatas. Sed, ad Tartarorum impressionem illam redeamus. Victo, ad amnem Sajó, BELA rege, frater suus COLOMANNUS, e conflictu, fuga Pestum euasit. Dux COLOMANNUS, inquit ROGERIVS (n.) direxit, per aliam partem exercitus, suum iter, die nocteque in equis plurimis, usque ad dictam Pestum; non per viam publicam, per quam Hungarica natio lubricabat; sed per deuinum, laxatis equorum habenis, ad portam (o.) Danubii festinabat. Et quamquam a (p.) Burgensibus rogaretur, ut morulam faceret, quousque saltem pararentur naues, ad transitum dominarum vxorum illorum; teneri tamen non potuit, nec ad id induci. Dicebat enim, quod de se quilibet cogitaret. Aduentum enim persequentium metuens, solus confestim transiit, & fugit in Simigium, ad quendam locum, qui dicitur Fegued. Et licet Burgenses cum familia, ad transitum festinarent; prius tamen superuenerunt Tartari, & qui non fuerunt in Danubio suffocati de Burgensibus, exstiterunt gladio interempti. Ergo, funestus, & vrbi, & ciuibus, fuit Tartarorum hic furor. Via certe, quae e campo illo Martio, Pestum, fugientes ducebat, constrata cadaveribus, foedataque cruore fuit, ultra, quam credi possit. Et vrbs quidem fortuna, tunc illiusmodi fuit.*

§. IV.

Difficiliter
postea repa-
ratur:

Difficile erat ab ea calamitate, ad florem urbem reuocari, quando, & ciuibus exinanitam, & ita diminutam aedibus fuisse constat, vt, toto eo tempore, quo per Hungariam grassabatur

m.) Vide Dissertationem Paralipomenicam rerum memorabilium Hungariae, P. MARTINI SZENT-IVANY p. 29. Et, ADPAKATVS nostri, ad Historiam Hungariae, Decadis I. Monum. I. Cap. X. 3. II. p. 18. Polonii, A. MDCCXXXV. folio, ex MSC. 10.

n.) Loco cit. Cap. xxviii. p. 188, 13.

o.) Traiectum intelligit Pestensem, & iterum, & frequentem in primis.

p.) Germanico vocabulo, in latinam terminationem, uertito, ciues Germanos sic vocat.

tur Tartarus, rarus fuerit, non oppidum: quippe quod, traicientes huc atque illuc holles, affligebant, quoties libido incessit effertum animum. Postea, reparata temporum felicitate, vrbs quoque, viuo adhuc BELA, reparari coepit; retinuitque eundem fortunae tenorem, sub STEPHANO; at sub LADISLAO Cumano, noua impressionis Tartarica formidine, perturbabatur. Formidinem dico; eo quod, euastata hactenus regione omni, Pestum tamen contemnerare nequiverunt hostes: siue, ob munimentorum validitatem; siue, quod a praesidio tenebatur, acri atque peruiigili. Diserte THYRÓCZIVS (q.) Tartari, inquit, anno Domini MCCLXXXV. secunda vice, intrarunt Hungariam, & usque Pestum, vniuersa miserabiliter combusserunt. Alioquin, plena calamitatum, sub LADISLAO fuisse omnia, ex eodem THYRÓCZIO addifcas. Tempore istius regis Ladislai, cepit Hungaria a sua magnifica gloria reflecti: caeperunt enim in ea intestina bella consurgere; CIVITATES CONFRINGI; villa, per combustiones ad nihilum redigi; pax & concordia penitus conculcari; diuites deficere, & nobiles rusticari, pra inopia. Proinde, vix credas, ea tempestate cepisse incrementi quidpiam Pestum; quin iam, existimare possis, venisse in partem maiorum, quae tunc afflictabant Hungariam vniuersam. Casu, a Cumano, LADISLAO, ne coniectura quidem adsequare, quomodo se res Pestensium habuerint. Id rimanti, sic obuium, non potuisse non, conualescere sub ANDREA Veneto, magna, oppido sollicitudine, vrbiu commoda procurante. Vt is e viuis excessit, diuersissima procerum, in deligendo rege, studia, turbaram permultum dedere. Buda certe, & Pestum, tantum inde accipiebant detrimenti, quantum, vix ab hoste metui poterat. In primis, urbem Wenceslaus senior, rex Bohemiae, metu percussit, & damnis adfecit ingentibus, cum anno MCCCIII. filium cognominem, nuper Hungaris in regem datum, recepturus, valido cum exercitu, illuc accessisset. Narrabimus rem, verbis DVBRAVII (r.) Nuncium, inquit, a filio accipit, WENCESLAUS, nuntiantem, quanto in discrimine sit ipsius res, CAROLO emulo, denovo regno imminente, nisi per tempestiuum in Hungariam aduentum, parens subueniat. Non moratur filii votum pater, coaequoque rursus sortis exercitu, magnis itineribus, ad oppidum Pestum, Danubio, a Buda direntum, superuenit, positisque castris, eodem loci, unde hostes meta aufugerant, mittit Budam ad filium, ei iniungens, ne Danubium traiciat, neue in conspectum parentis appareat, nisi coronatus illa corona, quam Hungari sanctam vocant. Nam, si pro sancta habetur, impie agere omnes, qui per impia arma eam violarent. Adfentientibus, qui aderant, proceribus, iussa obit filius, albatraque corona, illam capiti accommodat suo, & ita demum ad osculum & complexum parentis venit.

Tom. III.

F

Wen-

q.) Parte II. Cap. LXXXIX. p. 79. BONFINIVS, Decade II. Lib. VIII. p. 305. 8.

r.) Historia Bohemica, Lib. XVII. extremo p. 152. Adde AGNEAM SYLVIVM,

Hist. Bohem. Cap. XXVIII. p. 137. 24. THYRÓCZIVM, Chron. Parte II. Cap. LXXXV. p. 82. BONFINIVM, Decade II. Lib. IX. p. 314. 47.

recreatur
sub An-
drea III.

affligitur
Wences-
lao Bohem.
mo.

Wenceslaus parumper coronam contemplatus, seponi illam iubet, quasi diligentius paullo post consideraturus. Nec deinde illam Hungaris restituit, pretendens futura pericula, si illa, vel amitteretur, vel per vim ab amulo interciperetur. qua tantum momenti secum traheret, ut ibi regnum Hungariae esse putaretur, ubi corona sancta deposita iaceret. Ita illam non solum, verum & filium secum in Bohemiam asportauit; Patermanno Buda relicto, qui praefecturam, velut antea, tum arcis, tum urbis gereret. Hæc Dubravius. Gemina, tunc, adfluctu calamitate, Pestenses fuerunt. Altera, communis vniuersæ Hungariae fuit, quando sacrum regni diadema, in primam omnium captiuitatem, in campis suis, rapti a Wenceslao, vident; altera, urbi peculiaris: quippe quam, diffugientes, metu aduentantis Bohemi, nudam praesidio, relinquunt Hungari, expositam postea iniuriis, quæ sunt illius modi tempestatibus familiares.

§. V.

Res Pesti, sub Otthone Bauaro:

Intercessere inde, OTTHONIS Bauari tempora, infesta adhuc, acerrima æmulatione, quæ ei cum CAROLO fuit. Non est opus conuersionum, quæ tunc, & multæ euenerunt, & reipublicæ noxiæ, historiam contexere: Pesti nobis cura præcipua est, quemadmodum se tunc habuerit, cum susque deque ferrentur omnia. Venerat in Hungariam, Gentilis, tituli S. Martini in montibus, Cardinalis Presbyter, uti, iussu pontificis, Hungaros expugnaret, induceretque ad CAROLVM, regio diademate, redimiendum. Abiit annus, dum pertentatis animis, reperit, auersari plerosque Hungarorum CAROLVM, & malle, vltima quæque experiri, quam cum regem salutare. Ergo, uti retunderet obstinationem, fulmen in Hungaros, sacri profanique ordinis, qui ausint contraire CAROLO, culbrat, aqua, igni, sacris omnibus, quin & sepultura, interdicit. Et valuit omnino seuerum edictum, ut, quos suasiones haud poterant, diræ emollirent, traherentque in sententiam Pontificis, atque eorum procerum, qui habito, anno MCCCXVIII. comitio, CAROLO eligendo adsenserant. Spectantes, inquit BONEINVS (s.) hæc sibi interdita commoda, Hungari, sine quibus, nemo fidelium, vitam recte sancteque transigere potest, & cadaueribus passim sepulchra inhiberi, aque commoti omnes, regalia in campo comitia, quem Rákos (t.) circa PESTVM adpellant, vno consensu haberi oportere, censuerunt. Quo, postquam omnes optimates, nobilesque conuenere, cum decuriis conuentuum, quos Comitatus adpellant, cunctis suffragiis, ac mira concordia, CAROLVM regem creant, & octavo, post D. Stephani solemnia, die, in Alba regali, sacro diademate, quod Ladislaus Vajuoda paullo ante reddiderat, anno trecentesimo decimo, supra millesimum, ex more, coronant. Prima hæc, quod sciam, & campi Rákos, & habitorum isthic comitiorum

i.) Decade II. Lib. IX. p. 317. I.

s.) Male, apud BONEINVM, Rákon; atque

peius multo, apud THYRÓCZVM, loco cit. Cap. XXXIX. Raptus legitur.

tiorum regalium, mentio est; ideo curiosius adnotanda, quod non vna, ex hoc, regum in Pestanis campis eligendorum, ritu, urbi nostræ facta est accessio. Certe, ad loci celebritatem, vix vlla res plus valuit. PETRVS RANZANVS (u.): Eo, inquit, est is locus, apud vniuersos Hungaros, fama inlytus; quod in eius agro eligi reges Hungariae consueverunt. Quo enim tempore eligunt sibi regem, fieri solet, toties regni, & optimatum, & capitum populorum, conuentus, adeo frequens, ut numerus conuenientium saepe excedat, summam octoginta milium armatorum hominum, quorum pars maxima, equis vehuntur. Et, quod est admiratione dignum, nihil vlli deest, quod ad victum abunde pertineat. Cogitatu facile est, non potuisse non, hanc nobilitatis Hungaricæ frequentiam, multis subinde comitiis huc excitam, urbi, non decus modo, sed opes etiam conciliauisse. Coibant, autem isthic ordines, non tantum eligendorum Regum, & Palatinorum gratia; sed tunc etiam, cum erat disputandum, quod ad publicam regni salutem, in primis adtinebat.

quantum ex eo ritu urbi accesserit?

§. VI.

Qui successerunt, reges optimi, CAROLVS, & LVDOVICVS, ea fuerunt bonitate, non minus, quam sollicitudine, ut acceptum a maioribus regnum, & augustius redderent, & urbibus cultius. Exstant eius clementiæ monumenta, cum vniuersim, tum per vrbes Hungariæ singulas, diplomatibus expressa. Pestum vero, inane fuisse relicto, ab his, regis benignitatis significationibus, exillimabimus? Equidem, eo minus id, ut credam, inducor, quo magis pronum erat, positam, in obtutu regis Budensis, urbem, reges, etiam inuitos, ad beneficentiam inuitare. De CAROLO I. res dubitationis expers est: quippe qui, ut regios redditus constitueret, reuocaretque ad annuas tabulas, urbiurum curam, in primis suscipiebat. Neque degener LVDOVICVS filius, in locupletandis urbibus, quidquam fecit residui. In Pestano certe monte, Budam nouam, anno MCCCCLV. exorsus condere, id honori urbis nostræ addidit, ut in eius postea agro, sed quem Budenses limites circumscribebant, reges degerent. Atque, pertinuit omnino, hæc regum vicinitas, ad urbis incrementa, quando, quos nouæ illie sedes, ex aduentantibus optimatibus, capere non poterant, Pesti hospitabantur. Proinde, & primorum, & ciuium numero, non secus frequentabatur Pestum, tamquam si regia esset. Et fuit etiam quandoque, cum animi causa, Buda, isthuc demigrabant Reges. Id SIGISMVNDVM subinde facitasse, cum edita in vrbe diplomata, tum beneficia, quibus ornauit Pestenses, hodieque loquuntur. In his referas, nundinarum solemnia, quæ heic instituit SIGISMVNDVS. Anno id MCCCXCV. euenisse, TIMON (v.) auctor est, qui

Caroli, & Ludouici, erga Pestum benignitas:

urbis, post Budam nouam conditam, incrementa:

Sigismundi, in causâ propensio:

F 2

ad

ii.) Epitome Rerum Hung. Indice I. p. 207. 39.

v.) Synopses Nouæ Chronologiae Rer. Hung. P. II. p. 53.

Ladislai, fratris Matthie, consilii, prospectarent, labascere animis, neque iam metucere, sed trepidare incipiunt: maxime, quod concretus gelu Danubius, si quid hostile moliri vellet Szilagyus, Pestum & Budam, pontis instar commiserat. Digna res est, quam BONFINIUS (a.) verbis referamus: Quarto Idus Februarias, ubi MICHAEL, Pestum intrauerat, in sequenti nocte, praeter omnium opinionem, sauitia frigoris, Danubius, plane constitit, & glaciali se pavimento, cunctis, tuto calcandum, dedit. Aduersarios prospectabant, numero, armis, equis, & animo, longe superiores, ut exitus ostendit. Quin etiam, Coruina factionis multitudo ingens, superato Danubio, Budam venit, ut vi coactos, qui Buda erant, in comitia deducerent. Metum hunc, MICHAEL interceptit: nam, edicto suo, comitiorum libertatem promulgauit: crebris, qui Buda erant, internunciis, omnes, data fide, in comitia traxit. Hactenus recte. Quae sequuntur, abhorrent, cum ab liberorum comitiorum indole, tum a iuribus, quibus eligendi regis facultas, apud Hungaros, definitur. In medio deinde campo, inquit BONFINIUS, quando plures in comitiis dies acti sunt, furcas, lamariamque mensam, proposuit, graui edicto, quicumque MATTHIAE suffragia reddere, recusarent, praesentaneam mortem, interminatus est. Quo quidem tetro spectaculo, non parum aduersarii consternati, extinctam suffragiorum libertatem, quamuis agere ferrent, quere tamen haudquaquam audebant, ne ea mox audire ac pati cogerentur, quae multo grauiora forent. His nimirum machinis, extorta, in MATTHIAM, suffragia fuerunt. Quid, quaeso, ageremus Hungari? si iam istiusmodi ritibus, agerentur comitia? Adeo tunc, libertatis obtentu, grassabatur licentia: siue id Ordinum culpa fiebat, siue eorum duritie, qui rebus moderari gestiebant. Quomodocumque, de electione sentias, MATTHIAS certe, in iis regibus censendus, suo merito est, qui non tam humanis suffragiis, quam peculiari numinis consilio, sublecti sunt. Pestum, egregie, de nouo rege, meritum est; quando & anticipauit suffragia, & non inani augurio, quantus futurus sit MATTHIAS, praesagebat. Omne Hungaricum vulgus, verba sunt THURÓCZU (b), latus civitatis per plateas, deambulans, puerorumque catus, hinc inde turfitans, loquebatur, & alta voce clamabat: MATTHIAM VOLVMVS ESSE REGEM! HVNC NOSTRA PRO TVTELA, DEVS ELEGIT! HVNC QUIDEM ET NOS ELIGAMVS.

S. IX.

EFFloruit postea, MATTHIAE benignitate, Pestum; quod ille, non modo praecipuis iuribus, donauit, sed aedificiis quoque, iuxta & viridariis, atque secessibus aliis, percoluit. Non ergo a vero aberrant, qui Pestum, sub MATTHIA, opibus atque cultu, maxime conualuisse, autumant. Incurfabatur ab Hussitis, magno, agri circum-

a.) Decade III. Lib. IX. p. 506. 39. & LXIII. p. 171.

THURÓCZIVS Chron. SIGISMUNDI Cap.

b.) Eodem loco p. 172, II.

artibus
haud omni-
nu equis:

Pestans pler-
bis in Mat-
thiam pro-
pensio.

Quintopere
sub Coruino
Iosium ef-
floravit:

fusi, intertrimento. Hos ille, partim ductu, partim auspiciis, longo, & operoso bello, auerruncavit. Meminit calamitatis non minus, quam victoriarum MATTHIAE, dum eius bella recenset, BONFINIUS (c.) postea Bohemi, inquit, qui initis inter se societatibus, quas Fratrias adpellabant, duce Giscra, uniuersam vltioris Hungariae plagam, latrociniis, & populationibus adsiduis, sic infestam plane reddiderant, ut ne domi quidem, nedum foris, tutus quisquam esse posset. Quin, & suburbana PESTI, quotidie incurfabant, dissipabantque: summum, Bohemicae praesidia, a noua Buda prospectare licebat. Diuturnum fuisse malum, ex eodem BONFINIO (d.) condiscas: Annos circiter octo & viginti, pestis ista, in vltiore Hungaria debacchabatur, uniuersam regionem, ad PESTVM vsque, latrociniis infestam, facinorosa multitudo plane reddiderat. Iohannem Coruinum, bis ibi suum fugatumque fuisse scripsimus. Nemo tanti fuit, qui funestam gentem extirpare, & hac regnum labe, praeter Matthiam, purgare potuisset. Itaque, tanto maius fuisse beneficium existimandum est, quanto plura erant atrocioraque mala, quibus MATTHIAE hac virtute, exonerati sunt Pestenses. At, post excessum Coruini, mirum, quam inclinare coeperit, non decus modo, sed & fortuna Pesti. Tamesi enim, Urbanus, Pontifex Agricensis, & patrum, ea tempestate princeps, ex Senatus-Consulto, destinata, eligendo regi, comitia (e.) isthic edixit; magnaque, ea, exterorum non minus, quam domesticae nobilitatis celebritate, anno MCCCCXC. Idibus Maii, inierunt; tamen, quod diuersissimis studiis, dislinebantur Ordines; nescio, decoris ne plus, an doloris, inde ad Pestum, redundarit. Postea, languente, naturae quodam vitio, rege WLADISLAVO, non potuit non, in gente libera, diffundi cacoethes, deteri vrbes, & ad occasum prona fieri (f.) omnia. Primo enim, vetusta illa comitiorum celebritas, e Pestanis campis, Budam (g.) transferri coepit. Quocumque id consilio factum a WLADISLAVO; nam metu fecisse, non existimari; res erat, non minus cum Pesti detrimento, quam offensa Statuum atque Ordinum, coniuncta. Hinc fluxit comitiorum, anni MCCCCXCVIII. sanctio illa, articulo primo, designata: Quod a modo, infra quatuor annorum spatia, post sese immediate consequenterque affutura, singulis annis, ad festum S. Georgii Martyris, uniuersis regnicolis, tam scilicet Prelatis, quam Baronibus, ceterisque Nobilibus, & possessionis hominibus, per Regiam Maiestatem, in campo RAKOS, una congregatio generalis, indicatur & celebretur; celebratio autem huius congregationis, in quindecim diebus, expleatur, reliqua. Neque caruit successu, ea Statuum rogatio: quippe quam, & Rex, ipso actu, celebra-

c.) Decade III. Lib. IX. p. 519, 48.

d.) Ibidem p. 524, 6.

e.) Legis, comitiorum historiam, apud BONFINIUM Dec. IV. Lib. IX. initio.

f.) Ordinum querela extant, apud IST. VANFFIUM, Lib. III. initio. Tunc ortum credo Hungarorum illud, que-

rum proverbium: *Mozbáte Mátyás Király, oda van az igazság.* Id est: *Mortuo Matthea, disperit iustitia.*

g.) Anno scilicet MCCCCXII. Cal. Februarii, rex concilium Buda frequentissimum indixit, BONFINIUS Dec. V. Lib. III. p. 702, 7.

lebratis, in campo *Rákos*, anno MD. ad prælitutum diem, comitiis, ratam habuit; & Ordines, noua lege (h) redintegrandam, adfirmendamque voluerunt. Diserte *Josephi* decreti (i): *Datum in campo Rákos præarrato, quindecimo die, diei congregationis nostræ generali prænotatæ, Anno Domini Millesimo quingentesimo.* Atque ad hunc modum, campo *Rákos*, & quam is circumfedit, urbi *Pestensi*, comitiorum reddita est celebritas.

§. X.

Anno
1505. tur-
bulenter in
campis Rá-
kos, comi-
tiis

IN primis, turbulenta fuere, anni MDV. comitia, isthuc, a *Wladislao*, coacta. Disputationum initium, a *Moravia*, *Silesia*, & *Lusatia*, ductum. Nobilitatis enim Ordines, eas prouincias, a *MATTHIA* rege, imperio Hungarico, ex sacrosancta Romani Pontificis auctoritate, armis acquisitas, auelli, ac Bohemiarum coadunari, ægerime ferebant, *WLADESLAVI*que, serio, nec sine tumultu, vt pactorum fidem seruaret, admonebant. Is vero, vti erat solitus, preces, querelasque, tametsi æquissimas, desidiola taciturnitate excipiebat. Quæ res, vti offensæ locum dedit, apud Ordines, ita, origo fuit malorum, quæ postea, & pace, & bello, adflixerunt Hungariam. Enimvero, cum Nobilitas, summam sibi, & reipublicæ, iniuriam fieri existimaret, nec in præsens aliter rebus consulere posset, frequens, in tabernaculum amplissimum, publico concilio destinatum, confluit, ibique, collatis omnium votis, & suffragiis, decreuit: *ne in posterum, ullo unquam tempore, si rex Wladislavus, absque hærede masculino decederet, alienæ gentis & sanguinis regem, sibi deligendum proponerent*: addita atroci denunciatione, vt, qui contra hanc legem fecissent, eorum bona fisco addicerentur, ac ipsi, liberique, & posterum eorum vniuersi, aut capti, præsentissima extremi supplicii poena, plecterentur, aut mitterentur in exsilium, morte ipsa molestius. Hanc legem, *Thoma Bacacio*, S. Martini in montibus Cardinale, Archiepiscopo Strigoniensi, iam Roma reuerso, atque aliis decem episcopis; quadraginta senatoribus, qui magistratibus fungebantur; nec non centum octoginta proceribus, & quamplurimis ex equestri ordine, præsentibus, nec quoquam contradicere auso, latam, *Stephanus Verböczius*, regni prætor, eloquens, sed factiosus vir, statim publicauit, reipublicæ conseruandæ prætextu, vt aiebat; re autem vera, vt *Iohannis Zapoliani*, Comitum Scepusiensis, iam pridem, regnum adfectantis, ambitioni, libidinique, viam aperiret. Aderant alii quoque, eiusdem factionis alleclæ, Transilvani, in primis Saxones, & Siculi, qui magno consensu adplausuque, legem promulgari, sublatis clamoribus, iubebant; si qui contra disserent, iis vim cædemque, & extrema

h) Anni eiusdem Articulo I.

i) Idem, & in sequentium annorum decretis legas, quæ edidit *WLADESLAVUS*:

ultimo illo, quod anno MDIV. *Buda* conceptum signatumque est, excepto.

quæque intentantes. Decretum etiam est, vt in omnes Pannoniæ tractus ac regiones, quæ centenarium numerum excedunt, exemplaria huius *Senatus Consulti*, (sic quibusdam adpellare placebat) descripta, sub sigillo, Comitum *Petri de S. Georgio*, generalis regni iudicis, qui magistratus, post Palatinum, secundus, & longe amplissimus habetur, primo quoque tempore, mitterentur; ex quibus adhuc complura, etiamnum, existere (*), in comperto habemus. Hæc *ISTVÁNFEYVS* (k.) cuius verba, malimus adhibere, quam nostra ipsorum oratione, in re commemoranda, vti.

§. XI.

ATrociora sunt, quibus, maleficio *Georgii Siculi*, cognomento *Dosa*, ager *Pestanus*, foedatus est. Vt rem, in vulgus notam, compendio exhibeamus, locus postulat. *Thomas*, Strigoniensis Præsul, & Cardinalis, Romam, conscio Rege, abierat, vt a Summo Pontifice, suppetias, aduersus Turcas, impetraret. Lente, apud effectum, & proximum morti *Iulium*, res succedebat; siue, quod exhausto esset arario; siue, quod rerum humanarum pertæsus, vasa ipse colligebat. *Eo fatis functo*, id quod volebat *Thomas*, facile a nouo Pontifice, *Leone X.* impetrauit; diplomata nimirum, quibus vniuersorum criminum venia, perscribebatur his, qui voluntariam, aduersus Turcas, militiam, sequerentur. Simul, Roma rediit Cardinalis, in eam curam incubuit, vt legationis fructus, in Hungariam non minus, quam vniuersam rem Christianam, redundaret. Ergo, Rege adito, & senatu sanctiori coacto, rem, quam esset, indulgente Pontifice maximo, ocepturus, expromit. Non defuere, qui contrairent Cardinali, damnarentque militiæ genus, prisca temporibus, exitiabile Hungariz. Sed, qua erat in persuadendo, & eloquentia, & auctoritate *Thomas*, facile, vt adiret, regem induxit. Proinde, promulgata (l.), pro sacris concionibus, militia, concurrere plebs, & ad *Pestum*, *Varadinum*, *Colocsam*, atque *Bácsiam*, in globos & agmina, certatim coire. Nondum mensis, post edictam criminum veniam, abierat, cum in agro *Pestano*, plus, quadraginta mille conuentæ aderant, spem, primo obtutu, felicitatis successus, eximiam, de se facientes. Duce opus erat, qui inconditæ multitudini, & armorum insuetæ, moderaretur. Hunc ergo, cum sollicitus quæritat *Thomas*, nescio, quo fato, *Georgius*, quem diximus, ei se obicit: vir, & manu fortis, & promptus consilio, qui tunc, ob editum, singulari pugna, aduersus Semendriensem præfectum, insigne facinus, præmia a rege expectabat. Simul is, delatam præfecturam accepit, atque sollempni, in ecclesia, ritu, inauguratus, purpureaque cruce notatus,

Seruilis belli, quod in campis Rákos inis, historia:

nisi dux, Georgius Székely:

Tom. III.

k) Libro xv. p. 52, 30. seq.

*) Est idem, in nostris Adparatibus.

l) Falsè, non minus, quam eleganter,

G

signum

PAVLVS IOVIVS, rem omnem expromit, *Historiarum sui temporis*, Lib. III. p. m. 494. seqq. vnde sua depromit *ISTVÁNFEYVS*.

signum sustulit, non iam concurrere, sed confluere multitudo; ut necessum haberent nobiles, reprimere plebem, ne, relictis agris, militiam sequeretur. Id quod offensæ, quam aduersus nobilitatem, malevolentissimo animo concepit *Sicutus*, caput fuisse, apud omnes constat. Ergo, arma, quæ *Thomas* in Turcas parauerat, in nobilitatem vertit, agrestibus, ad grassandum, igne ferroque, frena laxat: tanta peruersitatis obstinatione, ut, sub ipso Regis obtutu, *Pesti* hinc, illinc *Buda* suburbia, nobiliumque domos, improviso impetu adoriri, diripere, & manus *Chrilliano* sanguine, foedare, nihil dubitaret. Scilicet:

quam magna
hinc fuerit
indole.

Promptus ad omne nefas, cunctorum lerna malorum,
Thesaurus scelerum, gestusque, artemque nocendi,
Edoctus, violare fidem, sensusque minaces,
Cognatam & sicto fraudem pratexere visu,
Ita ingens, furor atque ingens, ingentibus ausis
Illi animus, fastuque tumens, ambibat honores
Supremos, quem continuo, imperiosa cupido
Omne agit in crimen, non hunc reuerentia diuum,
Non amor aut pietas charorum certa parentum
Vlla mouet, mediocre nihil sperabat, & omni
Plenus nequitia, lucrique cupidine flagrans,
Aurea non vni *Pactoli* stagna rubentis,
Non *Tartesiæ* tempestas fulua lapillis
Orta *Tago*, nec opes *Cræsi*, nec *serinia Cræsi*
Sufficerent; quia aurifera decoctor arena
Semper egenus, inops, furtis & viuere rapto,
Acrior *Euryyno*, nece peior, tristior orco,
Qui vitio alterius nigrum prafigere *Thita*
Nonit, & integros odus turbare sodales.
Quod si tale usquam monstrum transacta tulissent
Secula, *Pyrithon* *Theseus* pertasus, *Orestem*
Odisset *Pylades*, uno prognatus eodem,
Dimidiumque sui spreuisset *Castora*, *Pollux*.

Ita *STEPHANVS TAVRINVS* (m), hominis, in omne scelus proni, characterem cecinit. Et quid vero sperare possis, ubi hæc vitiorum monstra, religionis obtentu, sacratis armis, multitudinis concursatione, præmunita sunt? Nempe, rapinas, cædes, incendia, & quod ab orco proficisci potest, maleficii reliquum.

§. XII.

Urbis, qua
tunc fuerit
fortuna?

Quæ vero tunc *Pesti* fortuna? obsessum, a maleficientissima colluione, credidisses. quod eo plus opprobrii habebat, quia prospiciente *Buda* Rege, atque proceribus, factum. Disper-

m.) *Stauromachia* Lib. i. versis 49. seqq.

sperito enim exercitu, cum *Laurentium* quidem sacerdotem, facem tubamque malorum, *Batschiam*; *Barnabam* vero, eiusdem ordinis virum, *Agriam*, ad colligendas illinc cohortes, ablegat; ipse, iter *Szegedinum*, cum valido exercitu, ingressus; *Ambrosium Saberesium*, ciuem *Pestianum*, cum tribus legionibus, in iisdem ad *Pestum* castris, reliquit, atque, ut illa muniret, & arma in omnes partes ostentando, ac prædas agendo, metum & formidinem circumferret, in mandatis dedit: ne quid de suis consiliis, a rege & nobilitate, sciri certi posset. sicuti auctor est *ISTVANIIVS* (n). Hæc, sub obtutu regis fiebant, damante, at serius, consiliorum suorum ratione, *Cardinale*. Ergo, post longam cunctationem, bellum, aduersus nefarium genus, decernitur, cui *Iohannes Bornemisza*, magni animi senex, moderaretur. Is vero, coacto, sine mora, exercitu, *Danubium* traicit, acceptisque, intra agmen, *Budensium*, & *Pestiensium*, cohortibus, castra, ad suburbia ponit. Mox, *Paullum Tomoraum*, quem sibi legatum adsciuerat, ad pertentandos hostes, cum equitum ala, dimittit. Ipse, cum reliquo exercitu, subsequitur. Atque, fuere sane, in magna expectatione, Rex non minus, quam proceres, quomodo, in ea rerum perturbatione, casura esset expeditio, quam, non tam consilio susceptam videbant, quam necessitate. Præerat perduellium castris, *Ambrosius*, cuius *Pestanus*, vir neque ambitiosus, neque turbulentus. Nondum is, pugnae signum dederat, cum agrestes, ferri in *Tomoraum*, & sublato clamore, pugnam cedere. Quos tamen hic, quippe rudes belli, facile repressit, captiuus, ad *Bornemisza* missis, ex quibus de hostium consiliis cognosceret. Cum instat fugientibus, *Ambrosium*, instructa, ritu militari, acie, explicatisque signis, obuium habet. Ergo, prius quam pugnam iniret, *Ambrosii* non minus, quam militum animos, tentandos ratus, si forte ad sanitatem reduci possent, caduicatos mittit, perduellionis veniam, regio nomine, liberatiter pollicetur, si positis, extemplo armis, & facta, a seditionis, dextrorsum secessione, ad officium redierint. Nec mora, *Ambrosius*, qui non peruerso animo, sed religionis causa, crucem sumserat, militem, *Bornemisza* verbis adloquitur, noxæ impunitatem offert, ac, ne in suam ipsorum perniciem, imprudentes ruerent, grauitè admonet, utque exemplo præret cohortibus, cum his, quos ipse ductabat, dextrorsum secedit. Erant, qui sequerentur *Ambrosium*; sed neque desuere, qui obstinatis animis, prælium deposcerent. Quo viso, *Bornemisza* classicum cani, atque displois curralibus tormentis, quæ in prima acie ductabat, agrestes terreri; *Tomoraum*, cum leuis armaturæ equitibus, impressionem facere, iubet: ipse, quadrato agmine, hostem adoritur. Non tulere nostrorum impetum agrestes. Nam, dum ruptis ordinibus, ingens, in prima acie, cædes editur, qui post principia stabant, in fugam effunduntur. Pressit fugientes *Bornemisza*, atque ingenti peditum mul-

decretum,
in colluio-
nem, bel-
lum *Bor-
nemisza*
excitatur.

agrestium
ciades.

G 2

titu-

n.) *Libro v. p. 67, 36.*

titudine deleta, cum ad *hsaszegum* ventum esset, receptui canere iussit. Castra, quae carris munita fuere, capta sunt direptaque: captiui, pars naso & auribus mutilata, ut tribulibus exemplo essent, dimissi; pars ad supplicia adseruati sunt. Ad hunc modum, triduo fere bello, *Pestum* non minus, quam *Buda*, & qui ei, cum proceribus inerat, rex *VLADISLAVS*, metu ac sollicitudine, exempti sunt.

§. XIII.

Taurini,
de eodem
bello car-
men:

ALiter paullo, & pro more poetarum, exaggeratius, bellum hoc *Pestianum*, *TAVRINVS* descripsit. cuius sane carmen, dignum est, quod heic legatur; quia eiusdem illius aetatis est, neque, eruditissimis viris, satis cognitum. Ita vero habet:

Est locus e regione situs, cognomine PESTVM
Colle minor celso, tumulis prouectior altis.
Hic circum apricos campos cereale papauer
Nascitur, & variis hortensia munera pomis
Spargit humus, flagrant leporaria regia flore,
Flore crocum tenero, cultis innascitur hortis.
Isthic ruricole sua passim castra locabant.
Praecipiti in ripa rursus tentoria figunt
Regni acies, longas crispantes cominus hastas.
Tempus erat flagrans rabido cum Sirius astro
Cornigerum Aegocoron, cancrum quoque comp. . . Zona
Percutit, & medium signorum interfecat orbem.
Ecco meris gaudens undis, Absstemius, Hummi
Quem Bornemisza adscito cognomine dicunt
Egregia genitus fuerat de stirpe Baronum,
Promiturus magnam paruo de corpore vocem:
En! ait, arctois rigidoque sub axe, pruinis
Hic, ubi lunatum Chyron serus exerit arcum,
Cingimur in gladios, & ad incunabula nobis
Mores patrum, stricta vestes, nec fluxa per armos
Velamenta sedent, longam sinuata per oram:
Nam male ventosis manibus depellitur hostis,
Audendum est hodie, pro libertate parentum,
Pro patria & nobis, pugnandum Marte secundo.
Extremum ferri superest opus, omnis in armis,
Seruilis belli claudenda est visque metusque.
Omnia fortuna parent, fortuna tenentur,
Fortuna pereunt, aiunt dixisse poetam:
Res hominum fragiles, alit, & regit, & perimit fors,
Sors incerta quidem, sed quos preblanda fouet spes,
Spes mortale bonum, pro muro audacia habetur.
Gloria non minor est, nomen seruare patrum,

Quam.

Quam quiesse nouum: nostra exitus acta probabit.
Dixerat, & flammis animis flagrantibus addit.

Tum plebe de media vir profuit vnus, aperta
Fronte, ducem tali compellans (o.) voce, precantes
Nos, (modo da veniam) plebeia extrusit in arma
Széklius, inuiti bellum hoc, partesque timore
Fecimus, is penas luat aquas, illius vnus
Pro multis detur caput, improba & indigna rerum
Pauperies, inimica probatis moribus, istud
Istud in bellum seruile suo nos turbine traxit:
Quare da veniam, viduos permitte penates,
Et sobolem, & thalamos, atque orphana pignora, notas
Desertasque casas, dulcesque reuifere amicos:
Humus enim patria est alieno clarior igni,
Si merita culpa suprema pericula semper
Indulgent, modo flecte animum, sensusque minaces
Tenne, & oberatis errata ignosce maniplis.
Marety sua quemque domus, nostrique nepotes
Improba vitabunt dari certamina Martis.
Disperat tandem bellum seruile, nec unquam
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit
Rusticulis regnare vacet, vel sceptrum, vel vrbes,
Nolumus, herbosos, curioso vomere, campos
Scissuri, varia stipabimus horrea fruge,
Et sata innocemus resolutis semina glebis;
Bis demis, sua vota Deis, quibus agricolum res
Coram est, soluemus, nec delirabimus unquam:
Cote, nigras iterum scabra rubigine falces,
Exesosque situ veteres splendere ligones
Cogemus, censusque graues, velligal iniquum,
Et nauum, fenusque vorax, numerabimus, & TE
Laudibus atherum super extollemus Olympum.

Quis credat, supplice hac oratione, haud permoueri potuisse, *Bornemisza*: quippe qui, & belli rationes, & plebis inconsulta studia, atque actus praecipites, vnus omnium, qui circum regem erant, penitissime intropexit. Arma credo, citius, quam ipsi agrestes, posuisset, atque promulgata venia, clientum loco habuisset, infelicem multitudinem. Pergit poeta:

Hunc contra Ianus (p.) verbum est sermone notandum:
Sero Phryges sapiunt, quem sero pernitet, idem
Haud vacat a culpa, vos penas crimine dignas,
Vulcano, crucibus, sudibusue, rotisue luetis.

G 5

Vix

6.) Fingatur haec a poeta; aliter enim rem habuisse, supra, auctore *LAVANS-PRO*, meminimus.

7.) *IOHANNES BORNEMISZA*, expeditionis dux: nam Hungaris, *huus*, dicitur *Iohannes*.

Vix hæc, irato, trucique vultu, & oculis, vindictam minantibus, dixisse ducem, cum

*Confestim madidas tibicen adflamine buccas,
Toruaque bellisonis, complebat cornua bombis.
Nec mora, stentoreo pugnam clamore minantis
Signiferi, longa ventrem transuerberat hasta,
Quam plaga impatiens forti comprehendere dextra,
Nisus, fraxineum perfregit robur; at heros
Vagina eductum capulo tenus abdidit enssem,
Pulmonem, mediumque iecur traiecit, ut alius
Illius, & fractæ patulo de vulnere costæ
Conciderint, fuso maculantes sanguine terram.*

Velitationem fuisse credas, quæ pugnam antecesserit. Nam, prælium, magna vtrinque initum ferocia, sic canit:

*Vtraque fulmineo concurrunt agmina motu.
Sernilis metus hos, libertas incitat illos.
Pugna grauis, bellumque tenax, cunctique feroces,
Missilibus telis, cecidit pars maxima vulgi,
Nigraque perpetuo clauderat lumina somno.
Vngula quadrupedum multorum colla peremit;
In geminas partes, hic unco scinditur ense;
Hos sub equis, illos campis, adfixerat hasta.*

Hæc, præliis communia sunt, propomedum omnibus, dum res comunus, hastis gladiisque geritur. Id, quod iam canet poeta, non legas in ISTVÁNEFYO.

*Innumeri, ut norunt sibi adesse nouissima fata,
Compressere manus, se seque in fluminis undas
Præcipites agitant, resupini, & stertibus ambas
Complerunt ripas, violenti vorticis annem
Infringunt nando, mortemque euadere tentant,
Ter submersi in aquis, liquidis ter conditi in undis
Luctantur, superasque petunt moriturier auras:
Et quamquam poterant Portumuum vincere nando,
Qui vel in Euboica vinax Anthedone gramen
Carpserat, undiuagi glaucus nouus incola ponti:
Corpoream tamen ad molem madesacta resedit
Penula, cum tales fuderunt ore loquelas:
Occultum nihil esse sinit dux candida sati,
Dignam pro meritis hoc alto in gurgite mortem
Hanc patimur, quando miseris mortalibus auras,
Et vitam abstulimus dulcem, discrimine nullo,
Execrata sacris, & mystica sacra prophana*

Miscui-

*Miscuius, iustus cernit Deus omnia Iudex.
Hæc animas dictis spirabant, vdaque magnus
Corpora Danubius fundo sepeliuit in alto.*

Nihil horum meminere, qui seruire istud bellum descripserunt. Euenire tamen potuit, ut dissitis ordinibus, cum passim in fugam ruerent manipuli, horum aliqui, a regio milite, in ansem propulsi, mergi cogerentur. De captiuis, & horum suppliciis, pergit canere poeta:

*Pars capitur, captosque adamantina vincula ligabant,
Detinet hos neruus, nonnullos dura catæssa
Viget, ubi igniferi vulcania vincula fabri
Cudere deficiunt, sagis panguntur & ornus.*

Plebeium postea triumphum, sic describit:

*Exunias iam quisque suas, sua quisque trophæa
Trans Istrum adtonitum, ratibus ducebat onustis,
Callosa innumeri torpebat dextra pauentis
Remigis, & toruam metuebat nauia pradam.
Cursilibus pars vella rotis, Budensia tendit
Mœnia, pars Pestum trahitur, longoque morantur
Ordine, planstra vias plebei plena triumphi.*

Hæc, de scedissimo bello, iuuat recinisse, ut damnet lector maleficium.

§. XIV.

Post has turbas, exento rebus humanis WLADISLAWO, adolescens LUDOVICVS, in annos singulos, comitia celebrabat; sed, quod mirere, campo Rákos, iterum iterumque neglecto. Coibatur primum Tolna; secundum, ac tertio Bábó; denique, anno MDXXIII. Bude, dum Rákosi prærogatiua illa, redintegraretur dentio; sed, quanta imbellis regis iniuria, iam videamus. Gliscebatur, inter proceres, zelulandi, & obrectandi inuicem studium. quod, vti nimia WLADISLAWI, siue lenitate, siue oscitantia, admissum fuit; ita, non potuit non interescere, sub rege tenero, & quem Georgii, Marchionis Brandeburgici, lasciuia, & in educando remissio, a regni procuratione prorsus auocabat. Iohannem de Zápolya, & huius satellites, Stephanum Verbóczius, atque Michaelem Zobium, passim a scriptoribus (q.), accusari legas. Sed latius scripserat virus, quam ut vnus tantum, aut alterius pectore resedisset. quod, comitiis anni MDXXIII. in campis Rákos habitis, trito pressoque murmure; aperta postea seditione, anno sequente, prodere, aduersæ factionis capita. Dirum dictu est, quanto illic animorum motu, res gesta fuerit. Enim vero, Verbóczius, occasionem explicandorum consiliorum, quæ aduersum Regem, & Palatinum, Bábó-

Wladis-
lao mor-
tuo, deteri
capit Pesti
decens:

anni 1523.
comitia
violentia
plena:

Verbóczi
ferocia:

*) Vide ISTVÁNEFYO, Lib. VIII. ioculo.

Báthory, dudum animo conceperat, nactus; multitudinem omnem, ad eum modum, inflammavit, ut nihil dubitaret, relicto comitali campo, secessionem facere, & *Hatvani*, quorum festinatissimo itinere abierant, id quod sibi propositum habuerunt, conspirantibus mirum in modum sententiis, exsequi. Accusationis capita, quibus in Regem, & huius ministros, utebatur, *Verbóczyus*, ita erant comparata, ut non potuerint gentem, ex se mobilem, concitare. Memorabat nempe, gloriosos, priscorum regum, actus, extollebat ad cælum, victorias, prorogatos regni limites, consopitas seditiones; *MATTHIAE* in primis *Corvini* memoriam, calidissime apud hos refricabat, qui eius passim castra sequuti, in partem laudum venerant. Explicabat præterea, quibus artibus, quibusque viris, ad illud gloriae culmen, gentem Hungaricam, reges optimi, eueverint. Nimirum, adhibitos aiebat, ad belli & pacis munia, non, quos ambitus honorum, atque diuitiarum insana cupiditas, regibus oggereret; sed, quos commendabat, patriæ amor, in regem fides, rerum gerendarum dexteritas, atque virtus, nihil non, pro rege, pro patria, tentatura. Præmium his satis fuit, recte fecisse. Tum vero, quam diuersa, sub *WLADISLAO* primum, nunc sub adolescente *LYDOVICO*, sint omnia, exaggerare; damnare regum ignauiam, criminari Baronum iniquitatem, & in administranda republica, dolos malos. Eo ventum esse, ut nisi, excusso veterano, expergilcerentur Ordines, patriam, sua hac oscitantia potius, quam alieno maleficio, sint perdituri. Non iam preces, non querelas, non lacrymas, apud regem, & qui hunc obsident, ad lenienda mala, quibuscum colluctentur, quidquam proficere: in dies ad deteriora gradus fieri, quos reuocari posse, in ea procerum, regi deditorum, malitia, neque spem ostendi, neque facultatem. Ergo, quos patriæ amor, auitæ gloriae stimuli, & malorum præsentium sensus, metus item futurorum, vreret; consilium acciperent, & collectis vasibus, *Hatvanium* secederent; illic, de republica, de salute patriæ, de remediis malorum, pro eo, ac id posceret necessitas, in medium consulturi. Vix hæc, & his gemina, dixerat, *Verbóczyus*, cum *Michael Zoby*, demigrationis antesignanum se præbere, sequi reliqua multitudo, & *Rákosi* campos, vacuos post relinquere. Miserat quidem retentandis factiosis *LYDOVICVS*, Palatinum *Bathoreum*; sed, qui adeo profecit nihil, ut vix manus euaserit nobilitatis fremebundæ. Quæ hinc *Hatvani* gesta sint, non est huius loci, recensere. Erit nobis eorum omnium, prolixa mentio, in eius oppidi hiltoria. Hæc, quæ adtexuimus, eo dicta sunt, ut constet lectori, quam se male habuerit Hungaria, antequam ad *Mohács* pessumiret. Campus certe *Rákos*, iniquissima hac seditione, extra modum foedatus est. Tametsi enim elisa fuit seditio; *Verbóczyus* item, & *Zobius*, proscripti; hæsit tamen, toti conuentui ignominia, nullis temporibus eluenda. Neque enim vidit postea comitia campus *Rákos*, præter vltima illa, quæ anno MD-XXVI. Hungariæ non minus, quam regi luctuosa, infelix *LYDOVICVS*, con-

nias ad
multitudi-
nem oratio

falla Hat-
vanum se-
cessu:

ultima, in
campis Rá-
kos, comi-
tia, anno
1526, regi
fatali.

concelebrauerat, pacata ea quidem, ob exitiabilis periculi vicinitatem; sed, quorum sanctionibus, quod ita vrgebant fata, ad salutem publicam, nihil profectum est. Atque hæc erant, quæ ad *PESTVM*, sub regibus Hungaricis, memorare habuimus. Iam, quomodo sub barbarorum tyrannide, comparatum fuerit, recognoscamus.

CAPVT SECVNDVM,

SIVE,

Periodus Urbis Barbarica.

SYNOPSIS.

Init, tyrannis barbarica, caso, ad *Mohács*, Ludouico: *Pesti*, ea tempestate, facies: permittit se *Iohanni Zápolyæ*: postea *Ferdinando*. §. I.

Venit denuo, in *Iohannis* potestatem: fit *Turcarum* armamentarium: capitur a *Ferdinando*: muniturque: oppugnatur ab hostibus: sed conatu irrito. §. II.

Profligata ad *Budam* *Rogendorffio*: quid *Pesto* euenerit? occupatur a *Solymano*: que tunc ciuium fuerit conditio? §. III.

Belli *Pestani* historia, quod in annum 1542. incidit: apparatus & duces: eorum cunctatio: *Pestum* obsident, haud sine clade: prælium anceps & acre, pro urbis porta: instauratur a *Nicolaio Zrinio*: tandem vincunt nostri. §. IV.

Oppugnationis exordia: adful-
Tom. III.

tus irritus: *Italorum* virtus: *Germanorum* desidia: *Italis* exitialis: ducum imbellis ignauia: *Gabrielis Léuæ* interitus: obsidio foede soluitur: *Perénius* capitur: *Turce*, abiturientes nostros, inuadunt: quo euentu? nouus hostium incursus: tumultuaria pugna, & victoria, locum faciunt. §. V.

Res *Pestienium* pacata, totis annis sexaginta: fit urbs colonia barbarica: intercipitur a *Rosswurmio*, anno 1602. rei gesta occasio: & ordo: capta urbis, facta facies: nostrorum sauities, *Rosswurmii* lenitate mitigatur: præda vis ingens. §. VI.

Urbis ea clades, carmine describitur. §. VII.

Captum *Pestum*, præsidio manit *Rosswurmio*: obsidetur a *Turcis*: frustra, & cum clade, obstantibus nostris: præfidiariorum virtus: infelix nostrorum eruptio: Hun-

H

garo-

garorum ignobilis paucor:
Ortus, a suis obtentur: sol-
uunt Turca obsidionem, &
inglorii abeant: tuentur id
postea Casariani: magna vir-
tutis laude: mutuis tamen,
cura hoste, cladibus: dese-
ritur a Iagenreitero, im-
belli, & malefico pauore:
describitur is a poeta. §. VIII.

Insiadetur ab hostibus, summa
cura: Botskaii, anno 1605.
in campis Pestanis, cum Ve-
zirio, coitio: eius historia,
ex Iohanne Bocacio, descri-
bitur: Bocacii, ad Bots-
kaium, profectio: in castra
aduentus: metus & sollici-
tudo: accusat Botskaium:
erigitur. §. IX.

Nocturna Botskaii statua: no-
ue Bocacii querela: ad flu-
uium Rakos aduentus: Tur-
ca, Botskaium illic salutant:
promouentur porro castra:
Bocacii iocus: omen haud
inane. §. X.

Accipitur iterum, a Turcis
Botskaius: pompa ratio:
Botskaius, tentorium sibi
destinatum, subit: adit Ve-
zirium: ritus, & solemnita-
tis descriptio: Vezirii for-
ma: colloquiorum ratio: ve-
stes, ex more, distributa:
nouus Bocacii iocus. §. XI.

Deducitur ad conuiuium Bots-
kaius: mensarum adpara-

tus: ciborum fordities:
pocula, cum voto salubri,
coniuncta: abominatur con-
uiuium Bocacius: concentus
geniales, qui a Botskaii se-
cessus: sermones priuati:
reditur ad Vezirium: collo-
quii materies: Botskaii ex-
cusatio, ob Transiluaniam, a
Turcis defectionem: Vezir-
rii monitio: acerbior in Ger-
manos: de continuandi bel-
litationibus, arcanior consul-
tatio. §. XII.

Botskaiiani, Budam interea
traiciunt: offertur Corona
Transilvano: gladius: vestis
turcica: Botskaii modera-
tio: valedictio apud Vezir-
rium: antidora Transilua-
ni: redit in castra Bots-
kaius. §. XIII.

Congressionis fructus, quam
metuebatur, exoptator:
unde is manarit: quae Ho-
monnaio, in mandatis dede-
rit, Botskaius: Pesti, ea
tempestate, habitus. §. XIV.

Comitium Carponense, pacis
caussa, coactum: ea, Vien-
nae confecta, quae Pesti fue-
rit facies: anni 1684. for-
tuna: deseritur a Turcis,
& exuritur: capitur a no-
stris: iterumque mœnibus
pertusis, vacuum, relinqui-
tur: recuperatur ultimo,
& prorsus vindicatur Hun-
garia. §. XV.

§. I.

§. I.



VDOVICO, ad Mohácsum, cum flore no-
bilitatis, caeso, uti, respública Hungariae vniuersim; ita
Pestum, ex ea clade, malorum retulit plurimum. Ta-
mecl enim, ad victoris Solymanni, primum impetum,
parsum tectis est; tamen, fieri haud potuit aliter, quam ut præda-
bundo hosti, non portæ modo, in ea cadum formidine, diffugien-
tibus præfidiariis, paterent; sed fornices quoque, & tabernæ merca-
toriae, magna auiditate, ab hoste, diriperentur. Facile est enim, ani-
mo concipere, quæ tunc, urbis opulentæ, facies fuerit, cum non
factis, non profanis ædibus; sed, ne sanguini quidem humano, par-
cebatur a barbaro, ad populandum, & sauiendum excito. Fas qui-
dem est suspicari, ante dilapsos fuisse (a.) ciuium opulentissimos, quam
imprudentes, hostis sanguinolentus, opprimeret; at enim, quis, in
vehementi illa animorum perturbatione, fieri potuisse putarit, ut
non remanserint, & ciuium, & opum, insignes reliquiae, hosti in præ-
dam obiectæ. Enim vero, ita sunt ingenia hominum, ut nusquam,
seu cœcutiant magis, seu paucant, quam, ubi, & consilio rem geri
oporteret, & magna uti animi præsentia. Solymannus certe, ipse
ad urbem accessit, atque instructo, inter vtramque urbem, nauali pon-
te (b.), Budam hinc, sed incolis fere vacuum, adiit. Id tunc, in tanta
fatorum malignitate, fortunæ fuit Pestiensibus, si superabant aliqui,
quod, mature receptui canere iussit Solymannus. Nempe, nulla tam
est atrox calamitas, quin habeat quidpiam, quod in beneficiis depu-
tes. Vix abierat tyrannus, redireque coeperunt, dispersi metu ciues,
cum Iohannes, ad Tokaynum, rex a sequacibus salutatus, urbem
suam fecit. Hac enim profectus, Budam primo, postea Albam, ad
inaugurationis solennia, concessit. Putasses, vindictam Hungaro
regi urbem, ignoraturam postea belli, quæ defauerant, tempestates.
Sed, aliter res cecidit. quando FERDINANDVS in Hungariam, a MARIA,
Báthoreo, & proceribus reliquis, qui Pisonii, comitium concelebra-
uerant, arcessitus, Iaurino, Comaromio, Strigonio, atque Buda,
nullo negotio, interceptis, sine cæde & sanguine, Pesto quoque po-
tiebatur.

§. II.

Biennium abierat nondum, dum precibus IOHANNIS excitus
Solymannus, cum regia Budensi, Pestum recepit. Mitior tunc
ciuium, quam priore impressione, fortuna fuit, ob IOHANNIS
regis, cui urbem, vna cum Buda, traditam autumamus, præsentiam.
Ciues interim, superioris cladis, & quibus impliciti erant, malorum,
H a adhuc

a.) De Budensibus, diserte id adhiemat Ier. infra, Membrum IV. Sect. I. Cap. II.
VANFFYVS Lib. VIII. p. 132, 30. Vide b.) Ibidem, p. 133. 6.

Isit. ty-
rannis bar-
barica, ca-
so, ad Mo-
hácsum,
Ludouico:

Pesti, ea
tempestate,
facies

permittit se
Iohanni
Zápolya:

postea Fer-
dinando.

Venit do-
nus, in Io-
hannis po-
testatem:

adhuc memores, præcipiti fuga, in primis, qui mercatu rem faciebant (c.) diffugere. Habiti tamen, qui remanserant, multo, quam verebantur, mitius, facile reuocauere ex fuga, tribules. Certe, cum anno MDXXX. adulto iam auctumno, Budam obsidione tentaturus erat Rogendorffius, eo ciuium robore, valuit Pestum, vt, habito, in ea trepidatione, delectu, insigni iuuentutis (d.) numero, quæ erat armis ferendis idonea, Budam firmare potuerit. Postea, dum IOHANNES rerum potiretur, Turcarum fuit armamentarium. Nam, & impressiones in citeriorem Hungariam, hinc (e.) subinde faciebant barbari; & si expeditionem, aduersus FERDINANDVM, suscipiebat Solymannus, isthic, tamquam in portu, classem (f.) amnicam, relinquebat. Buda profecto, nisi capto Pesto, obsidione tentari haud potuerat. Sane, cum FERDINANDUS, Iohannem mortuo, de recuperando regno sollicitus, bello terrendam viduam, exultimaret, opportune, si coeptis respondisset, exitus, Pestum, in Felsu potestatem venerat. Desertum enim a Zapolitanis, Marius Speciacasius, classis præfectus, sine vilo suorum (g.) vulnere subierat: nullo tamen, ob irritam Bude oppugnationem, fructu alio, quam quod militari munitum præsidio, fatigarit aliquamdiu hostium impressiones. Antequam rediret Felsus, verba sunt ISTVÁNFYI (h.), Pestum, recentibus munitionibus, & præsidio firmatum, Othoni Fotisco, & Mario Speciacasio, classis præfecto, tuendum commisit. Erat id Budensibus longe molestissimum, hostem, sub obtutu habere. Proinde, adscitis, ineunte, anni MDXLL. vere, Turcarum auxiliis, quibus Vsreph, Mehmetes, & Amurates, præerant, Valentinus Török, Budæ præfectus, expugnandam urbem statuit. Res primum tormentis, quæ Valentinus, cum valida Hungarorum manu, adduxerat, agi coepit. Sperabant nimirum Turcæ, prostrata mœnium parte, adfultu, aut deditioe, urbem, breui interceptum iri. quod tamen aliter euenit. Nam, Fotiscus quidem, cum Germano milite, ne quid subiti accideret, fortiter curauit: Speciacasius contra, si qua debilebant muri, nouis introrsum, more Italico, erectis munitionibus, conatus hostium, eludebat. Accedebat Turcarum inertia, quando, equites quidem, adfultum facere in mœnia, castrensi sua lege, prohiberi se dicebant; pedites contra, qui aderant, neque minis, neque pollicitationibus, vt inuaderent muros, induci potuerunt. Cum ad hunc modum, in obsidione urbis, prospectante Buda regina, frustra tempus dederitur, comæatus, Turcas deficere, quin & inedia metus, terrire coepit: eo quod Isabella, horreis exinanitis, messe autem vix dum adolescente, parcius annonam subministrabat. Igitur, consilio

fit Turca-
rum arma-
mentarium:

capitur a
Ferdinandis:

munitur-
que:

oppugnatur
ab hostibus:

sed conata
irrito.

a.) Collegeris id ex vicinorum Budensium exemplo apud ISTVÁNFYVM Lib. x. p. 156, 24.

d.) Idem Lib. xl. p. 170, 11.

e.) Inibi, p. 172, 34.

f.) Libro xi. initio, p. 188. Classe, inquit,

quam in Danubio, inter Budam Pestum, qui urbis, reliquerat, præcipiti ac subitatio descensu subsequi iussit.

g.) Libro xii. p. 229, 45.

h.) Ibidem, p. 231, 1.

inito, atque tormentis, Valentino restituti, ab obsidione discesserunt. Quo viso, Pestani præsidarii, Hungari potissimum, ex vrbe prouunt, discedentium terga, cæsim carpunt, captiuosque agunt. Præcipua tunc Francisci Nyárii, & Bartholomæi Horváth, virtus emicuit. Ex Turcis, cum multi alii, tum Achmat Aga, cogendo postremo agmini intentus (i.), desideratus est.

§. III.

Atque, urbis quidem istiusmodi tunc fortuna fuit: atrociora omnia, anno senescente. Profligato enim, ad Budam, Rogendorffio, vis belli, Pesto incubitura metuebatur; quod multum noxæ, illatum hinc tormentorum iactibus, Zapolitanis fuerat; quodque, huc fugere coeperat Germanorum exercitus: nisi, dilapsi fuga præsidarii, calamitatem præuertissent. Hostes enim, satis habere, deleto Christianorum exercitu, castris interceptis, Buda, ancipiti periculo liberata, vacuam præsidio urbem, cum ingenti præda, suam fecisse. Neque tamen incruenta Pesto, hæc, tanta rerum conuersio, exstitit. In ea nocturni temporis perturbatione, vt memorat ISTVÁNFYVS, ingentique rerum omnium confusione, Cassonus, trierarchus, & classis Turcica præfectus, Pestum, nauibus delatus, quum ciuitatem vacuam reperisset, nemine, qui mania, & portas defenderet, conspecto, protinus in eam irrumpens, quosdam equites Hungaros, ex iis, qui argentea Germanorum supellectili, ac pecuniis diripiendis inhiabant, apud quos, omni mortis metu, præda potior erat, comprehendit, aut cecidit; & summa celeritate, infestisque armis, oppidum peruagatus, obuios omnes, promiscue trucidauit. In castris, & Pesti, magnus tormentorum, puluerisque pyrii numerus, & supra comæatus magnam copiam, reliquus etiam adparatus bellicus ingens, captus est. Adeo, annus ille, funestus Pesto accidit. Illud maxime luctuosum fuit, quod Buda, astu, e reginæ manibus a Solymanno, extorta, simul Pestum, eiusdem vincula tyrannidemque subierit. Inducta mox superstitione Muhamedana, extra modum scædauit urbem. Erexere nimirum fana, locis pluribus, euastatisque sacris Christianorum ædibus, nihil fecere reliquum, quod ad impios ritus adtinere existimabant. Superabant vero, ex Hungaris non minus, quam Germanis, ciuium non pauci, qui mixtim cum Turcis, & ludæis, colerent. Suus, gentibus singulis prætor, sui fuere magistratus, qui & ius dicerent popularibus, & in officio continerent, insuetos tyrannidis habitatores. Aegre tamen proficiebant incolæ, ob bellorum perpetuas iniurias. Certe, qui mutare poterant sedes, sine nouarum rerum suspitione, id quidem faciebant auarissime. qua re fiebat, vt non raro, exinanitum cultoribus oppidum fuerit; dum adessent iterum conuexæ, qui fortunarum sedes, sed fortuna plerumque inuita, isthic quarerent.

H 3

§. IV.

i.) Habes obsidionis Historiam, apud ISTVÁNFYVM l. c. p. 232, 5. & apud

PETRVM DE RIWA, Centuria vi. p. 78.

Profligato,
ad Budam
Rogendorffio:

quid Pesto
emiserit:

occupatur a
Solymanno:

qua tunc
ciuium fuerit
conditio?

§. IV.

ANNO, qui Budensem cladem, sequutus est, supra millesimum, quingentesimum, quadragesimo secundo, bellum, quod ab obsidione urbis, *Pestanum* dicunt, incidit; magni id quidem adparatus, & qui *Buda* occupandæ, suffecturus credebatur; sed quem, ducumne imprudentia, an infesta Hungariæ fata, prorsus, & cum insigni Christiani exercitus infamia, reddiderunt irritum. Prolixus, in describendo eo *ISTVÁNFÉYVS (k.)* est, breuior *RÉVAY (l.)*: *FERDINANDVS*, inquit, qua potuit fiducia, duce Ioachimo Brandenburgensi designato, que ad belli adparatum spectabant, magna industria curabat, ex *Noricis*, & finitimis gentibus fortissimis. Preparatis iam omnibus, Ioachimus, *Vienna* mouit. Hos, Hungaricus exercitus sequebatur, ducibus, *Andrea Báthory*, & *Petro Priny*. Diu multumque disputatum fuit, quorsum vires dirigenda essent; vicit tamen ducis sententia, qui instructis copiis, *PESTVM*, in cuius presidio *Segemensis* dux erat, contendit. Hæc ille. Sed tunc quoque, cum, *Pesto* imminendum, Ioachimus constituit, multa cunctatione res administrabatur: ambages autem adhibebantur, prorsus non necessariæ. Tandem, Danubio, ad caput insulæ *Ros*, commode superato, in *Pesti* conspectum itum est. Huc ubi venit exercitus, castris, extra globorum iactum, positus, de adgredienda urbe cogitare duces. Pollero die, *Vitellius*, *Itali* militis, quem Pontifex subsidio miserat, præfectus, locum, ubi excitari suggestus, atque viæ obsidionales egeri possent, vestigans, pugnae quidpiam, cum erumpentibus *Turcis*, contraxit, atque multis amissis, in quibus, ordinum præclari ductores numerabantur, in castra fremens, reuersus est. Neque tamen ea res, animum *Vitellii* deiecit, quin exacuit potius in vindictam, vt vicem redderet barbaris. Metatus ille fuerat, in hortis regijs, muro incinctis, medio, inter maiora castra, & oppidum, interuallo: pone, *Hungari* tentoria fixerant. Hinc ergo, cum ducentis suorum, sub ortum solis, ad inferiorem Danubii ripam, progressus, facile permouit hostes, vt, *Italos* conspicati, gemina porta, Danubiali hinc, illinc orientali, factis cuneis, erumperent. *Vitellius*, iam ante, densatis ordinibus, consistere suos, & impetum hostium, protensis, in irruentium ora, hastis, scloporumque destinatis ictibus, reicere iubet. Fit atrox prælium, cædunt nostri, cædunturque passim: dum *Turcas*, nouis, ex urbe manipulis succedentibus, fugam simulans *Vitellius*, longius ab oppido seducit, atque densatis iterum ordinibus, imminentes, non minore, quam pugnam, paullo ante inierat, animo, glandibus partim, partim hastis accipit. Eo viso *Perénius*, cum destinata equitum Hungarorum ala, inter urbem, & *Turcas*, se interiicit, pugnantem, a tergo adoritur. Clausi, hac indagine hostes, sternebantur ritu pecudum; cumque in orbem pugnare cogentur, multum, hinc at-

k) Libro xv. post initia p. 246.

l) Centuria vi. p. 81.

Belli Pestani
historia,
quod in an-
num 1542.
incidit:adparatus
& duces:eorum cau-
latio:Pestum
obsidens,
hanc sine
clade:prælium
ancipis &
acro, pro
urbis partem

que illinc, cladis edebant. Ergo, *Mauritius Saxo*, cum turmis Germanorum cataphractis, ad prælium, satis iam ante feruens, adcurrit, hostes, qua nudis erant, seu tergis, seu lateribus, vrget; atque amisso equo, vitæ discrimen, nisi a *Perenianis* fuisset sustentatus, adit. Aequo Marte vtrinque pugnabatur. Nostri id noxæ in primis fuit, quod perpetuis tormentorum ictibus, e monte *S. Gerhardi*, qui maritimo huic campo, præcellus obiacebat, impeterentur. Ac dubia omnino victoria, decedendum e pugna fuisset; nisi *Comes Nicolaus Zriny*, cum subsidiaria equitum ala, tunc ex *Illyrico* aduentans, ingenti tormentorum fragore, inter proficiscendum audito, laborantibus succurrisset. *Illyrii* enim, sudore, ex itinere, madentes, vt signum pugnae a *Nicolao* acceperat, hostes & ipsi inuadunt, hastis primo, tunc sclopis, denique acinacibus, rem strenue agunt. Id, simul aduersum a nostris est, confirmatis, & ipsi, animis, instaurant prælium, neque desinunt instare ante, quam fessus pugnando hostis, terga dare, cumque a nostris circumfusus, urbem nequiret repetere, *Danubium* versus, fugam intendere occiperet: tam præcipiti cursu, vt multi, suis se ipsorum hastis, induerent. Instabant fugientibus victores, & nauigia concendere laborantes, partim cædebant, partim demergebant. quod naui celoci, sed ultra, quam ferre poterat, forte a fugientium multitudine onerata, magna hostium iactura, euenit. Victoris laus, non tam casorum numero; quadringenti enim plus minus, siue trucidati, siue capti fuere; quam loci, & temporis opportunitate, censebatur: cuius quidem partes præcipuas, *Vitellius*, *Perénius* alteras, tertias *Nicolaus Zriny*, excelsi iam tum animi, & eximie fortitudinis adolescens, suo quisque merito, retulere.

§. V.

Victoria potiti nostri, rem, tormentis, aduersus urbem, agere incipiunt. Irritus primo conatus fuit, eo quod suggestus, longius a mœnibus posuerant, machinarum præfecti. Ergo, propius admotis operibus, collocatisque, pro eo, ac oppugnandi ratio poscebat, quadraginta machinis, tanta breui, in muris strages edita fuit, vt, quæ tentando adfultui suffectura, crederetur. *Vitellius* certe, vti, quam ex prælio laudem retulerat, oppugnationis feruore, congeminauit, adgressionem, cum *Italicis* cohortibus, nihil dubitabat polliceri; si acie subsidiaria, *Germani*, adsilientem inuarent, quod cum hi, alacriter se facturos, pollicerentur; quin & *Hungari*, optum, vltro ac lubentes, offerrent, adfultus, magnis animis, destinatus est. Atque *Hungaros* quidem, *Perénius*; *Hessus*, *Germanos*; *Italos*, *Vitellius*, ductabant. Vt signum, ad faciendum impetum, datum est; *Itali*, sublati quatuor signis, in murorum ruinas, impauidi enituntur; iamque illic vexilla defixerant, cum ab hostibus, sagittarum & globorum imbre, propemodum obruti, pedem referre, inci-

instaurantur
a Nicolao
Zrinyo:tandem
vincunt no-
stri.Oppugna-
tionis exor-
ditia:adfultus ir-
ritus:

incipiunt. Quo viso Vitellius, rogare suos, monere, accendere, meminissent, in Italia se natos, pugnare in conspectu gentium fortissimarum; idque, contra foedissimum hostem; resumerent animos, atque, Germanorum & Hungarorum freti subsidiis, laudem, occupare urbis, sibi facerent peculiarem. Valuit ea cohortatio plurimum. Nam, facto iterum cuncto, eo, unde recedendi erant, intrepidi eluctantur. Inter hos, Carolus Melitaus, adolescens, idemque Vitellio sanguine iunctus, & e centurionibus strenuissimi quique, ruinas superant, & qua erat ancipitis periculi plurimum, perumpunt. Ac, poterat omnino, eodem illo adultu, urbs intercipi; si, quod receperant Germani, laborantibus Italici, succurrissent. Verum ii, siue metu, siue invidia ducti, tametsi propius moenia subierant, instare destiterunt; Hungarici simul, ne pedem proferrent, foeda ea cunctatione, deterritis. Proinde, deserti, praeter datam fidem, a sociis, Italici, partim ab hoste caesi, partim sauciati, amissis signis, Carolo autem Melitaeo, glande in humero, vulnerato, misere reiciuntur. In primis vsui Turcis fuit propugnaculum, anno superiore, a nostris exaedificatum, & ab auctore Varcozianum adpellatum. Hinc enim, & in adhaerentes, facta procuratio fuit, & dispositio in Germanos; Italicorum spectantes fortunam, machinae; eo successu, ut maior, in eorum ordinibus strages, destinatis ictibus, fieret, quam si, Italici mixti, in ruinis depugnassent. Erant, qui crederent, si victoria hostis uti voluisset, facile, ipsa etiam nostrorum castra, intercipi potuisse: in illa ducum, Ioachimi Brandenburgici & Vignadii trepidatione: quippe qui, extra globorum iactus, non tam milites se gerebant, quam pauidos, alienae caedis, spectatores; quod eis sane, Toriellus & Fotiscus, viri acres & bellici, tamquam militare flagitium, haud obscuro conuitio, obieciarunt. Caesorum, & qui e vulnere obiere, numerus, septingentos aequauisse ferebatur. In primis funestum, oppugnationis spectaculum, Gabrieli Léua, accidit. Cum enim e longinquo, loco tamen editiore, virtutem Italicorum, iunctis, cum Ladislao Bánffio, manibus, prospectaret, ferrea, maioris colubinae, pila, discerptus dilaniatusque fuit. Sed & Bánffius, cruore & visceribus Léua foedatus, humi semianimis conciderat, dum a concursantibus famulis, impos sui, in tentorium inferretur, & fomentis, atque medicatione, adhibitis, recrearetur iterum. Re, ad hunc modum, infeliciter gesta, Ioachimus, militare concilium, ex templo cogit, atque de obsidione soluenda, deliberat. Et horum quidem, quos a consiliis habebat, sententia fuit; haud oblitandum esse fortune iniquiori, retrahendum ab oppugnatione, pluribus iam casibus aduersis, foedatum exercitum. Contra, Perényus & Vitellius; insistendum operi, edendumque praclaro facinoris quidpiam, cum ratione, suadebant. Sed, vicit trepidatio, facileque induxit Ioachimum, ut signa conuelli, & receptui canere, iuberet. Dolebat proceribus, imbellis ducis ignauia, ac pauore, tanti adparatus expeditionem, in irritum cecidisse. Perényus certe, quod indignum facinus, libere increpuit,

Italicorum virtus:

Germanorum desidia:

Italici exitii:

ducum in bellis ignauia:

Gabrielis Léuae interitus:

obsidio fide soluitur:

puit, in fortunam se induit, nullis postea, seu artibus, seu precibus, reparandam. Captus enim a Ioachimo, & Viennam missus, in diuturno carcere, viuendi finem fecit. At Turca, quibus Iusuphus moderabatur, accepta clade, perterritos nostros, animaduertentes, prima luce, equitatum omnem, & pares peditum copias, ex oppido educunt, ut, si possent, detrimenti quidpiam, vasa colligentibus, adferrent. Occurrerunt, forte fortuna, erumpentibus, equites Hungari. Fit velutatio primum, mox & iusta pugna. Instant paucioribus barbari, neque cedunt nostri. Admirati Hungarorum virtutem Turca, mutuo vtrinque consensu, temporarias inducias paciscuntur, ea lege, ut fide integra colloquentes, infestis hallis concurrerent, easque, aduersis, sed peltatis pectoribus, ludibundis similes, perfringerent. In eo certamine ac concursu, inquit ISTVÁNFYVS (m.), Turca insignis e Bosna, Vermanis legatus, VITELLIVM sibi ostendi postulauit, ac equo, honoris causa, desiliens, eum veneratus est: adeo virtus, vel in hoste, in pretio habetur. Alioquin, fugae similis erat futura, Ioachimi, ab obsidione, discessio; nisi eam Turcarum clades, a Vitellio, & Perényo inflicta, fecisset honellioem. Nimirum, conspicati nostrorum abiturum Turca, tormenta, quae tardius promouebantur, adoriuntur; iamque tergis imminabant ultimi agminis, caedeqe edita, late metum propagauerant, cum Vitellius, excutere pauorem, & aciem sistere iubet, inque hostem conuerti: monito simul Perényo, uti leuis armaturae equites Hungaros, Turcis obiiceret, remque, sclopis & hallis, gereret. Id dum impigre exsequitur Perényus, (Mauritius Saxo, cum cataphractorum insigni ala, in hostem & ipe ferri, atque manus conferere coepit. Turbati subito, hoc incurfu, hostes, cum nostrorum impetum sustinere nequeunt, in fugam effunduntur, atque insigni clade adfecti, Budam partim, partim Pestum, euadunt. Tumultuaria haec quidem pugna fuit; sed, ideo tamen memorabilis, quod in seram vsque noctem protracta, multum sustulerit hostium.

Perényus capitur:

Turca abiturientes, nostros inuadunt:

quo certamine?

nomen bellicum in concursu:

tumultuaria pugna & victoria locum faciunt.

§. VI.

Obsidionis malis defuncti Pestenses, intemeratam postea urbem habuere; si intemeratam dici possit, quod tyrannidem ferre cogitur. Enim vero, anni sexaginta abiire, dum nouo bello, implicaretur Pestum. Nam, anno quidem MDXCVIII. cum, ductu MATTHIAE Archiducis, Schwartzenbergii & Pálffii, Buda, acri obsidione premeretur, Pestum, si velint incurfiones excipias, ne tentatum quidem fuit. Producto longius obsidionis labore, erant, qui tormenta, Pestum adiuuenda, negotiumque eius, in potestatem redigendi, Pálffy, ac vni, ex legionibus Germanicis, committendum existimarent: ac, ut eadem nocte, transmissis Danubio, id auspicaretur, decernerent. Verum, iisdem rerum angustiis impediens, ea quoque consilia, inter-

Res Pestensium per tota annis sexaginta:

Tom. III.

I

missa

m.) Libro xv. p. 252, 51.

fit urbs co-
lonia bar-
barica:

intercipi-
tur a Ros-
wurmio
anno 1602.

rei gesta oc-
casio:

oratio:

capta urbis
fada facies:

missa fuerunt. Verba sunt ISTVÁNFII (n.). Urbis interea fortuna, ni-
hilo reddita fuit melior, quando inualescente Turcarum potentia, di-
minutis præterea ciuibus Christianis, prorsus in coloniam barbaricam
abiit. Anno demum, supra millesimum, sexcentisimum, secundo,
cum Roswurmio, Budam parabat obsidere, a Cæsarianis, impetu
magis, quam iusta obsidione, interceptum legas: magno rerum Chri-
stianarum incremento, si potuissemus, fortunam in obsequio conti-
nuisse. Sed rem gestam videamus. Recuperauerant Turcæ, *Albam*
Regalem, nuper a nostris, regi suo, insigni virtute, vindicatam.
Expeditionis eius dux, *Hasanes* fuit, vir ferox, & in Christianos
iniquus. Is, victoria potitus, plane confidebat, non aufuros Chri-
stianos, residuum, ac breue anni tempus, in rem suam vertere. Er-
go, retractis tormentis, atque *Buda*, iusto præsidio communita, *Bel-*
gradum, cum exercitu recessit. Abitus fama cognita; *Roswurmio*,
quem eo anno, belli ducem esse iusserat, *RVDOLPHVS Cæsar*, castra,
Laurino, vnde euentum belli speculatus fuit hucusque, ad *Budam* obsi-
dendam, promouenda statuit. Eam destinationem, vti felicior exse-
queretur euentu, quam id, annis superioribus, a *MATTHIA* Archiduce fa-
ctum fuerat, *Pestum*, insigne, si intactum relinqueretur, *Buda* pro-
pugnaculum, primo omnium, sub potestatem mittendum, existima-
bat. Placuit vero, laboris militaris exordia, a *pontis*, qui *Budam*,
cum *Pesto* committebat, expugnatione ducere. Eo, non sine ho-
stium clade, interrupto, & aqua, & terra, oppidum adgrediuntur no-
stri. Classem, cuius nauæ *Hungari* fuere, *Roswurmio* sibi delegit;
Sulcium atque *Althanium*, rem in continenti gerere; *Turrianum*, *Co-*
lonitschium, & *Nadasdium*, cum equitum alis, ad incerta belli,
promptos esse iussit. Vt classem vrbi admoueri, hostes conspexere,
sublato clamore, in *Roswurmio* prouunt. Vfus, ea opportunitate
Sulcius, scalas, aduerso vrbis latere, moenibus admouet, in muros
emittitur. Adeurrunt hostes, & qua globis, qua contis, nostros de-
turbant. Eo viso, pedites *Hungari*, quos, e præsidariis *Strigonien-*
sibus, in bellum exciuerat, *Roswurmio*, moenia alacres subeunt, elu-
clatur in muros, victoriam, vno omnes ore, vociferantur. Illud
momenti, in ancipiti oppugnatione, habuit plurimum, quod *Althania-*
ni pedites, clamore adfilientium excitati, subsidio aduolarunt *Hungari*.
Ergo, animis nostrorum confirmatis, cum fortissimus quisque, in
moenibus pugnare gestiret, iamque intra muros manus cum hoste
confererentur, succedentibus subinde aliis atque aliis, vrbs intercepta
est. Immissus, ex templo, miles, per compita discursare, cadere
obuios, vrbs diripere. Clamore audito, hi, qui *Roswurmio* oblu-
stabantur, cum vrbs, a tergo captam audirent, pugna excedunt,
inque fugam effunduntur. Multi, qui coniugum liberorumque recorda-
tione, in vrbs refugere contendebant, a nostris, aut capti, aut ob-
truncati sunt. Alios, *Danubium* nando superare, & *Budam*, ad socios
pro-

n.) Libro xxxi. p. 735, 27.

profugere, conantes, haud dispar excepit periculum, vt, vel profundo la-
toque flumine absorpti, vel, inter natandum, glandibus traiccti fuerint.
Alii, secundo se amne demittentes, siluarum, & quas fors obtulerat, la-
tebrarum beneficio, salutem quasiuere: quemadmodum cladem eam
ISTVÁNFIVS (o.) descripsit. At *Roswurmio*, facta, e nauibus, celeri
excensione, hostes fusos, & in vrbs repressos, insequitur, late cæ-
dit, neque cessat ante, quam tergis fugientium hærescens, vrbs
subiret. Immane dictu est, quemadmodum in hostem sauerint no-
stri; atque, nisi *Roswurmio* intercessisset, vix quisquam, præter im-
bellem sexum, vitius, tota vrbs, superasset. Nimirum, perfugio non
paucis, turris quædam & templum fuit. Quadringentorum capitum
numerum fuisse perhibent. Vitæ hi gratiam, incolumitatemque, eo
facilius a *Roswurmio*, obtinere, quod, in obtutu *Budensium* Turca-
rum, clementiæ istud documentum, eo sine edendum placuit, vt, ad
amplectendas, quas eis oblaturus erat, conditiones, promtiores red-
deret. Eam multitudinem, vt esset incolumis, *Franciscus Nádasdy*,
ad portas vsque *Budenses*, comitatus est. Reperta, in vrbs fuit, ingens
rerum omnium præda, verbis laudati nunc historici vtimur, & præter
captiuos cuiusuis sexus, & ætatis, atque equos circiter mille, militares;
tormenta, & eorum adparatum, in propugnaculis, ac turribus conditum,
auri etiam atque argenti, vestimentorum, commacatus, mercimoniorum,
& armorum satis: quorum magna pars, *ROSSWURMIO*, eam a militibus,
& potissimum, ab *Hungariis* extorquente, cessit.

nostrorum
Saueris,
Roswur-
mii lenita-
te, mitiga-
tur:

præda, vbi
ingens.

§. VII.

Non possum mihi temperare, quin occupatæ vrbs faciem, at-
que decantatam a *IOHANNI CZERNOVICZIO*, (p.) nostrorum
virtutem, illic recolam:

vrbs es
clades, car-
mine do-
scribitur.

*Nec, inquit, Roswurmio, aquis cedes minor, ille per undas,
Ac veluti fulices, anatumque argentea colla
In vada præcipitat nantes ad saxa suburgens.
Pons quoque tam ingentem lato dedit ore fenestram,
Et solitum auxilium Pestensi sustulit arci.
Sublato superat, dura pars altera cura
Expugnare manu, scalisque ascendere Pestum.
Continuo pugna accendit maioris imago:
In fluvium se dat Roswurmio omnibus armis
Vectus naue, vltroque inuitat moenibus hostem:
Non hostem sequis retinet mora, sed rapit acer
Totam aciem in Latios, & contra in littore fissis.
Zultensis votis tempus sibi mille petiitum
Nactus, in aduersos quo mitteret omnia casus,*

I 2

Con-

n.) Libro xxxii. p. 789, 34.

[p.] De Bello Pannonico, Lib. v.

Conuentus, a Pesto oppido, e regione Buda, in alteriori ripa Danubii, ut solo nauali ponte, vltro citroque veniatur, sito, natura & arte, cum primis munito, & ciuibus frequenti. S. ANTONII nomine, inter antiquiores, accensebatur, qui anno Christi millesimo ducentesimo trigesimo tertio, duodecimo nimirum ab ordinis in Hungariam ingressu, iam esset erectus, ut ex litteris (i.) B. Fr. Buzad Bánffii, illo anno in ipso Pestienfi monasterio datis, quas & prima huius commentarioli parte descripsimus, liquido constat. Fundarunt Michael de Besenye, & vxor illius, Anastasia, & eius filius, Gregorius, itemque Blasius de Kenderes. Celebrata sunt in oppido comitia, totius ordinis generalia, sub B. Iohanne Vercellense, sexto Ordinis Generali Magistro, anno Christi Millesimo ducentesimo septuagesimo tertio. Hæc ille. Post cladem Turcicam Michaelis Dwornokowitschii, Episcopi Váciensis, munificentia, in honorem B. V. MARIAE natæ, instauratum, nostra hæc ætas meminit. Ultra hos, represso, in orientem, posito, PP. Paullinorum coenobium est, quos heic, anno MDCXCIII. LEOPOLDVS M. collocauit, ad mensum (k.) eis terreno, centum orgyas longo, lato octoginta. Ex eo tempore, profecit coenobium, iuxta & sacra ædes, incrementis, oppido insignibus. Eadem vrbs ora, sed propius ad portam Ketskemetensem, odeum est sacrarum Virginum, quibus, & nomen, & regulam S. Clara, impertiuit. Inde, D. Francisci familia, in angulo Hatuanensis vici, monasterium habet, veterrimæ id quidem foundationis, si originem spectes; sed quod, vrbe demum recuperata, nomine S. Petri, cui primitus dedicatum fuit, conualuit denuo. Est & PP. Seruitis, suum isthic coenobium, aquilonari vrbs parte, vltra nosodochium illud militare, commode repositum. Patres Piarum Scholarum, vrbici magistratus isthuc inducere, vt formandæ iuuentuti operarentur. quod & strenue faciunt. Cessit eis PP. Iesuitarum domus, ære iusto redempta; situs omnino hilaris, quia propter amnem posita. Stipem, quam magistratus annuam esse voluerunt, sexcentorum florenorum summa, censeri ferunt. Sed Raschiani quoque, suum in vrbe sacrarium obtinere, sacris ritu græco, operantes. Hæc vrbs, sacra & prophana ædificia, moenibus cinguntur, operis solidi quidem; sed haud tamen ad recentioris architectonices militaris, regulas eductis. Fossa, quæ murum circuit, vna ea est, sic satis depressa, haud tamen palustris. Portis aditur tribus, quæ nomina ab iis locis acceperunt, ad quæ vergunt. Dicuntur nimirum, Váciensis, Hatuanensis, & Ketskemetensis; nam ad singula hæc oppida, singulae prospiciunt, coque, regia via, educunt. Suburbia nulla videas, præter salis illud horreum, quod extra Váciensem portam, in erectiori amnis margine, positum est. Magna isthic salis fossilis, Hungarici, iuxta & Transiluanici, vis, perpetuo suppetit. Quod inde in aquilonem, & orientem reflectitur, hortis colitur, & pomariis, in annos singulos, cultioribus. Ultra Campus Rákos est, amiculo cognomine, irriguus. Ager, quem ad mensum habet, angustior est, quam pro vrbs copia, & sicuti nudus siluis, ita, nisi annus madeat, extra modum siticulosus, quia sabulo & arenis oblitus. Vix bipedali altitudine, refossa humus, tophum ostendit, friabilem cum, & idoneum ædificiis. Qua erectior agri positio est, latumia sunt, cæduo lapide referta. Eosdem tumulos, vite, albula & rubella, conseruerunt Pestienfes, sed quæ vinum fundat haud perennaturum. Reliquum rus, pabulo, quam rei frumentariæ, amicus est. Quod aperta planitie vrbs confedit, subluaturque Danubio, aura vigescit salubri; sed obnoxia quandoque aquilonibus, & coris, qui a Pilisensibus & Neogradensibus montibus illapsi, late, ac vehementer perflant regionem, in primis rigente bruma. Neque tamen ira furiant, quin lassati quasi, remittant de vehementia, æstate potissimum, & cum sunt feruidi soles. Ad vrbs opportunitatem, hilaritatemque retuleris, Buda vicinitatem, & montium, qui se trans Danubium adtollunt, obtutum, vt varium, ita, letum extra modum, & iucundum.

PP. Paulinorum:

Virginum S. Clara:

Franciscanorum:

PP. Seruitarum:

PP. Piarum Scholarum:

Raschianorum sacrarium:

moenia vrbs:

portæ:

suburbia nulla:

horti:

i) Legis eas ibidem, Parte i. Cap. vii. p. 59. vbi & de martyrio eius legas.

k) Fuit eius rei administrator, Ferdinandus

Ploz, a Mülleitzen, S. C. R. M. a consiliis, & ararii Budensis, administrator, anno quem diximus, MDCXCIII. die xv. Decembr.

colitur, & pomariis, in annos singulos, cultioribus. Ultra Campus Rákos est, amiculo cognomine, irriguus. Ager, quem ad mensum habet, angustior est, quam pro vrbs copia, & sicuti nudus siluis, ita, nisi annus madeat, extra modum siticulosus, quia sabulo & arenis oblitus. Vix bipedali altitudine, refossa humus, tophum ostendit, friabilem cum, & idoneum ædificiis. Qua erectior agri positio est, latumia sunt, cæduo lapide referta. Eosdem tumulos, vite, albula & rubella, conseruerunt Pestienfes, sed quæ vinum fundat haud perennaturum. Reliquum rus, pabulo, quam rei frumentariæ, amicus est. Quod aperta planitie vrbs confedit, subluaturque Danubio, aura vigescit salubri; sed obnoxia quandoque aquilonibus, & coris, qui a Pilisensibus & Neogradensibus montibus illapsi, late, ac vehementer perflant regionem, in primis rigente bruma. Neque tamen ira furiant, quin lassati quasi, remittant de vehementia, æstate potissimum, & cum sunt feruidi soles. Ad vrbs opportunitatem, hilaritatemque retuleris, Buda vicinitatem, & montium, qui se trans Danubium adtollunt, obtutum, vt varium, ita, letum extra modum, & iucundum.

campus Rákos: agri angustia:

vinea:

aeris ingentia:

positiois amenitas & opportunitas.

§. XII.

Incolunt Pestum, ciues conuenæ, Hungari, Germani, Slau, atque Raschiani, qui, aut artibus mechanicis, rem faciunt, aut mercatu. Agricolatione enim, ob terreni angustiam, parce admodum proficiunt. Rei certe pecuariæ, & frumentariæ, nisi adita deferta, sed quæ annua stipite redimere necesse est, qualemcunque modum sufficerent, vix commoditatis suppeteret quidpiam. Sic, & cultum vineaticum, Budensium præbent promontoria. Ergo, qui sunt ad rem adtentiores, rusticationem, cum opificiis, aut mercatibus, coniungunt. Iam, & census hospitiorum, inter præcipuos Pestienfium redditus, iure optimo, retuleris. Vix est instructor ædificia, quin accipiendis aduenis, quos huc Tribunalia proluciant, destinata habeat conclauia. quæ magno, vel in dies singulos, vel in hebdomadas, redimenda sunt. Accedit, victus hospitum, vltra, quam reris, carior. Nam, antequam regia huc tribunalia immigrassent, laxa, apud Pestienfes, annona, & nullum non genus commercatus fuisse, norunt, qui sunt experti. Nunc, ea rusticorum, merces suas inuehentiæ in vrbs, licentia est, vt geminato fere pretio, quam erat olim, id, quod est vsibus quotidianis necessarium, venundet. Quidquid eius sit, nemo non videt, rerum hoc, quo nunc est Pestinum, habitu, opes ciuium egregie posse auctitari. Porro, mores ciuium, facile est designare. Sequuntur sua instituta Hungari, sed contemperata, Germanorum elegantia. Germani autem, ex perpetuo, cum nostræ gentis hominibus, conuictu, trahunt iam & ipsi quidpiam, quod adspertabantur alias. Nobilitatis Hungarica, nusquam cultus exquisitor.

Ciuum genera: horum occupatio:

reditus:

mores:

nobilitatis
Hungari-
ca, cultus

Quando enim confluunt, ex vniuersa Hungaria, & frequentes, & sepius, non possunt non, e sua quisque patria, id in cultu, victuque, secum adferre, quod suis moribus, maxime decorum est. Qua re fit, vt, quidquid in moribus Hungaris, siue seueritatis superest, siue adscitum elegantiae, id vnicum Pestum, quasi in theatro quodam, ostendet. Alioquin, nihil, quod sit, vitæ cum commoditate tolerandæ, necessarium, Pesti desideraueris. Ad vrbs celebritatem annua fora adtinent. Aguntur ea diebus festis, S. Iosephi; B. Medardi; S. Iohannis decollati; & denique S. Leopoldi, tanta frequentia, quæ, pro regionis habitu, concipi potest, maxima: boaria potissimum, quæ vulgares mercatus alios, die vna alteraue, præcedunt. Pecoris immensum numerum, inde conicias, quod late diffusa planities, qua se in orientem exporrigit, armentis oppleatur, adspæctum oculorum fugientibus. Atque, est omnino Pestiensis, non ager modo, sed accessus etiam, pecuariis hisce mercatibus, maxime idoneus, quando, & pabulum sufficit, & non facile metuenda calamitas est, quam propullum, per campos, armentum, inferre possit. Moderantur vrbi, magna omnium adprobatione, magistratus ciuici; quos ex diplomatis præscripto, biennio singulo, instaurari necesse est. Sunt vero, Iudex, cum senatoribus duodecim; ex quibus Consilem quoque sublegere moris est. Reliqua munera, iisdem hic constant rationibus, quas fusc excussimus alibi. Nos, felicem hanc temporum reparationem, qua iam, Dei, & Cæsaris benignitate, Pestum fruitur, toto ei animo, vouemus perpetuam.

Magistra-
tus ciuici,

SECTIO II.

DE

Episcopali Oppido Váczia.

SYNOPSIS.

VÁCZIAE ortus prodigiosi: recitantur ex BONFINIO: nomen a Váczio eremita, fortitur: eius natales, & pietas: cur Váczi fuerit adpellatus? auctoris coniectura: BONFINII hallucinatio: prodigii, quod vrbi condenda occasionem dedit, ratio. §. I.

Conuenarum, ad nouam sedem, frequens confluxus: orna-

tur episcopatu a Geyza M. eius instituti annus: Pontificis, Gregorii VII. approbatio. §. II.

Episcoporum, quæ poterant eruderi, nomina, & actus: auctoris desiderium. §. III.

Vácziæ fortuna, post prima exordia, prospera: Tartarorum sanguinolenta irruptio:

ptio: Vácziæ clades: difficultis postea instauratio. §. IV.

Floruit Váczia, litterarum studiis: quibus ea partibus, absoluebantur, coniectura: Iani Pannonii, pro ea, elegia. §. V.

Maxima vrbs celebritas, sub Coruino: a Nicolao Báthóri, episcopo, procurata. §. VI.

Vrbs & Episcopes, decremenda, a Mohácsensi clade, arcessenda: cedit, cum episcopo, Iohanni: recuperatur a Ferdinandeis: iterumque a Zápolitaniis: quæ hinc conuersiones, oppidum exceperint? redditur, ex pacis, quæ Vácziæ facta est, conditionibus, Iohanni §. VII.

Mortuo Iohanne: occupant Vácziæ Ferdinandeis: recipiunt Zápolitani: insident iterum Cæsariani: atque deserunt: muniunt Turcæ. §. VIII.

Manet in eorum potestate, ex induciarum lege: quando recipitur a nostris? tentatur a Turcis: conatu irrito. §. IX.

Anni 1597. fortuna iniquior: rei gestæ occasio & series: exurit a Cæsarianis: occupatur a Turcis: iterumque deserta, nostris cedit, & munitur. §. X.

Inuaditur, subita impressione a præfidiariis Budensibus: successu funesto: quid profue-

rit nostris, conseruata Váczia? præfidiariorum Vácziensium procuriones in hosticum. §. XI.

Fata oppidi anni 1602. diffugientibus nostris, vacuum relinquuntur: dennoque insidentur: deditur, triennio post, Botskaio: adferiturque postliminio Cæsari. §. XII.

Quæ Bethleniano tumultu, facta subierit, Váczia: Turcis traditur: Ferdinandi æquissima, ob id, indignatio: oppidi, & arcis traditor, in ius postea vocatus: sed frustra: detinetur a barbaris: irruptionibus nostrorum irritis. §. XIII.

Quomodo vltimum, in nostras manus venerit oppidum: prælii Vácziensis hypotyposis: omen, a die S. Ladislai, petitum. §. XIV.

Oppidum interceptum: deditio nis leges: recidit in Turcarum potestatem: eorum, aduersus præfidiarios demigrantes perfidia: talionis ius, hosti redditum: exurit a Turcis Váczia. §. XV.

Prorsus occupatur a nostris: quo habitu? a quibus coli ceperit? Episcoporum in oppidum studium: sacri ordinis: nundinarum commoda: situs oppidi: incendiorum damna: cultus hodiernus. §. XVI.

§. I.

§. I.

Váczia ortus prodigiosi:



recitantur ex Bonfinio:

nomen a Váczio eremita sortitur:

vires natalis & pietatis:

cur Váczi fuerit adpellatus? auctoris coniectura:

Bonfinii hallucinatio:

prodigii, quod urbi condenda occasionem dedit, ratio:

DE indagandis Váczia, seu Vaczouie, originibus, non est opus multum elaborare. Retulere eas rerum Hungaricarum scriptores, insigni cum prodigio. BONFINIVM (a.) audiuisse suffecerit, fraternum, aduersus SALOMONEM, Geysæ & Ladislai, bellum expromentem: Geysa, inquit, Ladislau, & Otto, in siluam, vbi Váczia nunc est, contendere, qua viginti millibus passuum hinc aberat. Magnum quondam ibi fuisse nemus aiunt, ab vno tantum eremita habitatum, cui Vacio nomen erat. Hic, humana vita miseriam abominatus, veraque respicientia percitus, in solitudinem istam se receperat, quo salutis sue commodius ac tutius inseruiret; quare, virum sanctissimum euasisse, ac Geysam victoria deinde positum, locatam ibi, cum basilica, ciuitatem, ab eo Váciam nominatam esse ferunt. LADISLAUS THÚRÓCZY (b.) certiora de Váczia, ex LUCHOFFIERI manu exaratis annalibus ecclesiasticis, ad annum MLXXII. adfert. Fuit, inquit, claris ortus natalibus, de familia Hethei, superiori in Pannonia vite datus. Qui dum admodum adolescens, de suis audiisset; feruere omnia in interiori Hungaria, pietate & religione; fixumque sanctorum ibidem esse domicilium; diuinius actus stimulis, clam parentibus domo secedit, ac primum Visegradenses inter siluas, latitat, tum transmissis Danubio, has in partes se recondit. Vbi anno MLXXII. GEYZAE I. & LADISLAO S. forte repertus, certam de Salomone pradicat victoriam. Subit animum, cogitare, cum de gente Hethei fuerit Váczi, vnde ei cognomen istud: nam, vt e sacro fonte haultum nomen credamus, vocabuli indoles dissuadet. Equidem, ita reor, inditum id nominis eremite fuisse, ob pannosum forte, quo in solitudine utebatur, habitum; vt diceretur, *mint à Vász*; virum esse *terriculamento*, quod arcendis auibus, intra segetes deligitur, seu *veruecea statua*, simillimum; nam *Vász* seu *Váz*; id omnino significat Hungaris. Ista sic possis coniectare. BONFINIVS (c.) sui ipsius immemor, alibi ad hunc modum: *Vatia*, a *Vato*, eremita, in Danubii eremo degente, nominata; vel a *Vacia*, quondam iuxta Burotum sita: ego a *Vacianis* puto, superioris Pannonie populis. Primum illud etymon, Bonfinii confessio, quam habuimus, adfirmat. *Burotum* (d.) vero, seu *Borytus*, Phoenices vrbs, quomodo, cum vicinia, huc trahi possit, non video. Sed nec *Vacianos* populos, vbiubi quarendos, si fuit hæc ora solitudo, cum *Vacii* eremo coleretur, urbem heic potuisse primitus collocare, certum est. Prodigium, quod primum sacre ædi, postea, oppido, occasionem dedit atque exordia, hoc fuit. Cum in silua, LADISLAI, ac GEYSÆ copiar, constitissent, ibique du-

a.) Decade II. Lib. III. p. 215, 48. Germani, *Watzem*, Slavi *Waczom*, seu *Waczowo*, adpellant.
b.) Hungarie meridionalis p. 132. quæ nuper, in dubium vocauit, SAM. TIMON, in Imag. Hung. Nouæ, Cap. VIII. p. 68.

c.) Decade I. Lib. I. p. 5, 8.

d.) Vide ORTELI Thesaurum Geographicum, & CAROLI STEPHANI Lexicon Historicum, Geographicum & Poeticum, ad hanc vocem.

ces, concilium haberent, vbi postea D. Petri ædes, excitata fuit, atque, de incundo, cum *Salomone*, prælio, sententias conferrent, *Ladislau*, Angelum conspicit, fratrem *Geysam*, corona redimentem. Adtonitus ostento *Ladislau*, quid vidisset, fratri indicat, regnum, cum diademate, ominatur. Accepto omine GEYZA: Sic Deus omnipotens, inquit, in cuius manu omnium iura regnorum, prodigia ista confirmet, que tuis tantum oculis patuere, quando te tua pietas & religio, vatem prestitit, diuina voluntatis, exploratissimum. Quod si tua te auspicia frustrata non fuerint, nunc D. Genitrici vota rite suscipio; me rerum potitum, celeberrimam basilicam hic exadificaturum. Ergo Salomone tunc profligato, altero post anno, voti memor, GEYZA in regem inauguratus, cum LADISLAO, in Váciensem agrum redit, & cum de statuenda D. VIRGINI basilica, eodem loco, vbi prodigium euenit, cum fratre consultat, ecce ceruus, expansis cornibus insignis, qua ardentissima faces circumfederant, præ oculis adparuit; mox in suam conuersus, siluam petiit, inuestigabilis, ibique tantum vestigia fixit, vbi ædes postea collocata. Quem, cum milites sagittis peterent, in Danubium se proiecisse, nec vsquam postea visum, memorant. Atque, valuit omnino ostentum, vt persuaderet fratribus, singulari captis religione, vt angelum fuisse crederent, micantes, inter cornua, flammæ, alas interpretarentur, atque B. Petro, Dique Matri, sacras illuc ædes, nihil cunctati (e.) ponerent.

§. II.

ET vrbs quidem condendæ, ista forte occasio fuit. Neque difficile erat, ciues congregare, cum hos quidem pietas; illos amoenitas loci; turis vbertas alios; ad incolendum, inuitaret. Breui, ad eum modum increuisse perhibent, vt, cum frequentissimis Hungarie oppidis conferri potuerit. Accessit mox ad vrbs dignitatem, Episcopo, quam heic, peruulgata sententia, GEYZA collocavit, magna, erga sacrum institutum munificentiæ usus. Nam, præter villas & prædia, quibus ante Basilicam B. V. dotauerat, tantum denuo vicorum, redituumque adiecit, quantum sustentando, cum dignitate, Episcopo, & quod circa eum fuit, sacerdotum collegio, suffecturum existimauit. At enim, quod id anno factum fuerit, difficiliter definiueris, quando silent annales Hungarici. Placet, LADISLAI THÚRÓCZY sententia, annum supra millesimum septuagesimum quartum, vel sequentem, haud sine ratione, designantis. Nam, inquit, quod posterioribus adscribi temporibus non possit, liquet ex instrumento foundationis Abbatie S. Benedicti de Gran, anno millesimo septuagesimo quinto, conscripto, in quo mentionem facit Rex, possessionis Alpár, ad Episcopum Váciensem spectantis. vbi nominantur, Neamias, Strigoniensis, Desiderius Colocensis, Archiepiscopi; Episcopi deinde quatuor duntaxat: Aaron, Franco, Georgius, & Lazarus,

e.) BONFINIVS, Dec. II. Lib. IV. initio.

zarus, desideratis tamen Episcopatum nominibus. Sed nec ad interiora tempora, referri poterit: quoniam incredibilis Geyzæ modestia, adfirmare vetat; Ducem sibi tantum sumfisse, ut Episcopum nominaret, nondum Rex. Itaque anno, quem prædixi MLXXIV. ipsis solennibus Paschali-
bus, in regem inunctus, pro potestate Regis Apostolici, Váciensem sedem episcopalem dixit, antistite etiam creato. Adprobavit institutum, GREGORIUS VII. Pontifex, eo lubentius, quo impensius, hac Romanæ Ecclesiæ accessione, lætabatur. Nam in ea tempora inciderat, quibus multæ ei, cum ab Henrico Imperatore, tum a præsulibus Germaniæ atque Italiæ, novas subinde res, aduersus sedem Apostolicam, molientibus (s.) inferebantur iniuriæ. Ergo, non poterat non, pietate hac GEYZÆ, delectari, & erectam ab eo Episcopem, gratam habere, ratamque: cum videret, Germanorum, atque Italarum quorundam, ab ecclesia alienationem, Hungari hac religione, compensari: id quod, Pontificis, datæ ad Geyzam litteræ, testatum faciunt. Alioquin, complectitur Episcopatus hic Dioecesi sua, Comitatus Kis-Nógrád, Pest, Csongrád, & Szólnok-Exteriorem.

§. III.

Hæc, de institutione Episcopatus traduntur, (*) non item certum est, quis Episcoporum primus fuerit. SZÉNTIVÁNY (g.) fati habuit scripsisse: *Primos desiderari*. Nos, qua poterimus, diligentia, eruderabimus, & nomina, & quos edidere actus; veniam nobis a lectoribus polliciti, si conatum defecerit successus.

I. LAZARUS, primus præsulum fuisse a TÜRÓCZIO existimatur. Nititur vero eius diplomatis fide, quo GEYZA M. Abbatiam, S. Benedicti iuxta Gran, anno MLXXV. fundauit. Quis, inquit, Episcoporum primus Vácium gubernauit, auctores non produnt: mihi, si coniectura uti liceat, videtur fuisse Lazarus, vnus illorum quatuor, de quibus supra: tum, quia postremo ponitur loco, tamquam nouissima præsul Ecclesiæ; tum, quia credibile est, non absuisse a latere GEYZAR, antistitem loci, sibi in primis carissimi. Adde, in nullo episcoporum catalogo, ad hanc ætatem, Lazari haberi mentionem. Hæc nobis tantisper, vltra verisimilitudinem, certa sunt, dum meliora docti fuerimus. Proximus ab hoc,

II.) MARCELVS fuerit. Adseruit eius nomen & dignitatem, IOHANNES LVCIVS (h.) in eo diplomate, quod anno MCXI. Indictione IV. COLOMANNVS, Ecclesiæ Arbenfi, impertiuit. Eius clausula sic habet: *Datum est hoc priuilegium diuine Arbenfi Ecclesiæ, per manus Venerabilis Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, perpetuo, ex concessione Colomanni, Regis Hungaria, Dalmatiæ atque Croatiæ, in presentia suorum*

f.) Prolixus in iis describendis est PLATINA, in GREGORIO VII.

g.) Contraentem habes, S. TIMON, in Imag. Hung. Nouæ, P. II. Cap. VII. p. 68. ybi, p. 67. YROLITVM, Váciensem Epi-

scopum, ad annum MCLVI. refert, nobis ignoratum.

h.) Dissertatione Paralipomenica, Catalogo XVIII. p. 77.

b.) De Regno Dalmatiæ & Croatiæ, Lib. III. Cap. IV. p. 118. a

Episcoporum atque Comitum, quorum nomina hæc sunt: Marcelli, Váciensis Episcopi; Simonis, Quinqueecclesiensis Episcopi; Matthæi, Veszprimiensis Episcopi; Georgii, Georgensis, (Iauriensis) Episcopi; Sixti, Váradensis Episcopi; Tulberti, Collocensis Episcopi; Comitum vero, reliqua. Hunc illum reor MARCELLVM fuisse, qui, BELA cæco rerum potente, Archiepiscopus Strigoniensis fuit: quem ei pontificatum, eo procliuus fuit obtinere, quod iam tum, sub COLOMANNO, primo loco, post Laurentium Archiepiscopum, diplomati subscripsit.

III.) IACOBVS, cuius indicium fecit SZÉNTIVÁNY (i.). Lacunam inde faciunt catalogi, neque nos reperire poteramus quemquam, præter indicium illud SPONDANI (k.). Nimirum INNOCENTIVM III. litteras, ad Hungariæ Regem dedisse, iniunxisseque ei, ut Episcopo Váciensi, male a se habito, satisfaceret, addita, vltionis canonica, nisi obsequutus fuerit, interminatione. Id doleas, nomen Episcopi, non exstare. nisi forte credas, quod

IV.) BRICCVS fuerit, qui etiam BRIETVS, & in diplomatibus, Bruho, dicitur. Subscripsit decreto ANDREAE Hierosolymitani, quod anno MCCXXII. conditum est. Bruhonem nominari dixi: id quod ex eiusdem ANDREAE II. diplomate, indicium duelli adinente, & supra expromto, didicimus.

V.) STEPHANVS I. sub BELA IV. floruit, legatione ad Fridericum Imperatorem, & summum Pontificem, regis & reginæ iussu, perfunctus. Sine tractu mora, inquit ROGERIVS (l.) Stephanum Váciensem Episcopum, ad Imperialem, & Romanam Curiam, subsidio destinavit. RAYNALDVVS (m.) eam legationem sic memorat, ut nihil dubitet adserere, iure fiduciario, feudum vocant iuris consulti, Hungariam, Friderico, a BELA fuisse oblatam, si regno, per Tartaros pessime habito, mature opitularetur. Nihil, de ea re, scriptores patrii, in litteras retulere. PETRVS DE VINEIS (n.), Friderici Cancellarius: Ecce, inquit, Rex Hungariæ, regnum nostra ditioni subiecit, dummodo defensionis nostræ chlypeo protegatur. Apud eundem, & legationis mentionem legas. Audito, per venerabilem Vacensem (o.) episcopum, legatum ad nos Regis Hungariæ, magna, de Tartarorum venientium tempestate, reliqua. Opem certe, quod cum GREGORIO X. dissidebat adhuc, ferre Hungaris, haud potuit Imperator. Ergo, irrita fuit, BELAE ea facilitas, regnum Friderico offerentis. Quidquid eius sit, siue legatione hac, siue præclaris actibus aliis, id meruit STEPHANVS, ut (p.) Archiepiscopus Strigoniensis a BELA crearetur. Post hunc

P 2

VI.)

l.) In Adnotationibus ad Catalogos suos, §. III. p. 67. ad Catal. XVIII.

k.) Annal. Ecclesiasticis, ad annum MCCCIX. num. IX. Vide, in eam rem, eiusdem Pontificis Epistolam LXXXIX. Lib. II.

l.) De Destructione Hung. per Tartaros Cap. XXXII. p. 190. & ex eo BONFANIUS, Dec. II. Lib. VIII. p. 297, 24.

m.) Ad annum MCCXII. num. 32. 33. 34. n.) Epistolarum Lib. I. Cap. XXX. p. m. 209. Edit. Basil. forma m.

o.) Sphalma est, cum editio nostra legit Váciensem; emendauit ergo, manifestum errorem.

p.) THOMAS ARCHIDIACONVS, Historia Salonitanae Cap. XXXIX. p. 356. & RAYNALDVVS, ad annum MCCXXII. num. 35.

VI.) GOYMON, in diplomate Comitum Breberensium, occurrit. BELA id IV. anno, supra *Millesimum, ducentessimum, quinquagesimo primo*, Calendis Decembris, perscripsit; luci autem publicæ exposuit LYCVS. (q.)

VII.) HIERONYMVS, habes eius nomen, in aurca Bulla, Regis BELAE IV. qua, anno MCCLII. Præposituram Thûrócziensem, B. Mariæ Virginis, Ordinis Præmonstratensium, instituit. Hi enim illic præfules leguntur: *Datum est, & actum, per manus Reuerendi Patris, BENEDICTI, Archiepiscopi Colocensis, Aula nostra Cancellarii; Venerabilis Patre STEPHANO ARCHIEPISCOPO Strigoniensi; BARTHOLOMÆO, Quinqueecclesiensi; ZLANDO, Veszprimiensi; ARTOLPHO, Iauriensi; PHILIPPO, Zagrabiensi; HIERONYMO Vácziensi; LAMBERTO, Agriensi; GALLO, Transilvano; POVSA, Boznensi; OLYMIRIO, Syrmiensi; VINCENTIO, Varadiensi; ADAM, Nitriensi, Episcopis, qui in regno, nostro, Dei Ecclesiis præfuerunt.*

VIII.) Lacuna heic est in catalogis, quam nequiuimus expleuisse. Apud RAYNALDVM (r.) legas: pace, anno MCCLXXI. inter *Stephanum* Hungariæ, & *Ottocarum*, Bohemiæ reges, conciliata, GREGORIVM X. Pontificem Max. Archiepiscopo Pragensi, & Olomucensi Episcopo, in Bohemum; *Strigoniensi* vero, & *Vácziensi*, in Hungarum; si pacta quomodocunque contemerarent, irrogandæ censuræ ecclesiasticæ, fecisse potestatem. Sed nomen non expressit; nisi me fallit coniectura,

IX.) PHILIPPVS fuit. Eius nobis memoriam tabulæ LADBLAI Cumani, adferuarunt, quibus, anno MCCLXXIV. comitibus *Thoma he*, & *Andrea*, vicum *Kuchnya-allja*, in Comitatu *Sárus*, postliminii iure, adseruit. Episcoporum ibi nomina hæc sunt: *Metropolitica sede Strigoniense vacante, & Venerabilibus Patribus, STEPHANO, Colocensi; IOHANNE, Spalatensi; Archiepiscopis: LAMBERTO, Agriensi; BRICCIO, Csanadiensi; IOBO, Quinqueecclesiensi; PAVLLO, Veszprimiensi, aula nostra Cancellario; PHILIPPO, VÁCZIENSI, Aula Domina Reginae, consortis nostræ charissimæ, Cancellario; LODOMERIO, Varadiensi; TIMOTHEO, Zagrabiensi; DIONYSIO, Iauriensi; & PETRO, Transilvano, Ecclesias Dei, feliciter gubernantibus.* Huic,

X.) THOMAS I. excepit, eodem LADISLAO regum potente. Eruiimus nomen eius, atque geminum axioma, ex diplomate, anno MCCLXXXVIII. perscripto. Donabat nimirum Rex, possessiones, *Vezveres*, & *Várhegy*, in Comitatu de *Sárus*, magistro *Thoma*, dicto *Tolpos*; idque *per manus Venerabilis Patris, THOMAE, Episcopi Vácziensis, Aula nostra Cancellarii, dilecti fidelis nostri.*

XI.) HAAB, tiaram, iam tum sub *Cumano*, tulisse creditur. Nam, in *Andree III.* diplomate quodam, quod anno MCCXXX. hoc est, anno regiminis primo, inter præfules, recensitum lego. *Venerabilibus Patribus: LVDOVICO, Strigoniensi; IOHANNE, Colocensi; Archiepiscopis: ANDREA, Agriensi; GREGORIO, Csanadiensi; PAVLLO, Quin-*

q.) De Regno Dalm. & Croat. Lib. iv. | r.) Ad eundem annum, num. 31. Cap. ix. p. 177. b.

Quinqueecclesiensi, HAAB, Vácziensi; BENEDICTO, Veszprimiensi, Aula Domina Reginae, consortisque nostræ charissimæ, Cancellario; BENEDICTO Varadiensi; POKA Sirmiensi; ANDREA Iauriensi; & PETRO Transilvano, Episcopis, Dei Ecclesias florentes, gubernantibus. MORTUO *Andrea*, in iis a BONFINIO (s.) præfulibus, recensetur, qui, CAROLO oblucente, WENCESLAVM, in regnum, anno MCCCIII. adduxerunt.

XII.) NICOLAVS I. ad annum MCCCIV. LAZIO (t.) memoratur, dum solemniter inaugurati Albæ OTTONIS Bauari, recenset. OTTO, inquit, *solemniter in regem Hungaria inauguratur, anno MCCCIV. presentibus duntaxat, Güssingensibus Comitibus, BENEDICTO, Veszprimiensi; NICOLAO, Vácziensi; & ANTONIO, Csanadiensi; & BECKE quodam, filio Thoma.* Suspiciari possis, accepisse a WENCESLAVO puero, episcopum, Nicolaum hunc. Id aurem mihi velle, quod siletur, a THORÓCZIO (u.) eandem describente solemnitate.

XIII.) Qui se hinc exceperint, non facile repereris, nisi in diplomatibus CAROLI I. si eorum copiam facerent, qui possident. Sub LVDOVICO floruit:

XIV.) MICHAEL, quod anni MCCCLI. decretum, cui adscriptus est, condocet. Frequens postea, in diplomatibus LVDOVICI & decretis, eius mentio est. Vltimum, ad annum MCCCLIX. reperio. Hinc, ad *Agriensem sedem translatus suspicor, eo quod, anno MCCCLXIV. illic regis tabulæ, quas mox aduocabimus, Michaelis meminerunt.* Successit ei,

XV.) IOHANNES I. a nobis, in tabulis LVDOVICI eiusdem, quem nunc diximus, repertus. Confirmabat Rex, *Nicolao de Mocholya, vicorum Várhegy-allja, seu Bodolósabva, in Comitatu de Sárus, venerabilibus nimirum, in Christo Patribus & Dominis eodem NICOLAO, Strigoniensi; THOMA, Colocensi; VGLINO, Spalatensi; NICOLAO, Iadrensi; & ELIA Ragusiensi, Archiepiscopis; DEMETRIO, Varadiensi; DOMINICO, Transilvano; COLOMANNO, Iauriensi; LADISLAVO, Veszprimiensi; STEPHANO, Zagrabiensi; regnique Slavonie Vicario generali; DOMINICO, Csanadiensi, MICHAELE, Agriensi; WILHELMO, Quinqueecclesiensi; IOHANNE, VÁCZENSI; PETRO, Boznensi; Fratres STEPHANO, Nitriensi; &c. Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus.*

XVI.) PETRVS I. hinc in catalogis, ad annum MCCCLXXXIV. memoratur. Suspiciamus, eundem esse, quem ante vicennium, citatum nunc diploma, *Boznensem* episcopum dixit. Inciderat nempe in turbulentissima tempora, quæ post mortem LVDOVICI I. regis optimi, sub *Elisabetha* seniore, & *Maria*, Sigismundi sponsa, ob *Caroli parvi* factiones, euenierant. Exstat eius mentio, in diplomate LVDOVICI I. quo is, anno MCCCLXIV. Cassouenses impertuit; & in alio diplomate, iisdem Cassouensibus, anno MCCCLXXX. dato; denique in clausula decreti, *MARIAE* reginae, ad annum MCCCLXXXIV.

P 3

XVII.

s.) Decade II. Lib. IX. p. 314. 17. & eo | logia Austriaca Lib. II. p. 204. 22.
fide potior THORÓCZIVS, Chron. | a.) Ibidem, p. 205.
Hung. Parte II. Cap. LXXXIV. p. 81.
Item WOLFGANGVS LAZIVS, Genera- | u.) Parte II. Cap. LXXXVII. p. 82.

XVII. NICOLAUS II. successisse Petro, non ab re existimatur. Anno enim MCCCCV. ad calcem Decreti, quod tertium edidit SIGISMUNDVS, episcopus Vácziensis, vocatur.

XVIII. PHILIPPVS II. in gentis Szirmaiana diplomate, quo ei Zirmam, natalem, apud Borsodienfes, vicum, anno MCCCCXVIII. quarto Idus Martii, adfirmavit SIGISMUNDVS, expressus. Nomina Prælatorum, qui tunc moderabantur Ecclesiis, hac illic serie leguntur: *Venerabilibus in Christo patribus & Dominis*, IOHANNES, Strigoniensis; ANDREA, Colocensis; DVIMO, Spalatensis; & altero ANDREA, Ragusensis; Archiepiscopi; Iadriensis sede vacante: eodem Domino EBERHARDO, (Cancellario) Zagrabienfi; ANDREA, Váradienfi; STEPHANO, Transilvano; STIBORIO, Agriensi; IOHANNES, Quinqueecclesiensis; BENEDICTO, Boznensi, Fratibus; PHILIPPO, Vácziensis; DOVSA, Csanadiensis; HINCONE, Nitriensi; & THOMA, Szegrenfi, ecclesiarum episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus: Veszprimiensi, Iauriensi, Sirmiensi, Tragulensi, Scardonensi, Sibiniciensi, Nouensi, Tininiensi, Macarensi, Pharensi, & Corbauienfi sedibus vacantibus. Post Philippi fata, quæ ad annum forte MCCCCXXX. euenisse arbitramur, vacavit sedes Vácziensis. De anno MCCCCXXXV. res ex decreto SIGISMUNDI constat. Annum vero sequentem, adhuc caruisse episcopo, diploma eius loquitur, quo fundatum a BELA IV. Conuentum Iászouiensem, confirmavit.

XIX.) Itaque, deficit post ea tempora, episcoporum in catalogo series; non, quod perpetuo vacarit sedes; sed, quod eruti e diplomatibus non sunt. ALBERTVS certe, decretum suum, sine vlla Prælatorum & Baronum mentione, anno MCCCCXXXIX. edidit; idem, & LADISLAVM posthumum fecisse, videas, ad annum MCCCCCLIV. Primus, qui inde occurrit.

XX.) VINCENTIVS est. Adtigit ætatem MATTHIÆ Coruini, nam ante eius exordium, iam tum sub ALBERTO, rerum fuisse potitum, arbitramur. Hic ille Vincentius est, qui Georgium Podiebradium, legatus MATTHIÆ Regis, coronauit. De eo BOHVSLAVS BALBINVS (v.): Coronatus est Georgius, VI. Maii, anno MCCCCLVIII. In coronatione pretiosissimus lapis, de corona vitro decedens, ostendit, non sat bene in capite Georgii coronam sedere, ac Silesiam, a rege nouo abalienandam. Coronarunt, Augustinus, Iauriensis, & Vincentius, Vácziensis, episcopi, a MATTHIA rege missi; Prothasio, episcopo Olomucensi, qui nondum a Pontifice in ea dignitate confirmatus fuerat, adstante. Exstat eius nomen, inter prælatos, quos Decretum MATTHIÆ, anno MCCCCCLXIV. promulgatum, in clausula exhibet. Superabat adhuc, anno MCCCCLVIII. id quod nos tabulæ, quas reuersales (x.) vocant, eiusdem MATTHIÆ, docuerunt. Impetrauerat is ab Ordinibus, tributum extra ordinem, bello Hussarico propulsando, destinatum. Id vero, haud se in posterum, nisi con-

v.) Epitome Rerum Bohemicar. Lib. v. Cap. iv. p. 514.
x.) Tabulas exhibuimus, Operis nostri, To-

mo I. in Historia vrbis Pisoniensis, Cap. III. seu Periodo Hungarica. p. XXXIX. p. 165.

si consentiente regno, facturum, & ipse rex, spondere cogebatur, & cauere pro eo, Prælati ac Barones: in illis fuerunt: STEPHANVS (y.), Cardinalis Ecclesiarum Colocensis, & Bachiensis; IOHANNES, Strigoniensis, Apostolica sedis legatus natus, Archiepiscopi: IOHANNES, Agriensis; alter IOHANNES, Quinqueecclesiensis; ALBERTVS, Veszprimiensi; DEMETRIVS, Iauriensi; VINCENTIVS, Vácziensis; IOHANNES, Chanadiensis, Ecclesiarum Episcopi. Exceptit Vincentium:

XXI.) NICOLAUS III. de Bátor, vir excelsi animi. De eo BONFINIVS (z.): Vacia, suo antislite, Nicolao Bathoreo, viro nobilissimo, oratore summo, Italicis moribus, & disciplinis ornato, nunc maxime gloriatur. Nusquam NICOLAI laudes, cumulatus legas, quam apud GALEOTVM MARTIVM (a.). Id quod adscribemus, singulare est, & dignum relatu: NICOLAUS BATHOR, inquit, Episcopus, virtute & animi generositate, dignitateque corporis, cumulatus maxime erat. Studiis namque humanitatis in Italia eruditus, cura & diligentia doctrinam adaugens, nihil laboris, nihil vigiliarum, nihil impendii subterfugiens, quod ad doctrinam conueniret, breui effecit, ut doctissimis, acutissimisque Philosophis, eius doctrina & litteratura, summa cum admiratione, probaretur. Qui, dum Buda congregatio principum cogebatur, ne otio & garrulitati locum praberet, habuit secum librum, si recte memini, Ciceronis, cui Tusculanarum Quæstionum est titulus. Irridentibus multis, huius egregii iuuenis, librorum lectionem, ibi inusitatam; nouum quippe videbatur Hungaris, Episcopum libros lectitare, in eo præsertim loco, ubi sermo, & confabulatio esse consueuerat. Interea, rex MATTHIAS venit, & NICOLAVM, gestantem librum, conspiciens, ait ad Galeotam: NICOLAUS, ut puto, tuus fuit aliquando discipulus, & contubernalis, litterarum & doctrina amantissimus: & recte. Nam Apostolus Episcopus formans, inter cetera, Episcopum, doctorem ait esse oportere; docere autem nemo potest, nisi sit doctus; sed doctrina, aut superne inspiratur, aut studio & labore acquiritur. Recte igitur NICOLAUS inertiam ignauiamque fugiens, & legit, & studet, animumque ornat. Deinde Rex MATTHIAS vertit se ad principes illos, quorum risum acceperat. Nolite, inquit, irridere, quæ internoscere non valetis, ex ignorantia quadam. NICOLAO Episcopo illasistis. Nonne aliquando audiistis, virum quendam Romanum, nomine Catonem, fuisse sapientissimum, ut historia tradunt: cuius mortem, quæ Utica accidit, (est enim Utica Africa vrbis) Iulius Caesar, ille Imperator inuictus, iniquo animo tulit, quamquam ei semper esset inimicus. Hic igitur Cato, diuini consilii, doctrinae admirabilis, summa apud omnes auctoritatis, otium, tamquam vitiorum fomitem putans, dum Romanus cogebatur senatus, semper aliquid lectitabat. His auditis, in admirationem versi sunt, qui lectionem Nicolai irriserant. Hæc ille. Alioquin, male postea Bathoreo, cum

MAT-

y.) Ita tunc, quia purpura, insignis fuit | a.) In, de Regule, sapienter, iocose Dicitur
Stephanus, Strigoniensem episcopum
antecessit. | & Fastis, Regis MATTHIÆ, Cap. XXXI.
p. 388. Bongarsianæ Collectionis.
z.) Decade I. Lib. I. p. 5, II.

MATTHIA conuenisse, regis, ad eum litterarum, quae exstant, condocent. Impertierat CORVINVS, Nicolaum, *lure Patronatus*; qua ille indulgentia, cum vti nesciret, neque regis mandatis, ex aequo obsecundaret, indignationem eius in se prouocauit, oppido grauem, & *Coruini* seueritatis indicem. Epistola sic habet: *Reverende in CHRISTO*
 „ Pater, Fidelis Nobis dilecte! Si litteris *Iuris Patronatus Nostri*, vo-
 „ bis alias, ex speciali gratia Nostra, & non ex debito concessis, bene
 „ vti potius, quam abuti sciuissetis, & non insultando prouocassetis in-
 „ dignationem Nostram: Nos profecto, quemadmodum aliis bonis Epi-
 „ scopis, mandatis nostris obtemperantibus; ita & Vobis libenter con-
 „ cessissemus, frui tali gratia & concessione nostra. Verum, quia omnis
 „ mali foruitem, ex huiusmodi litteris processisse cognouimus; Nos eas
 „ litteras, in specie Nobis presentatas, sigillo Nostro, quod appensum
 „ iisdem fuisse gloriabamini, abscisso & ablato, nudauimus, easque,
 „ tamquam Vobis nocuas, conscidimus: scilicet; ut omnis deinceps con-
 „ tra Nos insultandi materia, dilaceratis iisdem litteris, Vobis tollere-
 „ tur; & maxime, ut cessante causa, cessaret etiam effectus. Scripsi-
 „ mus ergo ad *Theaurarium Nostrum*, ut possessiones ecclesiae Vestrae oc-
 „ cupatas, remittere debeat. Nos enim hos excessus, quibus Nos ad
 „ indignationem prouocaueratis, non tam propter vos, quam propter ser-
 „ uitiu fratris vestri, & ad supplicationem caterorum fidelium nostro-
 „ rum, pro hac vice indulsumus, ut admoeamus vos, ut de cetero ca-
 „ ueatis prouocare indignationem Nostram. Quia, si ita, vti hactenus
 „ consueti estis, mandata nostra contemnere pergetis, veremur, ne cre-
 „ bra indulgentia nostra, maiorem exigat ultionem; sicuti vobis, fa-
 „ mulus iste Vester, latius mentem nostram declarabit. Datum Buda,
 „ A. MCCCCLXXXIV. Profecto, nouacula in cotem! reconciliatus
 inde Regi Nicolaus, laudatissimum se, non autistitem modo praebuit, sed consiliarium etiam. In operibus eius, *Nograd* instaurationem *ISTVÁNYVS (b.)* cum laude memorat. *Arx*, inquit, ditioris olim Episcopi *Váciensis*, rupi, non admodum edita, imposita est, auorumque nostrorum memoria, magno, *Nicolai Báthor*, *Váciensis Episcopi*, studio, multis aedificiis ac elegantibus, opere *Iacobi Tragurini*, architelli & statuarii, restaurata fuit. Superauit aetate *Coruinum Nicolaus*, sicuti constat, ex decretorum clausulis, puta: anni MCCCCLXXXVI. quod a MATTHIA; annorum item MCCCXCII. & MCCCXCVIII. atque MD. denique MDIV. iis tabulis, quibus Status arceri volebant exteros, a regia, apud Hungaros, dignitate, subscripsisse Nicolaum (c.) reperio. Succellit *Báthorio*

XXII.) IOHANNES II. ORSZÁG, incluta ea gente, quam ad opes, & summam dignitatem, SIGISMUNDVS euekerat, editus. Eruditionem viri, inde aestimare possis, quod *Decretorum Doctor*, saluaretur. Bre- uem

b.) Libro xviii. p. 623. 6.

c.) Non ergo dicendi sunt *Nicolai*, quorum alterum, ad annum MCCCCLXXXV. al-

terum ad annum MCCCXC. collocat *SCENTIVANVS*; sed idem iste *Nicolaus de Báthor*.

uem ei sedis vsuram fuisse oportuit, & vix duobus lustris definitam. Nam

XXIII.) LADISLAVS I. SZALKANVS, iam tum anno MDXIV. ad calcem decreti, Episcopus *Váciensis* scribitur; *Országi*, ne mentione quidem superflite. Multum, apud WLADISLAVM regem, valuisse, ob insignem, in rebus gerendis, dexteritatem, adhibitumque fuisse administrandae reipublicae, vltra, quam vellet, frequentius, ex epistola, quam ad summum Pontificem dedit, addiscas: quam, vt de viri integritate constet, heic, quando edita est nondum, interserimus. BEATISSIME PATER! Post Sanctitatis Vestrae pedum osculum, atque humilem mei, seruuli minimi subiectionem, & suscepti ordinis ratio, & animi propensitas, eo me vehementer adducunt, vt secularibus negotiis, penitus abdicatis, soli cultui diuino, Ecclesiaeque meae regende, ac moderanda, totus incumberem. A qua quidem sententia, nullo unquam tempore diuelli possem; ni Serenissimus Rex Hungariae, Dominus meus gratiosissimus; cuius voluntati refragari, nec expedit mihi, nec licet; me ad pleraque huius regni negotia obeunda, frequenter adhiberet, meaque opera, & quantumcumque industria, in arduis, difficilibusque rebus, suo quodammodo iure, vteretur. Quae quidem omnia, eo libentius subeo, quo planius animaduerto, ista eadem, ad arcendos fidei hostes, & rempubl. Christianam, pro virili propugnandam, maxima ex parte pertinere. Ne autem, per meam absentiam, Ecclesia, cura mea concredita, diuino cultu quouis modo fraudetur, delegi in suffraganeum *Damianum*, *Doctorem Decretorum*, eiusdem Ecclesiae *Canonicum*, deuotum Sanctitatis Vestrae oratorem: aetate, scientia, moribus idoneum. Cui, donec de opulentiori beneficio prouidebitur, ea suppeditabo adminicula, quibus honestam, ac commodam vitam ducere valeat. Supplico itaque Sanctitati Vestrae, ne Ecclesia, ex suffraganei inopia, aliquid sentiat dispendii, praefatum *Damianum*, in Episcopum, ritu solito, consecrari facere. Id quod magne, Sanctitatis Vestrae, aduersus me humillimum eius mancipium, gratiae atque clementiae loco, recognoscam. Quam Deus altissimus, pro verae religionis incremento, ac totius Ecclesiae tutela ac defensione, dignetur, quam diutissime, incolumem praeseruare. Buda, XVI. Februarii, A. MDXV. Vixit postea, sub *LYDOVICO II.* haud inglorius, & *Bobemica* legatione, cum primis, quis esset, quamque idoneus rebus administrandis, palam cognitus. Meminit, hanc eius laudem *ISTVÁNYVS (d.)*: Eodem tempore, inquit, mittuntur in *Bobemiam*, *Ladislavus Szalkanus*, Episcopus *Váciensis*, nec non *Blasius de Rasca*, *Tauernicorum*, quos vocant, *Magister*, qui *Bobemos* de his, quae in comitiis *Pesthanis*, de creando *Palatino*, ac regia potestate *Ludouico* permessa, acta fuere, edoceant. reliqua. Id certe, ea legatione effecit, vt *Bobemi*, ne fide & propensione, inferiores *Hungaris* viderentur, liberam, neque circumscriptam gubernationis legibus, regni administrationem, *LYDOVICO*, aetate tenero, permitterent. Postea, cum *LYDOVICVS*, fidem

TOM. III.

d.) Lib. vi. p. 85, 39.

Bohemis iureiurando obstringeret, conjugemque, diademate regio, curaret redimiendam; ipse enim, patre viuento, quadrimus adhuc inaugurator fuerat; Szalkanum, consiliorum arbitrum, secum habuit. Iterum ISTVÁNFYVS (e.): Quibus rebus confectis, conuocato iterum Senatu Bohemico, adhibitisque in consilium, Andrea Baronio Siculo, Caesaris legato, & Alberto Marchione Brandenburgensi, Prussia duce, quem Sigismundus Polonia Rex legatum miserat, ac Ladislao Szalkano, Episcopo Vácziensi, cuius consilio lubenter utebatur, res Bohemicas composuit. Hi eius, oppido laudatissimi actus fuere, dum episcopum Vácziensem administraret, quibus, id apud LVDOVICVM meruit, vt Archiepiscopus Strigoniensis crearetur. quæ res, cum eo venerimus, locum nobis faciet, de Szalkano dicendi.

XXIV.) STEPHANVS II. BRODERICVS, magnatum virtutum præful, Ladislao, successor, a LVDOVICO, tempestiue datus est. Non iam inclinabant, sed ruebant res Hungaricæ in deterius, cum, quo se verteret rex adolescens, inter diuersissima ordinum studia, non reperiret. Ingruebat, præterea, Solymanus, collectam diro animo tempestatem, in Hungariam effulurus. Ergo, vt auerruncato hoste, seruaret patriam, LVDOVICVS, Vácziensem Episcopum, Stephanum, Romam ablegat, impetrandorum auxiliorum causa. Quum eodem, inquit (f.) tempore, (quo ad Ticinum, Franciscus Gallie Rex, a Carolo V. interceptus fuerat) LVDOVICVS ad Clementem Pontificem, in urbem, opis imploranda gratia, legatum mitteret Stephanum Brodericum, Episcopum Vácziensem, dedit ei in mandatis, vt Franciscum, in arce Pistone, qua ad Abduam flumen sita est, custoditum, conuenire, suoque nomine consolari, operamque, & studium omne suum, sicubi ea usui esse possint, offerre, non prætermitteret. Quæ res Francisco regi, non mediocri solatio fuit; reliqua. Ceterum, quæ fuerint legationis, ad Pontificem susceptæ capita, optime, ex litteris LVDOVICI, quas ad CLEMENTEM VIII. per Stephanum dederat, addiscas. Habemus earum insigne fragmentum, quod ne intercidat, simulque vigor animi, qui erat in LVDOVICO, tot malis circumuento, cognoscatur, interserendum illhic putauimus. His diebus, inquit, in frequenti totius regni (g.) conuentu, ob id ipsum a me indicto, idoneum, & ad præsentem bellorum usum, apprime necessarium delectum habuimus. Vbi, qui in præsidis castellarum & munitionum excubare; qui a finibus, ingruentes hostes arcere; quique iusta acie, cum res postulabit, ac collatis signis, pugnare valeant, exacta certaque ratione, constituimus. Vnum illud, vnde rei bellicæ summa constat, duntaxat, impedimento erat, quod hoc regno, ob tam diuturna, cum hoste, certamina; quod aliis litteris, Sanctitati Vestra latissime significauimus; penitus exhausto exinanitoque, nouissime vero ex nefaria popula-

e.) Ibidem p. 103, 6.

f.) Verba ISTVÁNFY recitamus, Lib. VIII. p. 114, 11.

g.) Idem ille fuit, cui, facto tumultu,

Verbozcius & Zobius, intercesserant; sed qui Szalkani, & Stephani Baboroi Palatini, ope, reintegratus, & ex sententia regis, finitus est. Ibidem p. 115, 4. seqq.

ris multitudinis (h.) in superiores ordines rebellione; tributisque etiam, & vectigalibus consuetis, magna ex parte spoliato; sumtus, ad alendum fouendumque militem, bellicæ onera toleranda, nulla prorsus via, expedire valebamus. Quonam igitur pacto, Sanctitati Vestra, meritas gratias agere debeam, nec animo quidem concipere, nedum verbis explicare possum, quæ ad hoc regnum, tot angustiis circumuentum, tantisque armorum fluctibus, pene obrutum, clementes, ac benignos suos oculos, conuertere dignata est, deque opportuno remedio, in ipso, quod aiunt, temporis articulo, prouidere. Hoc est gregis Domini curam gerere; hoc veri pastoris opus; hoc Summi Pontificis, Christi que Vicarii partes, capitique Apostolorum munera, explere. Quæ dum sanctitas Vestra, gerit, & æternam sui nominis gloriam, in omnem posteritatem propagat, & diuinum numen, magis magisque propitium sibi reddit. Atque, vti nam hoc Sanctitatis Vestrae, velut exemplo, reliqui Christiani potentatus, allecti, simultatibus odiisque intestinis sublatis, in commune tandem Christianæ Reipublicæ, iam iam pene labantis, tempestiue consulant, vnitisque viribus; id quod, iam diu factum oportuit; in apertum fidei, totiusque pietatis hostem, vitricia arma capebant. Ad id vero, Sanctitas Vestra, ni fallor, incredibili sua sapientia, summaque auctoritate, suaque demum munificentia, eos, non difficulter adtrahet, ac inuitabit. Interea vero, nos ipsi, quatenus vires suppetent, omne robur, omnesque conatus, ad furorē rabiemque hostium arcendam repellendamque, vertemus; ac per vulnera, cades, cruoremque nostri militis, grassanti hosti, & in dies, in Christiani imperii viscera, magis magisque irumpenti, iter, pro virili intercludere, nitentur. Nam, medius fidius, nostratum animi, hac munificentia Sanctitatis Vestrae recreati, quasi Sanctitatis Vestrae felici ductu, secundisque auspiciis, pugnaturi, ad omnem Martis aleam, bellorumque discrimen subeundum, alacritate, speque bona pleni, sese accingunt. Quod, si qua simul victoria ac triumphus subsequatur; id vero fore, diuina benignitate, suffragante, non diffidimus; omnis, procul dubio, rerum gestarum laus & gloria, in Sanctitatem Vestram, iure optimo redundabit. Et quoniam, omnis, tanti belli, apparatus, primo quoque tempore est expediendus, mittimus hunc N. (i.) qui a Sanctitate Vestra oblatum præsidium recipiat, & ad nos quam ocissime deferat. Cui etiam meo (k.) nomine Sanctitati Vestra referenda commisi. Illud in primis Sanctitati Vestrae supplico, vt, cum omnis vltior mora sit amouenda, dignetur eadem, hunc meum nuncium, bene, & pro voto, expeditum, ad me, quam celeerrime, remittere. Hæc LVDOVICVS ad CLEMENTEM, profecto, idonea ad persuadendum; fallor? Hieronymi Balbi, Præpositi Pisoniensis, stilo, præter aulicorum morem, cultiore, exarata fuisse epistolam: nam a secretis epistolis regi fuisse, ali-

Q 2

bi

h.) Bellum rullicum vult, anno MDXIV. parte WLADISLAO, reuera potiente, deficiente, significat.

i.) Exple: P. in C. Patrem, Stephanum Bro-

dericum, Episcopum Vácziensem, fidelium nobis dilectum.

k.) Credo, querelas fuisse, æquissimas eius, ob seditionem Verbozianam, quas Rex, noluit in litteras referre.

bi (l.) prolixè docuimus. Quid ea legatione profecerit Brodericus, non reperio. Apud regem certe, sibi deditissimum, id meruit, vt Cancellarii dignitate augetur. Interfuit postea, funestæ illi pugnae, ad Mohácsum, regi vbique proximus. Certe, eo (m.) arbitro, connitebatur LVDVICVS, & Strigoniensem, & Palatinum, ante ab ineunda pugnae consiliis deducere, quam vniuersus, qui auxilio aduentabat exercitus, in castra conflueret. Cæso rege, superstes Stephanus, suapte, an coactus necessitate, IOHANNIS de Zápolya, partes sequutus est, locauitque ei (n.) sacram operam, cum Alba inauguraretur. Eius demum partes constanter tuitus, semel, iterumque, paci, inter reges conciliandæ (o.) adhibebatur. Pisonii, frustra, res ea tentata, Váczia tandem, ex paciscentium sententia, confecta est, Sed nuptias quoque IOHANNIS, cum Isabella, SIGISMVNDI regis Poloniae, ex Bonna Mediolanensi, filia, Stephanus, conciliauit. Missa, inquit ISTVÁNFFYVS (p.), Stephanus Brodericus, Episcopus Váciensis, & Stephanus Verbóczius, rem ex animi sententia profecerunt. IOHANNES, sua morte functo, atque Buda, per Solymanum, viduæ astu extorta, Brodericus, tamen, inter partes FERDINANDI, atque ISABELLAE, medius fuit; tamen arcem Neogradum, immunem a Turcis, & suo ipsius custoditam præsidio, (q.) diutius retinuit. Reliquit nobis historiam, luctuosæ, ad Mohácsum, cladis, quam SAMBVCVS recognouit, & integram in appendice, BONENIO adtexta, luce publica donauit. Broderici tumultum, NICOLAUS OLÁHUS, istiusmodi honestauit elegia:

Hic iacet inclusus, gelida Brodericus in urna,
Cui decus & nomen pulchra corona dedit.
Phœbus in aethereo donec clarescet Olympo,
Dum tenebras densas, Cynthia clara fugat;
Semper erit Stephani virtus, doctrina perennis.
Sancta fides, probitas, & pietatis amor,
Pontificis vixit sacro decoratus honore,
Cuius in officio, sedulus vsque fuit.
O felix claros patria qui vidit honores!
Illius ast cladem cernere non voluit.
Dum nullam potuit nostris adhibere medelam,
Hisce malis: subito migrat ad astra poli.

XXV.) AVGVSTINVS SBARDELLATVS, cognatus, Dudithii, Quinqueecclesiensis episcopi, quem puerum, vtrique Palladi, armatae illi, ac litteratae, penitus intimauit. Auunculum, inquit autor vitæ Dudithii

l.) Operis nostri, Tomo I. in Historia Urbis Pisoniensis Cap. v. De Prærogatiuis Urbis Pisoniensis, Art. VII. §. VI. p. 550. sequi.

m.) ISTVÁNFFYVS Lib. VIII. p. 123, 40.

n.) Idem Lib. IX. p. 135, 45.

o.) ISTVÁNFFYVS Lib. XII. p. 189, 12. atque iterum p. 193, 30. denique, p. 205, 39.

p.) Lib. XIII. 223, 32.

q.) Ibidem Lib. XY. p. 257, 30.

dithii (r.) habuit AVGVSTINVM de SBARDELLAT, Episcopum Váciensem, virum, omni laude, dignitate, & auctoritate florentem, & in litteris pariter, ac militari scientia, præstantissimum, qui Strigoniensem etiam Archiepiscopatum, summa Caesaris FERDINANDI, adeoque Pontificis Romani, gratia & voluntate, per aliquot annos, feliciter administravit: & quem esset Hungaria, patria suæ amantissimus, ipso factò testatum reliquit, dum pro aris & focis, fortissime contra Turcas pugnando, magna cum gloria vitam profudit. Testimonium istud extranei hominis est; sed ita comparatum, vt mereatur omnino fidem. quam nos ei, domesticis testimoniis, age præstruamus. Ac primo quidem certum est, has, ea tempestate, virtutes, in Episcopis Hungaria inesse debuisse, si e re patriæ esse volebant; vt, & arte valerent, & Marte; artibus enim, quas liberales vocamus, coniunctis cum rerum diuinarum peritia, Ecclesiam sustentare; defensare patriam armis, tenebantur. Non ergo mirabuntur exteri, cum relatum legent, & pedum, ex æquo versasse Episcopos Hungaros, & gladium: hunc enim patriæ defendendæ amor; illud, muneris rationes, demandabant. Archiepiscopatus Strigoniensis, procuratio, tunc credita Augustino fuit, quando mortuo Paulo de Varda, ea sedes Georgio Monacho destinabatur. Quo, violenta morte sublato, Augustino autem, eo bello, cui Taiffelus, infelici euentu, moderabatur, interempto, Archiepiscopo, Nicolao Olábo, post triennii vacationem, obtigit. Nempe, gemino bello, quæstoris munere, Sbardellatus perfunctus est; Muranensi altero, quod Salmenis (s.) ductu, feliciter confectum est; altero, Taiffeliano isto, Augustino exitiali. Augustino Sbardellato, inquit historicus, (t.) Episcopo Váciensi, Italica originis, sed in Pannonia nato, Salmenis Comes, bello Muranensi, curam commeatus demandauerat: eandem prouinciam, Taiffelus quoque ei ratam habuit; sed euentu infelici. Namque, legione germanica, ex acie profuga, Taiffelus, suos retentare conatus, a circumfuso & conserto hoste, captus: (u.) Sbardellatus acriter pugnans, interficitur. Hic, viri exitus, anno MDLII. fuit. Successit Augustino

XXVI.) BLASIVS DE VARDA, Ecclesiæ Scepusiensis Præpositus, patruelis, sicuti credo, Pauli Archiepiscopi. Suscepit tiaram, FERDINANDI I. beneficio. quam ei sacra sedes, Anno MDXLIV. tertio Nonas Augusti, penitus confirmauit.

XXVII.) IOHANNES III. DE UJLAK, Presbyter Dioceseos Sirmienis, & Commendator perpetuus Abbatiae Pilisensis, Ordinis S. Benedicti. Ratam eius dignitatem habuit curia Romana, anno MDLX. decimo sexto Calendas Augusti. Gessit cum laude, & Cameræ Pisoniensis præfecturam. Anno MDLXXIX. superflitem fuisse adhuc, SZENTIVÁNYVS auctor est,

Q 3

XXVIII.)

r.) QVIRIVS REITERVS, Professor Acad. Heidelbergensis. Scriptis eius præmissa. Prodit A. MDCX. Offenbachii, forma quadrupartita.

s.) ISTVÁNFFYVS Lib. XVI. p. 284, 29.

t.) Libro XVIII. p. 332, 44.

u.) Ibidem p. 335. I.

XXVIII.) ZACHARIAS MOSÓCZY, adiit episcopem, anno MDLXXX. Vix aliam viri mentionem repereris, quam, quæ habetur, Decreti Anni MDLXXXII. articulo VI. vbi inter eos refertur, quibus hereticorum finium Hungariæ, prouincia, demandabatur.

XXIX.) STEPHANVS III. MATTHÉSY, habes eius nomen expressum, in sanctionibus (v.) anni MDLXXXVII. Ad eundem annum refertur a SZENTIVÁNYO, isthuc, ex Episcopatu *Csanadiensi*, translatus. Fuit rector Altaris *S. Andreae*, Pisonii: hinc ad sedem *Agriensem*, postulatus.

XXX.) MARTINVS PETHE, de *Hetes*, qui tamen iisdem, quas citauimus, sanctionibus, *Varadiensis* Episcopus dicitur. quod vix possis conciliare aliter, quam si eodem illo anno, *Agriam*, translatus *Matthesium* credas, cui, sine cunctatione, *Martinus* surrogatus fuerit. Saltem id certum est, præcessisse ordine *Matthesium*, anno forte MDLXXXVII. septimo Calendas Octobres, a Pontifice, (quod *Martino* tribuit *Szentivány*) confirmatum; successisseque *Petheium*, cui confirmatio sacre sedis anno dein MDLXXXIX. nono Calendas Ianuarii, (quod de *Matthésio* adfirmat *Szentiványus*) obtingere potuit.

XXXI.) STEPHANVS IV. SZUDAJ, primam eius mentionem lego, in ea pacificatione, quæ *RVDOLPHVM* inter, atque *Sigismundum Báthori*, *Transiluanie* Principem, anno MDCXV. *Prage* conciliata est. Illic enim, altero loco, in iis præsulibus positus est, quibus pacificandi facultatem, *RVDOLPHVS* crediderat. Præfecturam gessisse *Camera Hungaricæ*, suo loco (x.) diximus fuisse. Fit postea Episcopus *Agriensis*.

XXXII.) PETRVS II. RADOVICIUS, accessit ad tiaram, anno MDC. Nihil de eo reperio, quam quod anno MDCVI. in arbitris fuerit, pacis, inter *RVDOLPHVM*, & *BOTSKAIVM*, conciliatæ. Anno certe MDCVIII.

XXXIII.) PAVLLVS I. ALMÁSI, ea dignitate vahit; sicuti ex clausula sanctionum, eius anni, constat. Recurrit postea eius mentio frequentius. Nam, anno quidem MDCIX. articulo Decreti LXX. in confessoribus refertur *Iudiciorum octauatum*; quod, & anno MDCXVII. articulo LXIV. repetitum legas. Sequutus cum est.

XXXIV. NICOLAVS III. DALLÓS. Exstat eius nomen in sanctionibus anni MDCXXII. articulo XLIII. Hinc *Iaurinum* translatus, locum fecit,

XXXV.) STEPHANO V. SENNYEI de *Kis-Sennye*, viro, legum peritia, insigni; quod auctoramento fuisse *FERDINANDO* II. crediderim, vt cum, a *Vácziensi* hac sede, ad *Iauriensem* postularit. Nam, cum ad calcem decreti, anno MDCXXV. Episcopus dicatur *Vácziensis*; sequentium Comitiorum, quæ in annum MDCXXX. inciderunt, decre-

v.) Articulis XX. & XXIII.

x.) Tomo 1. Operis huius nostri, in Hi-

storia Vrbs Pisoniensis, Cap. v. Artic. 7. §. IV. p. 441.

decreti clausula, *Iauriensem* nominat. quorsum triennio ante, translatus oportuit, si anno MDCXXVII. quinto Calendas Februarii, a Curia Romana, sicuti *Szentivány* meminit, adfirmata ei, hæc dignitas est. Fuisse *Cancellarium Regni*, tabulæ, quæ passim exstant, loquantur hodieque.

XXXVI. PAVLLVS II. DAVID de *Felsitál*. Habes eius memoriam, clausula decreti, quod anno MDCXXX. *FERDINANDVS* II. edidit, expressam. Breuella ei episcopatus vlturam esse oportuit. Enim vero, anno MDCXXXV. in Decreti epilogo,

XXXVII.) GEORGIVS I. DRASSKOWITH de *Trakostyán* Episcopus *Vácziensis* fuisse legitur. *Iaurinum* hinc delatus, qualem se præbuerit, illic expromemus. Surtogatus ei fuit,

XXXVIII.) GREGORIUS (y.) NAGYFALVAY, ex Canonico & *Cusode Iauriensi*, ad eam sedem promotus, anno demum MDCXL. tertio Idus Augusti, a Pontifice confirmatus. Hunc

XXXIX.) LADESLAVS II. HOSZSZVÓTI, ante annum MDCXLVII. excepit. Nam, in anni eius decretis, articulo XCI. clausula item, *Episcopi Vácziensis* nomine censetur.

XL.) IOHANNES IV. PÜSKY, ex *Præposito de Szalka*. (z.) Episcopus primum *Csanadiensis* (a.); *Nitriensis* postea (b.) tum *Vácziensis*; atque simul *Archiepiscopus Colocensis*; id quod in epilogo sanctionum anni MDCXLIX. legas.

XLI.) MATTHIAS TARNÓCZY, *Csanadiensis* sede (c.) relicta, *Vácziensem*, a *Püskyo* vacuefactam, & cum *Iauriensi* permutatam, infedit, anno MDCLV. decimo septimo Calendas Iulii, a Curia Romana adprobatus. Enim vero, frequens in sanctionibus (d.) eiusdem anni, *Tarnóczii*, eaque honorifica mentio, occurrit.

XLII.) THOMAS II. e Comitibus *Pálffy*. Et huic *Csanadiensis* (e.) primum tiara, tunc forte obtigerat, cum *Tarnóczius*, ad *Vácziensem* euocaretur. Id vero, ante A. MDCLIX. euenisse necesse est, eo, quod comitia anni illius, iam *Episcopum Vácziensem* (f.) adpellant. Sed hinc ille, breui post, ad sedem *Nitriensem*, *LEOPOLDI* beneficio, commigrauit.

XLIII.) FRANCISCVS I. SZENT-GYÖRGYI, natione Siculus. Fuit primo *Transiluanensis* præsul, vt est, in conclusione decretorum anni MDCLIX. factus postea *Vácziensis*, quod anni MDCLXII. sanctiones (g.) condocent. Funestum eius exitum, & huius siue occasiones, siue

y.) SZENTIVÁNY Georgium vocat; nos cum Decreto anni MDCXXXVIII. Gregoriam.

z.) Vide anni MDCXXXV. Artic. XVI. & LXXV.

a.) Sic eum vocat clausula Decreti Anni MDCXXXVIII.

b.) Ad calcem Decreti A. MDCLVII. & Art. XCI.

c.) Ita colligas ex epilogo Decret. A. MDCLIX.

d.) Ad Articulos XXX. III. C. & Decreti epilogum.

e.) Sic habet Sanctionum anni MDCLV. clausula.

f.) Præter calcem Decreti, Artic. LXVI.

g.) Articulo XXXVII. & fine.

sue causas, iuvat ex WAGNERO (h.) adscripsisse; ut constet, quam sit exitabile, inuita Minerva, rebus gerendis, admoueri velle. FRANCISCUS San-Georgius, Vácziensium Antistes, gente Siculus, rerum Transiluaniam, ut sibi quidem videbatur, prae ceteris, callens. Ceterum, antiqui vir moris, & episcopus melior, quam publicarum rerum minister. In opinionem tamen venerat, egregiam ab se, patrie operam, nauari posse. Caesar, adprobato hominis studio, litteris ad ABASSIVM, ac nonnulla auctoritate instructum, expiscari iubet a Transiluanis; Turcae occupaturi regionem viderentur, si Germanus miles abscederet? namque, una haec cura, ab renocando exercitu, Caesarem retardabat. Sed, vir bonus, & simulandi artium insuetus, cum inscite, friuoleque diceret multa, & faceret; suspiciones haud dubie auctum ibat: nisi perspecta hominis simplicis probitas, delicti simul occasio, ac excusatio fuisset. Ac primo quidem Samos-Ujvarinum ingressus est, contra, ac commentus litteris, dilucide cautum erat. Iussus, negotii, ob quod venisset, summam coram praecipuis ABASSII ministris exponere, nescio, qua vertigine: Missum se a Cesare aiebat, ut Germanis vacuaret Transiluaniam; in eam rem, conuento ante Redano, sibi opus esse, qui obsessam tum Claudiopolim, propugnabat. Finito, trium horarum secreto colloquio, acrius, quam unquam, e vallibus simul omnibus, tormenta soluebantur: adtonitis hostibus, qui inducias, abitumque praesidiariorum, praesulis auctoritate pactum, praesumerant. Kucfucus, pressa tantisper, qua ardebat, indignatione, Olajum quempiam, Gyulensem Begum, hominem vasrum, ac praecallidum, submittit, qui simulatione primum officii, dein de pacis conditionibus acturus, quid demum id hominis esset, prolliceret. Hic, vir rectus, simplice candore negat, cuiusquam rei sibi potestatem a Cesare factam; ideo adesse, ut, quo Transiluaniae res, loco essent, Viennam nunciaret. Adeo discrepantia loqui, miratus Kucfucus, ac iam, non pro exploratore modo, sed impostore aperto habens, acerrime custodire iubet: & parum aberat, quin acerbius aliquid statueret; nisi Abassii hunc precibus condonasset. Deiebat insuper, non eum prius vinculis, quam Transiluaniam Austriacis omnibus, liberandam. Ille, contra, Caesaris nomen obtendere, Schneidano, Redano, supplices litteras scribere; illi, ne deditioem impediret; isti, ut faceret quam primum, suadere; perditum se alias, complorans; cum neuter, priuato obtemperandum censeret, Temesuarinum denique, miser, trecentorum Turcarum comitatu, transmittitur, ubi, ab Halyo, non inclementer acceptus, maxime tamen, ac ignominia, non diu post, contabuit. Haec Szent-Györgyii fata fuerunt, non Caesaris, sed sui ipsius culpa, qui se publicis rebus, imprudens, commiscuerit, prouocata.

XLIV.) FRANCISCUS II. LEONHARDVS SZEGEDY, Tyrnauensis, Poeta, annis iuuenilibus, ultra, quam reris, insignis. Edidit artis specimen, cum Virgilianis conferendum, eo carmine (i.)

quod

h.) Historia Leopoldi M. Lib. II. p. 105.

i.) Exhibuimus illud, ex SIGISMUNDI FER-
RARII, de Rebus Hungaricae Prouin-

cis Ordinis Praedicatorum, Lib. II. Par-
te II. Cap. XXXIII. p. 352. Tomo I. in
Historia Urbis Pisonensis, Cap. VI.
§. XII. p. 595. sequ.

quod CONCHAM DIVAE MARGARITAE, adpellauit; laudes nimirum B. Margaritae, BELAE IV. filiae, prosequutus. Euasit hinc in Agriensem Episcopum, virtutis utrobique defecata, confirmatusque inibi est, anno MDCLXXII. duodecimo Calendas Apriles. Suffectus, eodem anno,

XLV.) GEORGIUS II. PONGRÁTZ de Sz. Miklós & Óvár. Vix est, quod de eo moneamus, quam quod anno MDCLXXII. sexto Nonas Maii, a Romana sede confirmatus fuerit.

XLVI.) IOHANNES V. GUBASÓCZY cum antea Episcopum Quinqueecclesensem, sed extorris adhuc, cum laude, administrasset; ad Vácziensem sedem, iussu LEOPOLDI M. accessit, anno fere MDCLXXVII. tulitque Summi Pontificis adprobationem, quarto Idus Iulii, anni eiusdem. Fit inde regni Cancellarius.

XLVII.) PETRVS III. KOROMPAY, in agro Pisonensi, Korompae, loco nobili, editus, ita se, a pueritia, studiis melioribus consecrauit, ut, cum S. Theologia Baccalarius, adolescens crearetur, iuuenis postea sacerdotis praeset, dum spectata in eo virtus, ad episcopum ei gradum sterneret. Vácziensis ergo primum creatus praesul, adprobatus a Papa est, anno MDCLXXXI. tertio Calendas Maii. Tulit postea & Nitriensem tiaram, & cum hac axioma Cancellarii.

XLVIII.) IOHANNES VI. KÉRY de Ipolykér, Ordinis S. Pauli Eremita, Generalis Emeritus, SS. Theologiae Doctor, ex Episcopo Csanadiensis, anno MDCLXXXII. Vácziensi tiara inauguratus. Confirmatur a Curia Romana, eodem anno, sexto Idus Iunii. Hoc in primis memorandus est Iohannes, quod hoste ad Vácziam (k.) atroci praelio profligato, atque vrbe demum intercepta, primus fuerit, qui fana, ab impietate Turcica, repurgarit, dederitque, noua quasi episcopatu, exordia.

XLIX.) NICOLAUS IV. BALOGH, labente, post recuperatam Vácziam, anno, pedum capessuit; anno MDCLXXXVI. decimo quinto Calendas Aprilis, a sede Romana, comprobatus. Legas eius mentionem, in decretis anni MDCLXXXVII. cum ad calcem, tum Articulo XV. Propiores ad nostram aetatem sunt:

L. MICHAEL I. DWORNOKOVICS. Fuit is antea Episcopus Csanadiensis, & priusquam ad Episcopum eueheretur, in alma Tyrnauensi, Iuris utriusque Doctor, acutus, non minus, quam diligens.

LI.) EMERICVS e Comitibus Esterházy de Galantha. Postea, Episcopus Zágrabiensis; inde Veszprimiensis; denique, Archiepiscopus Szigonienfis, & S. R. I. Princeps.

LII.) N. LESLAEVS Comes, placido vir ingenio, & cuius praematurum, ad Germanos abitum, doluisse potuit Váczia. Eum,

LIII.) SIGISMUNDVS COLLONITSCH, volente CAROLO VI. excepit, qui, cum sedem, nondum, satis excultam, ornare satagit, ad Viennensem,

R

h.) WAGNERVS Lib. II. p. 636. vide eadem hac sed §. XIV.

sem, a Cæsaris numine postulatus, abiit. Iam & purpura eminet, & primus est, a quo CAROLI VI. optimi Cæsaris, prouidentia, Archiepiscopi Viennenses, exordia duxerunt.

LIV.) MICHAEL FRIDERICVS e Comitibus ab Althan, purpura & ipse insignis, atque proregia, apud Neapolitanos, dignitate, annis retroactis, celebris. De eo TÜRÖCZYS: sub moderno Michaelae Friderico, e Comitibus ab Althan, purpurato patre, & nuper prorege Neapolitano, ad regiam propemodum maiestatem, de integro erigitur, numerisque omnibus amplitudinis, & decori, mirum quantum illustratur.

auctoris auctoritatem.

Hactenus, de Episcopis, quos, pertinaci opera, vsque ad annum MDCCXXXIII. potuimus indagare. Viderint, in quorum potestate sunt tabularia, vt lacunas, a nobis indicatas, expleant. Neque enim, obsoleta hæc nomina, sed digna tamen memoratu, facilius feliciusque clicueris, quam ex diplomatibus, & priscis illis tabulis, in quas vetera, Episcopatum, Abbatiarum, Præpositurarum, & Canobiorum, quin & nobilium familiarum iura, reges retulerunt. Id, tamen non indiget, multa & longa demonstratione; tamen, quia difficiliter sibi persuadent populares nostri, ad historiam, quidquam adtinere diplomata: monendum omnino est; monebiturque a nobis eo frequentius, quo magis persuasum habemus, tum demum res Hungaricas, maxima sui parte, vel adspersas fabulis, vel erroribus contaminatas, vel certe, hiulca ferre, perplexas, in luce haud dubia, collocatum iri, cum diplomata, & publicas litteras alias, huctantes nunc cum situ & blattis, vocauerimus in consilium. Sed Vácziã redeamus!

§. IV.

Vácziã fortuna, post primam exortu prosperat

Du, post primos exortus, secunda fortuna utebatur Vácziã, creuitque perpetuis fere accessionibus. LADISLAVS certe nihil faciebat residui, vt, cum pietatis fraternæ, in ponenda, cum episcopatu, vrbe, adiutor fuerit; eandem nouis subinde auctibus, locupletaret. Neque poterat nouæ urbiculæ euenire aliter, quando, pacatis domi rebus, foris bella gerebant, sequuti reges, COLOMANVS, STEPHANVS II. reliqui. Fauit ea felicitas, sesqui seculo, & ultra, Vácziã. Tunc vero, Tartarorum impressio, res, non vrbi minus, quam Episcopatus, pessundedit. Meminit eam cladem, ex ROGERIO, BONFINIVS (l.): Hac, inquit, pridie festorum Dominica passionis gesta sunt; die vero Dominico, Vácziã, quæ in ripa Danubii sita, viginti millibus passuum, a Pesto distat, a Bãthi copiis obsidetur, ubi rex erat, cum exercitu; qui statim cum suis (m.), fuga salutem sibi comparauit.

Sacer-

l.) Decade II. Lib. VIII. p. 293, 51. & ROGERIVS de destructione Hung. Cap. XXII. p. 185.
m.) Fugisse, relicta episcopo, cum rege,

Stephanum antistitem, inde colligas, quod postea legatione, ad Imperatorem, & Papam, persunctus est. Vide supra §. III. numero, v.

Sacerdotes, ciues, & ingens ex proximis pagis numerus, cum liberis & uxoribus, in basilicam, arce munitam, confugere. Hanc, primo impetu Tartarus expugnat, sacrum thesaurum, & aurea vasa diripit, fanum, sacris vestibus & suppellectili, spoliat. Captam multitudinem, non gladio barbarus conficit, sed impositam igni, vniuersam absūmit: quare, vna cum Salvatore nostro, VÁCZIENSES, extrema supplicia passos, memorant. Nihil, ista clade, excogitari potest scædius, crudelius nihil. Decedentibus Hungaria Tartaris, lentius, ex busto, Vácziã adurgebat: quando & viris, & opibus exinanita regio, non habebat, vnde sufficeret, seu ciuium, seu rei familiaris supplementa. Id, tamen certum est, & exploratum; tamen, ita reor, faciliorem felicioremque Vácziã, quam vrbium reliquarum fuisse reparationem; cum ob situs, & circumfisi agri, opportunitatem, tum ob religionis, qua locus nobilitabatur, famam. Accessit, Episcoporum eius ætatis, in reparanda sede, industria; STEPHANI potissimum, quem regis, in fuga, comitem, legatum postea ad Papam, & Cæsarem, fuisse, supra diximus: GOYMONIS inde, atque HIERONYMI: nam hi, viuentis BELA IV. Ecclesiã Vácziensẽ moderabantur.

Vácziã clada:

difficilis postea inuentione.

§. V.

Nescio, annon ad hanc ætatem, & quæ sequuta inde est, referre possis, quod SALOMON KYSELIVS (n.) adnotauit; præter Episcopum, Lycaum, seu Gymnasium Academicum, isthuc effluisse. Id si est, Episcoporum ea fuit prouidentia, vt locum, quem religio fundarat, litterarum studiis, ornarent. Enim vero, si vlla re alia, ingeniorum cultu, vrbibus paratur celebritas. Athena profecto, locus ex se angustus, neque, seu magnitudine, seu copia, Sparta conferendus, id tamen in historia meruit, vt anteferretur Lacedæmoni, tamquam doctrinæ omnis, & scientiarum emporium. Eadem laudis prærogatiua, Platonis Lycaum, Ciceronis Tusculanum, tenuia prædia, & villas, illustrauit, uobisque reddidit cognitatas. In Vácziensi hoc, id dolemus, quod, quæ eius fuerint rationes, instituta, atque studiorum ordines, ignorare iam cogamur. Si ex temporum ingenio hariolari licet, humanitatis forte, qualibuscunque studiis, rerum item diuinarum contemplatione, res omnis absoluebatur. Nam, qui in doctrinæ interiora illa adyta, penetrare cupiebant, Italiam adibant; non secus, quam olim Athenas, Romani. Satis erat, prima, in patria rudimenta posuisse; ibant mox ad Italos, quibus discendi ardor incitatus, a natura datus: ita de se, IANVS PANNONIVS (o.) decus illud Hungariæ, cum matris Barbaræ funus deflet:

Floruit postea Vácziã, litterarum studium:

quibus ea partibus absoluebantur, cultus, vrbis vniuersa:

Iam Pannoni, pro ea, elegit.

R 2

Hinc

n.) In Lexico Geographico, ad hanc vocem.

o.) Elegiarum Lib. I. Elegia III. p. 152. in

Delitiis Postarum Hungaricarum, edente, IOHANNI PHILIPPO PAREO, Francfurti A. MDCXIX. forma duodecim.

Hinc ubi iam certo fixi vestigia gressu,
 Desit & blasos frangere lingua sonos.
 Protinus ingenuas, docilem transmittis ad artes,
 Ocia nec pateris, ducere lenta domi.
 Quidquid lana tibi, quidquid tibi tela lucelli
 Contulerat: merces, erudientis erat.
 Imbiberam tenera vix prima elementa Minerua,
 Nec mala venturi iam documenta dabam:
 Cum Tuus Ausonias tradit me frater (p.) ad oras,
 Longinquo & Musas quarere in orbe iubet.
 Illius impensa, Venetas celebravimus urbes,
 Dum sol undecies, per sua signa redit.

Hic tunc, apud Hungaros, mos obtinuit. Ut peccent omnino, qui criminantur gentem nostram, tamquam, quæ a Musis abhorruerit perpetuo: quippe, Marti potius, quam Apollini dedita. Fuere semper, qui partim doctrina valuerunt, partim armis; tametsi hi, illis, ob regionis fortunam, numquam non potiores.

§. VI.

Maxime effloruit Váczia, MATTHIÆ Coruini ætate, cum ob principis, in ornandis, omni beneficentia, vrbibus, insignem diligentiam; tum in primis, ob Nicolai Báthori magnificentiam, & in percolenda episcopo sua, solertiam prorsus indefessam. Laudes viri, supra, haud parce, adtigimus. Audiamus GALBOTVM MARTIVM (q.) scribentem: Non referam, inquit ille, qua magnificentia templum instauravit, architectis, fabrisque ex Italia accitis, maximo cum impendio; ut generositate animi sui, & templum, & domus episcopalis, responderent. Vnum tamen non præteribo. Cum in Hungaria, iam duobus annis elapsis sui, ad Nicolaum visendum diverti. Tanta me humanitate, & suscepit, & fovit, ut mihi ipsi, singularis illa hospitalitas, fuerit admirationi. Præterea, semper me hortabatur, ut gestorum MATTHIÆ regis historias facerem, ne tanti regis negotia, que patriam exornarunt, illustremque fecerunt, obliuione torpescerent. Perplacuit etiam mihi, illa familia sua dignitas & elegantia. Semper enim in eius domo, aut oratur, aut studetur, aut carmen cantatur ad lyram, aut sermo habetur honestus. Nullum ibi otium, nulla ignavia, nulla temporis dispendia, interoscuntur. Nam, ab arce, hortos, quos ipse munivit, piscinisque ornauit: ab hortis vero ad arcem, frequens deambulatio, non sine proborum hominum commercio, comitibus libris efficit, ut iter quoque disputationibus teratur. Interdum pileto vehitur episcopus, amœnos apricosque colles, vitibus arboribusque, ut in corona confitos, reuisens; non sine lectione, & disputatione honesta; ita,

p.) Fuit is, AVGVSTINVS SEARDELLATVS, | num. xxv. huius Sect. p. 124 (seq. plura.
 Vácziensis præsul, de quo supra, ad §. III. | q.) Loco, supra citato.

ita, ut bacchicos illos, floridosque colles, & Minerva, & Musa, incolere ac frequentare, non sine iucunditate, credantur. Ille tunc Váczia fuit habitus, multæ oppido, iucunditatis honestatisque. Coniicias hinc, creuisse, sub tanto præfule, celebritatem loci: quippe qui, factis iam functo MATTHIA, rebus tamen, vltra tria lustra potiebatur. Subit mirari, nullam ab eruditissimo Galeato, Lyczi, quod nunc admodum memoravimus, mentionem fuisse habitam. Ita existimo, non hoc eum fecisse, quod id, aut non viderit, adprobaritque, aut forte prorsus, ea ætate, non exsisterit. Volebat nimirum, vnius præfulis laudatione, quod Váczia viderat, liberaliter complecti.

§. VII.

AC fuit omnino, intemerata Váczia, dum in viuis superabat NICOLAVS; siue id virtuti tribuas antistitis; siue temporum felicitati. Primo omnium, cum iniquo LVDOVICI II. fato, labascere, mox & pessum ire cœpit vrbicula, post Tartaricam eam cladem, habita in felicissimis. Enim vero, vix bellum, hinc, atque illinc, seu inferebatur, seu propulabatur, quin adpeteretur Váczia. Primus Turcarum impetus, vti improvisus, ita exitiabilis oppido fuit, quando capta, anno MDXXVI. Buda, Wissegrádo autem frustra oppugnato, locus propemodum inermis, (sola enim episcopi sede, ad omnem facta commoditatem, sacerdotum item collegio, haud vero munitionibus valebat hucusque) ad incitas redactus est. Id qualicumque saluti fuit oppido, quod Stephanus Brodericus episcopus, IOHANNI Zápolitano, post cladem Mohácsianam, adhaesit: ut pronum sit existimare, eo viuo, indultum id fuisse Váczia, ut eam, & instaurare, & incolere aliquamdiu potuerit. Antè vero, cum anno MDXXVII. in Hungariam, cum exercitu venit FERDINANDVS, Iaurino, Comaromio, Tata, & Strigonio, sine sanguine potitus, Váciam simul interceperit, non habeo adfirmare; tum, quod silent annales; tum, quod ea profectio, vltiori regione suscipiebatur. Proclivius id quidem negare est; cum diserte legas, apud ISTVÁNEFFYVM (r.), caeso demum, ad Tokainum, IOHANNÈ, atque iterum ad Hernatum, fusso fugatoque duce eius, Bodone, hunc victoriæ proventum fuisse aiunt; Tokainum, Agriam, Hatoanam, Váciam, Novigrádum, ceterasque arces, quæ cum omni agro, vsque ad Budam, & Pestum, partibus FERDINANDI, accesserint. Biennio fere, in potestate regis fuit Váczia, cum excito Solymanno, vna cum regia Budensi, in IOHANNIS, an Turcarum manus, recidit. Innumeræ hinc conversiones, oppidum exceperunt. Nam, anno quidem MDXXX. a Rogendorffio, post Strigonium, & Willegrádum interceptum, Váczia quoque expugnata est. Rogendorffius Strigonio facile recepto, inquit ISTVÁNEFFYVS (s), Wissegrádum obsedit, ac autumnales dies sereniores, qua in varias

R 3

r.) Libro ix. p. 143, 12.

s.) Lib. xi. p. 160, 6.

Vrbis, & Episcopes decretum, a Mohácsensi clade, arceffera da:

cedit cum Episcopo, Iohannis:

recuperatur a Ferdinandeis:

iterumque a Zápolitano:

qua bis conversiones, oppidum exceperunt:

Et graues tempestates, subita conuersione, degenerare solent; in illius, ac Vácziæ obsidione, consumpsit; ne quid a tergo hostile relinqueretur. At enim vero, temporaria, hæc oppidi possessio, Ferdinandi fuit. Nam, cum *Mehmetes*, laboranti *Buda*, deductis, ex Thracia, & Bosna, præsidii, opem laturus, post *Rogendorffii*, ab obsidione, discessum, cum exercitu aduenisset, ut frustraneæ expeditionis, præmium aliquod, miles acciperet, necquidquam deprecante *IOHANNI*, regionem omnem, quæ inter *Pestum*, *Vagum*, & *Granum* interiacet, fœdum in modum (t.) depopulatus, ne *Vácziæ* quidem pepercit. Superata ea calamitate, *IOHANNI* iterum adhaesit oppidum, pace, quæ anno MDXXXV. isthic, inter vtrumque regem coaluit, nobilitatum. Eius conditiones, ne eas ignoret lector, huc (u.) redibant: *IOHANNES*, donec superstes esset, ea regni parte, quam ad præsens obtineret, regia potestate, potiretur; eidem, *Ferdinandus*, regii tituli honorem, litteris & sermone, tribueret; post eius obitum, totius regni possessio, ad *Ferdinandum*, & liberos eius rediret; si *IOHANNES*, ducta uxore, masculinum heredem relinqueret, *Transilvania* eius ditioris foret; ac *IOhannis* arces paternæ omnes illi restituerentur; quibus *Ferdinandus*, in *Silesia*, *Oppauia* principatum, aut alium, superadderet; si bellum a *Turcis*, uni, aut alteri inferretur, communibus viribus, ei propulsando, obstringerentur. Regum vterque, solemnî ritu, tabulis subscripsere.

reddunt, ac pacis, quæ Vácziæ facta est, conditionibus, *IOhanni*.

§. VIII.

Mortuo *IOhann*:

Pacata res Hungarica postea aliquamdiu fuere; *Vácziæ* autem possessio, *IOHANNI* prorsus adfirmata. Sed, quum mortuo *Transilvano*, armis extorquendum *Isabellæ* regnum statuit *Ferdinandus*, iamque aquaria *Willegrádi* turri capta, *Budæ* immineret, eius belli dux, *Leonhardus Felsius*, *Vácziæ* simul in potestatem redegit. Turri, inquit, (v.) capta, & præsidio munita, *Felsius*, cum exercitu progressus est, facto in vltiori ripa itinere, *Vácziæ*que ab hostibus desertam, facili negotio cepit. Et hæc quidem anno MDXL. oppido euenerunt. quod, vere ineuntis anni MDXLI. recuperauit denuo, *Valentinus Turcus*, barbarorum copiis adiutus. Ita *ISTVÁNEFFVS* (x.): *Valentinus, Turcus, cum valida Hungarorum manu, ac tormentorum adparatu, obuiam progressus est: communibusque viribus, primo Vácziæ, minus munita, caesis præsidariis, recepta est. Sed, quid tunc Vácziæ euenerit, quando Rogendorffius, ab oppugnatione Budensi, magna suorum clade, reiectus est, videamus. Meminit oppidi fata historicus, (y.) eius belli occasione, quod, duce Ioachimo Brandenburgico, anno MDXLII. nullo successu, gestum est. Supra alias moræ causas, accedebat illud quo-*

occupant *Vácziæ* *Ferdinandus*:

recipiunt *Zépolitani*:

insidant iterum *Castellani*:

s.) Vide *ISTVÁNEFFVM*, ibidem p. 174.
u.) Apud eundem Libro XII. p. 205, 4. & apud *WOLFFGANGVM BETHLEHEMVM*, ad eundem hunc annum

w.) *ISTVÁNEFFVS* Lib. XIV. p. 229, 42.
x.) Ibidem p. 232, 2.
y.) Libro XV. 248, 22.

quoque, quod *Danubius*, in duos diductus alueos, insulam, infra *Vácziæ* facit, quam *S. Andreæ* vocant, quæ *Peltum* ituris, gemino ponte confecto, aduenda erat: & eodem itinere, *Vácziæ* quoque petenda, in qua hostes, insidias collocasse, & nostros, si ea iter facerent, adgressuros, fama erat. Sed *Vitellius*, cohortante *Brandeburgo*, se præcessurum, ac insidiosa, & perfida gentis, astuta consilia, si quæ subsint, exploraturum pollicitus, ea via, cum suis cohortibus, progressus est: ita tamen, ut imperator exercitum, postero die sequuturum, bona fide, promitteret. Cum nemo hostium, in conspectum se dedisset, pacataque omnia esse viderentur, urbem antea claram, & templum, quod a *Geyla Magno*, *Pannonia* rege, e fundamentis, magnificentissimo opere, constructum erat, insignem; sed superiori bello incensam, & euastatam, cum suis cohortibus, ingressus est; reque ad imperatorem nunciata, vniuersus exercitus, ab insula, in sinistram ripam transiecit. Ita reor, cum ad oppugnationem *Budæ* proficisceretur *Rogendorffius*, præsidarium, *Isabellæ*, militem, quem *Valentinus* loco imposuerat, viribus diffusum, exulto oppido, ne hostibus esse possit vsui, *Budam* demigrasse. nam, ut *Rogendorffio*, qui fugienti similis ab obsidione discedebat, tribuas maleficium, haud æquum putarim. *Ioachimus* certe, & ipse, ab oppugnatione *Pesti* coactus, decedere, vacuum præsidio urbiculam reliquit; atque desertis habens, quod lacerato exercitu, ipse *Strigonium*, *Viennam* inde, redierit incolumis. Ergo, inanem reperit *Solymanus*, vertitque in rem suam, *Vácziæ*, quando post *Valponem*, *Siclosiam*, & *Quinqueecclesias* captas, ad *Strigonium* occupandum, cum copiis (z.) proficisceretur. Anno deinde MDXLIV. *Turca*, scribit *ISTVÁNEFFVS* (a.) ad prima veris initia, bellum primi intulere: quod occupata ab eis *Buda*, *Vácziæ* & *Strigonio*, *Willegradum*, in earum urbium medio situm, adhuc a nostris teneri, viasque, tam *Danubio*, quam terra, in secessu reddi, grauitèr molesteque ferre viderentur.

§. IX.

Quinquennales induciæ, quæ anno MDXLV. procurante *Velturio* (b.) conciliatæ fuerunt, cum ceteris, in barbarorum potestate *Vácziæ* reliquerunt. Abiere anni, plus quinquaginta, cum recuperari potuit oppidum. Tantæ rei, *Strigonium*, & *Villegradum*, magna *Christiani* exercitus virtute, anno MDXCV. occupata, occasionem præbuere. Horum enim exemplo, atque informatio cognito, *Mehmetes*, qui *Vácziæ* præerat, (is antea *Georgius Borsius* adpellatus, e præsidio *Palotensi* transfugiens, ad *Turcas* defece- rat) nequaquam se dubiis, & periculosis fortunæ casibus, obiciendum arbitratus, incensa arce, ac duabus etiam, aut tribus triremibus, quas nostri, prioris ac irritæ obsidionis tempore, turpiter reli-

Manet in eorum potestate, in instantia lege:

quando recipiunt a nostris:

z.) Incidit hoc in annum MDXLIII. a.) Libro XVI. initio, p. 273, 18.

b.) Ibidem p. 276, 41.

querant, præ nimio metu, & fugæ festinatione, ibidem relictis, *Budam* sese recepit; *Pálffyus* autem, re ex fumo, ac flammaram splendore, haud inani coniectura, vti acciderat, comperta, citatis remigiis, eo delatus, resinctis ignibus, opportunum locum occupavit, impositoque præsidio, eoque, *Andree Orofszii*, curæ & industriæ, commisso, ad castra reuersus est. Hæc apud *ISTVÁNFYVM (c.)* legas. Aliter *ORTELIVS (d.)*: *Medio*, inquit, *Ianuario*, facta subitanea impressione, *Vácziám*, *Christiani*, ad saltu occupant; *Turcas* & transfugas, ad unum omnes concidunt. Id si est, expilatum oppidum, reliquille iterum censendi sunt; quod nouo postea præsidio, hostes communiuerunt, pauore, quem nunc meminimus, denuo exinaniendum. Incidit in annum sequentem, MDXCVI. præter *Agriæ* iacturam, infelix illa ad *Keresztesum* pugna; qua animatus *Buda* præfectus, vt præclari quidpiam facinoris, & ipse ederet, deductis, vicinarum arcium præsidiis, *Vácziám* expugnandam statuit. Ac sperabat omnino, non defuturam coeptis fortunam, quod cognitum habebat, infelicis pugnae rumore, territos præsidiarios, coepisse de salute ambigere. Ergo, pridie Idus Nouembris, copias oppido admouet, ponit suggestus: cum nostri, facta eruptione, hostem lacerare, mox & iusto prælio congregari, & eadem carptim edere. Dies aliquot protracta fuit obsidio, cum totis hostium castris, rumor percrebuit, vicinarum arcium præsidiarios, *Vácziá* periclitanti, opem laturos, acceleratis itineribus, magnoque cum adparatu, aduentare. Perculit ea fama hostem, facileque metu suadente, *Budensem* induxit, vt conuulsis signis, præceps domum rediret. Fugæ similis abitio fuit, quam rustici, in rem suam vertentes, pabulantium plurimos, viarum errore longius prouectos, interimunt, prædam detrahunt, vicemque hosti reddunt. Atque hæc quidem tunc, *Vácziá (e.)* fortuna fuit.

§. X.

FVnestiora, annus sequens dedit. *Iaurinum* oppugnandum, *MAXIMILIANVS* sibi sumserat. cuius obsidione, exciti barbari, *Satergi* duce, *Belgradum* primo, *Budam* postea, valido cum exercitu, adueniunt. Quo audito *Maximilianus*, *Iaurino* relicto, in insulam, *Csallóköziám* traiecit: *Satergis* contra, breui, sed acri oppugnatione, *Tatam* intercipit. Inde digressus, cum frustra nostros, citiore Danubii ripa metatos, in pugnam prolicere laborat, motis, noctu castris, *Budam* contendit. Tunc & *Maximilianus*, quod *Strigonia* periculum imminere suspicaretur, facto, cis Danubium, itinere, castra illuc promouet. Sed, quum *Turcas*, recta *Budam* profectos, Danubium, ad *Pestum* traicisse, cognouisset, *Vácziám* eos petiuros, haud

c.) Lib. xxxix. p. 665, 37.
d.) Parte I. p. 158, b.

f.) ORTELIVS, loco citato, p. 208, a.

haud vane coniectans, atque, a transfugis etiam, qui frequentes aduentabant, edoctus, procul omni mora, eo ire maturauit, alteroque die, ad *Verócziám* pagum, paruo, a *Vácziá*, interuallo, castra collocavit. At *Turca*, nihil morati, in conspectu nostrorum, adductis in aggeres, sex tormentis maioribus, oppidum verberare: verum, præsidiarii, & qui his præerat, *Georgius Dubofcius*, vti a *Pálffy* in mandatis acceperant, paulo ante, tormentis in tutum dimissis, ne se infirmissimo in loco, hostibus maclandos exponerent, pulvere sulphureo, propugnaculorum fundamentis, subiecto, vacuum reliquerunt: arx, paulo post, incensa, conflagrauit. Igitur, castello ex improviso occupato, ruinas instaurare hostes, oppidumque munire coeperunt. Sed, non ita diu post, quod nostros, non sine graui causa, munitis castris, in propinquo consistere, ac breui, prælii facturos potestatem existimarent, omiſſa loci instaurandi cura, nostros, si animum certamini aduerent, expectandos esse, sin minus, eorum castra adoriri, decreuerunt: quemadmodum rem in litteras retulit *ISTVÁNFYVS (f.)*. Intercessit hinc pugnae quidpiam. qua cum inferiores *Turca*, multum cladis accepissent, pacem offerre nostris haud dubitarunt. Eius exordienda arbiter, *Pálffyus*, sub protensio in *Vácziensi* insula, tabernaculo, auditis hostium conditionibus, facile aduertit, ludificandis nostris, scenam eam instrui. Proinde, nullo fructu, immo cum iniuria, eo loco digressis pacificatoribus, hostium autem exercitu, clam abeunte, *Pálffy*, cura muniendæ, atque idoneo firmandæ præsidio *Vácziá*, (nam inanis ab hoste relicta fuit) a *Maximiliano* demandatur. Fecit imperata *Pálffyus (g.)*, continuatoque, dies & noctes labore, oppidum arcemque, celeriter instaurandam curauit, ad eum modum, vt a subita hostium impressione, defendi posse videretur. Tormentis dein, & vetere præsidio imposito, atque custodia loci, *Georgio Dobofcio*, qui antea ei præfuerat, commendata, copiisque dimissis, *Uyvarinum*, ad suam stationem, *Pálffyus* abiit.

§. XI.

ANno, qui sequutus est, MDXCVIII. duodecimo Calendas Iulii, nocturna impressione, tentandam *Budensem Vácziám*, susceperunt; sed, conatu in irritum cadente. Mordebat hostes, recuperati *Iaurini* fama, & qua se dabat occasio, in vindictam accendebat. Eadem stimularus, *Buda* moderator, (h.) pedites bis mille, equites sexcentos, summo silentio, ex arce deducit, factoque clam itinere, antelucanis horis, in conspectum *Vácziæ* venit, facto ad saltu, nec opinantibus nostris, moenia, vti sperabat, superaturus.

Tom. III.

S

Præ-

f.) Lib. xxx. p. 712, 25. Hinc postea, *ISTVÁNFYVS* historia; quando ita narrat pugnam, tanquam quæ ad *Neszmélyum* commissa fuisset: cum *Neszmélyum*, quatuor miliarium inter-

uallo, & amplius, *Vácziá*, in occidentem distaret, *Plinius* rem, apud *ORTELIVM* legas, loco cit. p. 227, seqq. Vide *ISTVÁNFYVM*, Lib. xxx. extremo. g.) *ORTELIVS*, Parte I. p. 258, a.

sentatur a
Turcis:

conatu ir-
rito.

occurrit a
Caesari-
nis:

occupatur a
Turcis:

itorumque
deserta mu-
lris cedit,
& muni-
tur.

Inuaditur,
subita im-
pressione, a
præsidariis
Budensibus:

Præfidiariis, duo transfugæ *Hungari*, saluti fuere: quippe qui, *Dobofium*, ante, quam hostes adpropinquassent, periculi admonuerant. Ergo, nihil moratus, milites, quorum quadringentos habebat, de hostium consiliis, edocet, utque viros se præstarent, grauitur hortatur. Mox, tormentis, eo, qua adfulturum hostem rebatur, directis, *Turcas*, alto ubique vigilum silentio, præstolatur. Nec mora. Adfunt illi, & suspensis gressibus, ne coepta proderentur, versus moenia procurrant. Tunc, *Dobofius*, tormenta maiora undecim, minora septem, momento, in densatos displodit: cumque, redintegratis ordinibus, pergerent moenibus succedere, iteratis ictibus, strage autem maxima, adpropinquantes excipit. Adtoniti hostes, &, quod erat, proditam rati destinationem suam, magno suorum numero desiderato, receptui canere, atque in effusam verti fugam, occiperet. *Dobofius*, reiecit hostem contentus, intra moenia, cum præfidiariis, se continuit. Conseruata ad eum modum, *Váczia*, vsui postea *Christianis* fuit, quum eodem anno, ad expugnandam *Budam*, iterum iterumque, ducebatur exercitus. Enim vero, opportunitatem præbuit (i.), ponti in insulam *S. Andrea*, hinc vero, in aduersam *Danubii* ripam, moliendo. Sed, tunc quoque præsidio nostris fuit, cum, tempestatum iniuriis, depulsus a *Buda* obsidione exercitus, redibat. Perpetuæ posthac *Vácziensibus*, cum hoste, velitationes fuere. In more, collimitaneorum arcium præfidiarii habebant, coadunatis cohortibus, impressiones, qua poterant, in hosticum facere. *Vácziensibus* res plerumque ex animi (k.) sententia cessit. Quin, & luctuosissima impressione illa, quam anno MDXCIX. *Turcæ* in *Transuaganam* regionem susceperant, magnaue (l.) hominum ac pecudum abacta præda, ferro, & flammis cædauerant cuncta, *Váczia* mansit intemerata.

§. XII.

Alia omnia fuere, anno MDCII. Præterquam enim, quod *Andreas Orsy* (m.) arcis præfectus, quarto *Nonas Iulii*, longius ab arce digressus, in *Turcarum* subseffores incidit, captusque, difficiliter, ab instantibus præfidiariis, hostibus extorqueretur; arx ipsa, exeunte *Augusto*, intempestiuo nostrorum terrore, pessum iuit. Nam, cum *Hafanes* purpuratus, *Albam Regalem*, operosa obsidione expugnasset; iamque victor exercitus, prædis agendis, passim diuagaretur; *Váczienses*, conspectis e longinquo hostium agminibus, se impetum iri, falso metu præfagientes, tormenta primo e suggestibus deducunt, tum puluere pyrio, cuniculis iniecto, arcem incendunt, & fugientibus similes, cum machinis, atque impedimentis, *Iaurinum* (n.), ubi nostri statina habebant, contendunt. At, *Hafane*, post captam *Albam*,

i.) ISTVÁNFFYVS, Lib. XXXI. p. 732, 42.

k.) Vide ORTELIVM, loco citato pag. 253. b.

l.) Describit eam ISTVÁNFFYVS XXXI. p. 744. seqq.

m.) ORTELIVS p. 614.

n.) Idem p. 319. b.

ham, *Belgradum*, cum exercitu reduce, infessa denuo a nostris fuit *Váczia*. Eius enim discedentis fama cognita, *Rosswurmius*, cui *Cæsar*, eius anni expeditionem bellicam, *Marschali* nomine, tituloque concessio, secundum *MATTHIÆ* principis auspicia, contulerat, castra *Iaurino* promouit versus *Budam*; atque *Vácziam*, qua erat in itinere, a nostris, metu hostium derelictam, reparauit, iisdemque locis insula *S. Andrea*, inter *Pestum* & *Vácziam* sita, geminum (o.) pontem construxit. Triennio post, *Botskai* deditam fuisse lego; si tamen deditio opus habuit, rudus, a prædabundo milite, infessum, & aggregare atque vallis, more *Hungarico*, præinctum. *Iohannis Verebelii* id facinus fuisse, *ISTVÁNFFYVS* (p.) meminit: *Iohannes Verebelius*, absque cunctatione, *VÁCZIAM* tradidit; sed loco manere permissus fuit. Isthuc postea *Ordines*, qui partes suas fuere sequuti, *Botskai* exciuerat, ad honestandam eam pompam, qua *Vezerium*, in campis *Rákos* salutaturus, uti voluerat. *Sue*, inquit historicus (q.), factionis hominibus, qui iam negligentia præfectorum *Cæsaris*, qui tuendis iis, quorum fides, erga *Cæsarem* immota erat, in aciem prodire nusquam audebant, ad ingentem numerum excreuerat, dedit in mandatis, ut sibi *Pestum* *Budamque* profecturo, maiori, quo possent, adparatu, *Carponæ*, aut *Vácziæ*, præsto essent. Id vero, ita euenisse, supra (r.) docuimus. Redux inde, *Váczia* sublitit *Botskai*, habuitque isthuc obuium *Illyésbázium*, longa præfatione excusantem, quod *Rákosiano* illi congressui, adesse nequiverit. Pace constituta, regi suo, adsertam fuisse *Vácziam*, ex pacificationis *Vienensis* tabulis colligas. Sed, *Situatorokienses* quoque pacificatores, in ditione *Christiana*, cum vicis adlitis, oppidum reliquille (s.) constat.

§. XIII.

Atque, tenere omnino *Cæsariani Vácziam*, vsque ad *Bethlenianum* bellum, quod anno MDCXIX. exarsit, & semel iterumque consopitum, recruduit sapius. Posteaquam enim, *Cassouia*, *Filekino*, atque montanis vrbibus occupatis, arces circumfictæ, certatim *Bethlenio* dederentur; *Váczia* (t.) quoque, reliquarum exemplum sequebatur; obsessa, an sponte dedita, non reperio. Illud maleficio haud caruit, quod interceptum oppidum, *Turcis Bethlenius* tradiderit, uti tanto beneficio (u.) genus infidum, partim ab inuadenda *Hungaria* amoliretur, partim obstrictum sibi redderet, si *Turcarum* suppetiis, ad propulsandum *Cæsaris* exercitum, sibi opus foret. Non potuit non, acerbe id tulisse *Ferdinandus*, & pro eo, uti postulabat facinoris grauitas, conqueri, coram orbe *Christiano*.

S 2

Qui-

o.) ISTVÁNFFYVS, Lib. XXXIII. p. 788, 41. p.) Lib. XXXIV. p. 821, 18.

q.) Ibidem, p. 836, 24.

r.) In Historia Vrbis PESTIENSIS, Cap. II. §. VII. seqq.

s.) Vide, PACIFICATIONIS eius, conditionem XV.

t.) ORTELIVS Parte II. p. 66. a.

u.) Expressit, has, *Bethleniani* consili rationes, ORTELIVS, loc. cit. p. 77. a. b.denique
infidetur:deditur,
triennio
post, Bots-
kai:adsertur-
que post-
minio, Cæ-
sari.Quæ Be-
thleniano
tumulto,
facta subie-
vit, Vác-
zia?Turcis tra-
dunt:

Quibus rebus per vim & fraudem gestis, verba sunt Caesaris (6.), ista quoque addidit; quod quemadmodum in Transilvania, ut Turcarum gratiam demereretur, valida Christianarum ditionum propugnacula, magnis Komani Imperii sumptibus, sub Sigismundo Bathoreo, a Turcis recuperata, videlicet, Lippam, Solymos, Tótvaradja, Margita, Monostor, Arad, Syri, & Facsáth, vi & armis occupata, Turcis tradidit; ita nunc in Hungaria, limitanea praesidia, iisdem Turcis consignare cepit, tradiditque nuper Vácium, Episcopalem sedem, inter Budam & Strigonium, opportuno loco situm, magnis olim Hungariae sacrique Imperii impensis recuperatum, atque defensum. Ut tam nefaria prodicionis a se invidiam amoliretur, hac nos calumnia adpetit, quasi, per oratorem nostrum in porta Ottomannica, de Vácio, Turcis tradendo, transexissemus: quod quidem magis falsum ac frivolum est, quam ut fidem apud ullum, qui non plane perditus sit, possit inuenire. Maleficii administrum, Franciscum Ztrutz fuisse, ex anni MDCXXII. (x.) sanctionibus didicimus, quem ideo, in ius vocandum statuerunt Ordines. Verba decreti sic habent: Graui animi cum dolore, Status & Ordines, hisce disturbiorum temporibus, arcem finitimam Váciensem, nescitur, quibus de causis, per egregium Franciscum Strutz, alias eius loci capitaneum, & alios officiales, manibus hostium Turcarum deditam esse intelligunt; ideo, statutum est, ut contra eundem, & alios, vigore, & iuxta continentias Articuli XXXV. anni MDCL. coram Domino Palatino procedatur. Interim tamen, ut Sua Maiestas Sacratissima, de eius recuperatione, per oratores suos, iuxta capitulationes pacis, cum Turca inite, salua eadem pace permanente, tractare dignetur, iidem Status & Ordines, humillime supplicant. At enim vero, tarde haec, ad eum modum, sanciebantur, quando, & Ztruczius, quod regeret, in promptu habebat; non id se arbitrato suo, sed iussu Bethlenii fecisse; & ea fuit Turcarum aviditas, ut, quod semel, quacunque arte, suum fecerunt, nullis id sibi, seu persuasione, seu pactis, e manibus elidi, paterentur. Itaque, ex eo tempore, Turca, Vácia potiebantur, muniueruntque locum eo validius, quo magis opportunum, infestandae viciniae, longo antea usu, didicerant. Tentabatur interim a nostris sepius, quodque oppidum, arci aditum, fere inerme erat, semel id, atque iterum, euastatum fuisse, annales memorant. Ac primo quidem, anno MDCXXIV. iterumque biennio post, cum Wallensteinus (y.) Bethlenii socios Turcas, a Nonigrádi obsidione depulisset. Ergo, id ne fieret, in posterum, anno MDCXXVIII. nouis operibus, muniendum hostes censuerunt. Superabant, e tot cladibus, templi cathedralis parietinae, quas Turca, funditus derasas, educendis propugna-

Ferdinandus, aquissimus, ob id indignatio:

oppidi, & arcis traditor, in ius postea vocatus:

sed frustra:

delinatur a barbaris:

irruptionibus nostrorum, irritis.

6.) In EDICTAEI CASSATIONE, praesente, inique, & iplo iure nulla Electionis GABRIELIS BETHLENI in Regno Hungariae; nec non, Actorum omnium, tractatorum & conclusorum, in conventu Posoniensi & Nonicoliensi, An-

nullatione. Vienna, MDCXX. forma quadripartita, cuius exemplar authenticum possidemus, missum ad Consinium Deveser.

x.) Articulo LXXIII.
y.) ORTELIVS Parte II. p. III. z.

gnaculis, adhibuere. Sed, cauere tamen haud potuerunt, quin cum alias frequentius, tum ab Forgáchio, Urvári praefecto, reuulsis raptim valis, anno MDCLXI. adulto iam Septembri, interciperetur, expilareturque oppidum. Inopina Turcis, ea impressio fuit. Itaque, plurimos occupauere nostri; arce tamen, quod validiorem multo repererunt, quam ut, subitaneo adultu posset intercipi; ne tentata quidem.

S. XIV.

Longum foret, minutas velitationes, datas acceptasque clades Váciensem, percensere. Dicendum tandem est, quemadmodum in nostrorum potestatem venerit. Ut, post tentatam obsidione Viennam, res Turcarum inclinare, nostrorum contra, felici passim successu, redintegrati ceperunt; capto, iam ante Strigonio, expurgandum, ab hostium infessoribus Danubium, expediendamque, ad oppugnandam Budam, viam, duces censuere. Wissegrádim destinationes remorabatur, quod simul insigni nostrorum virtute, interceptum est, Vácia restabat, quae hosti eriperetur. Id, ne possent occipere nostri, Budenses, e ducta, octo millium, manu, desperato iam Wissegrádo, impeditum ibant. Pugnae quidpiam ad Strigonium, ubi pars exercitus in stathis erat, editum, victoriam Caesarianis, & simul occasionem, Váciæ adoriendae, suppeditauit. Eleganter WAGNERVS (z.) expeditionem, & quod hanc nobilitauit, praelium, longe acerrimum, in litteras retulit: cuius ideo verba adscribere, nihil dubitamus. Perfundas periculo (ad Strigonium) legiones, cum impedimentis, Lotharingus acciuit Váciam, ex itinere, ad commutatum securitatem, intercepturus. Ad Városium (a.) (Marosium) vicum, difficillimo & ad insidias aptissimo itinere, Merco, ac Heistero, cum obuiis turmis, velitationis aliquid; at, in exaquantis viis, saltu conuellendo, deuchendis machinis, haud paullo plus laboris fuit. Emersus, ex iis difficultatibus, exercitus, paucos primum velites, deinde infum hostium exercitum, in conspectu habuit. Duces, consensu in pugnam ruunt; occidunt classica letissimo militi, acies in hunc modum disponitur. Dextrum cornu Danubio, lanum, monte, Neogradum respiciente, clauditur. Ordine eodem, secunda acies struitur; Lodronio, in subsidiis, ad impedimenta relicto. In media acie, Starembergius, Ludouicus Badensis, Gondola; in dextro cornu, Maximilianus item Starembergius, Salinensis princeps; in laeo Taffius, Scherffenbergius, Ludouicus Neoburgicus, imperant. Duabus ante meridiem horis, aqua fronte, e locorum iniquitate est enisa. Erat ad dextram tumulus, quem si occuparet hostis; & diuidebat nostram aciem, & suis obnoxiam tormentis habebat. Priores nostri, obnitas nec quidquam hostiles turmas, multiplici igne submouere. Primi Turca, frontem nostram impulere, solutis primum fistu-

Quomodo ultimam, in nostras manus venerit oppidum:

praelii Váciensis, hypotyposis:

S 3

z.) Historie Leopoldi M. Lib. IX. p. 636.
a.) Ad eum modum, emendes, lector, &

p. 665. lin. 30. item, lin. penultima.

lis, nudatis dein francis, barbarico ululatu, in Tassianam præcipue legionem, cursu inuecti. Lotharingo, huc aduolanti, equus iaculo suffossus. Mola, stabuli præfectus, & prætoria cohortis succenturio, uti ad eius latus adequitabat, tormentaria pila, diffractio cranio, sædum in modum discerpti sunt. Tassiani, resumptis, ad ducis præsentiam animis, restitutis ordinibus, nec ruentium impetu hostium, nec clamoribus perterriti, solutis tempestiue sclopetis, sternunt primores ordines, ut adeo, momento versa alea, qui se altius induerant, euoluerent se trepide, adque suos receptum quærerent. Inde, in dextram obuersi, constantia eadem, ab immoto Badenli accipiuntur, iamque lateribus circumfundit Christianos conspicati, dato ad receptum signo, qua quemque casus abstulit, fuga saluti consulunt. Peditum tria facile millia, suis arenam cadaueribus, oppleuere: Christiani, quinquaginta non amplius, desiderati. Hactenus ille. Victoriæ, portenti quidpiam habuisse, existimatum, quod die S. LADISLAI festo, non sine eius numine, partam multi credebant: quasi, qui locum, a se, peculiari ostento, ac religione, conditum, sanguinolenti hostis clade, a tyrannide, vindicatum uoluerit.

omnes, a die S. Ladislai, peditum.

§. XV.

Oppidum inuicceptum:

Oppidum, eodem pugne feruore interceptum, ait WAGNERUS: Fugitivos, inquit, Vácziæ usque profecutus victor, oppidum ipsum, male materiato aggere infirmum, præsidarios octingentos, quadringentos alios, qui se huc e fuga condiderant, deditioe capit. At enim, refractarios se Turcæ, qui inerant, præbuere; sicuti habent eius tempestatis ephemerides. Nimirum, coniecti in fugam hostes, pars, per apertam planitiem effusa, Budam versus ruebat; pars, compendio usura, intra oppidum se conicere nitebatur, quod, ne posset, victorum, in persequendo hoste, ardor & celeritas, prohibuere. Pro portis, mille tercenta cadauera, iacere. Quo viso, præsidarii; mille ducentos fuisse constat; longius, ab oppido, submoturi nostros, tormenta, designatis ictibus, euibrare. Indignati temeritatem duces, machinas modi grandioris, admoueri, moenia pulsari, atque ignitis pilis, in oppidum depluere, iubent. Obnitebantur hostes, eo pertinacius, quod inclinante suorum acie, vxores ac liberos, cum eximia impedimentorum portione, nauibus iniecta, Budam, secundo amne, demiserant. Sed, cum nostri congeminarent explosiones, iamque vias obsidionales molirentur, cadere primo animis, mox deditioe signa protrudere, & nullo non precum genere, cum victoribus agere. Conditionum, quas ipsi rogarant, præcipua fuit; uti, cum sarcinis, incolumibus decedere liceret. Negauere duces, id se facturos; darent poenas temeritatis, quod exercitui victori, ausi sunt insultare. Ergo, cuibrari denuo machinæ, atque castrum

strum potissimum, ubi conferti hostes inerant, pilis obrui; quod, cum haud sine ingenti caede fieret:

Et clamor celo, resonat plangoribus æther!

Quid igitur agerent, infelices! Mittunt denuo, supplices caduceatores, deditioe leges: qui nunciarent; præsidarios totos se victorum arbitrio permittere; vitæ necisque ius, in se haberent, modo inermi multitudini parceretur. Nihil moratus Lotharingus, conditionem accipit, obsessos, ex arce prodire, &c, quas meriti sunt, poenas, foris expectare iubet. In conspectum admitti, vitæ gratiam, gementes deprecantur; totidem, a se, captiuorum libertate pensandam, quanto ipsi numero, censerentur. Et vitæ quidem gratia, haud grauate, supplicibus indulta fuit; sed numerus captiuorum, qui in S. Andrea insula, barbara feritate vincti detinebantur, geminari, atque liberandi initium, tempesta iam nocte, fieri oportuit. Ad hunc modum, subacta tunc fuit Váczia; felix futura, si, suscepta Buda obsidio, cessisset ex animi sententia. Enim vero, post nostrorum receptum, exeunte Nouembri, recidit oppidum iterum iterumque in Turcarum potestatem. Coegerant illi, ex limitaneorum arcium præliis, non temendum peditum equitumque, agmen. Aduolant in Vácziæ conspectum frementes; minantur vltima quæque, nisi se maturius dedant præsidarii: ferociam, diris cumulant. Nostri, quum & paucitati suæ diffiderent, & muris, deditioem paciscuntur, quam possunt, æquissimam. Iam longius, cum sarcinis processerant, quingenti circiter præsidarii; cum hostes, nefanda perfidia stimulati, demigrantes insequuntur, & angusto loco deprehensos, contrucidant; paucis, siluarum perfugia, & noti calles, saluti fuere. Retulit, Turcis vicem, sequuta hieme, Heisterus, iam tum in fortissimis ducibus habitus. Curandum ei scilicet, cum Pálffy erat, ne saeuiente bruma, Uuariensibus, annonæ quidpiam, aut militis, submitteretur. Quam ob rem, conflegendum cum hoste, sæpius fuit; ad Nográdum præcipue, ubi, collectam annonam habuere Turcæ. Octingenti farinæ faci, quos equi dorso ferebant, subita adgressione, hostibus sunt extorti. Haud diu post, ex rusticulis, quos exploratores, largissime remunerari solebat, intelligit, quingentos lanitscháros, cum aliquo Spahiorum agmine, ad Vácziæ coactos, iter, nupero, ad Nográdum, conflictu, sustaminatum, nouo cum comæatu, adparare. Hos ille, a Czoborio comite, Hungarorum duce, in insidias pellectos, ita multauit, ut caelis centum, reliquos in fugam coniceret; præter annonarios currus permultos, quindecim florenorum millia, destinata Uuariensibus stipendia, eriperet. Hæc, ex WAGNERO (b.) didicimus. Ephemerides, currus, quibus annona uehebatur, quingentos meminerunt; de pecunia silent; sed oppidum quoque, occupatum, atque igni concrematum, memorant. Post Strigoniensem, anni MDCLXXXV. victoriæ, atque expugnatæ Uuarium, Turcarum maleficio exusta

deditioe leges:

recidit in Turcarum potestatem:

eorum, abneris præsidarios demigratos, perfidias

salomonis in hosti reddidit:

b.) Loco cit. p. 652.

exuritur a
Turcis
Váczia.

Ista est, posteaque deserta *Váczia*. *Szeraskivius* nimirum, semel victus, ne praelio occasionem, novæ autem victoriæ materiam nostris suppeditaret, incenso oppido, (c.) quin & reliqua regione, flammis, dirum in modum, focdata, *Budam*, cum lacero, & male mulctato exercitu, euaferat. Nostris fatis fuit, gemina victoria lætis, cum tertiæ potestatem haud facerent *Turca*, collustratum ignibus hosticum, ex castris, ad *Marosium* positis, prospectare. Nam, quod *Váczia* bustum insedisent tunc *Cæsariani*, silent annales: certe, dum citeriore hac ripa, anno MDCLXXXVI. *Bauarus* proficisceretur, vacuum ab hostibus esse oportuit, eo quod, militare iter, inoffensum *Bauaro* fuisse, legas. (d.)

§. XVI.

Prorsus occupata a nostris quo habitant

Occupata *Buda*, prorsus in nostrorum potestate relicta est *Váczia*, vel, vt, quod res erat, dicam, *Vácziæ* vestigium. Nam arcis quidem, præter parietinas, hinc & illinc, pertusas, superabat nihil; oppidum autem, toties igni concrematum, vix calas aliquot, continebat, negligentissime materiatis: circum fossa ibat & agger, roboribus confertus; sed is quoque passim derasus. Quin, & portarum rimosi fornices, pristinae firmitudinis, vix quidquam retinebant. Vici contra, quorum potiores, ab occidente in orientem propagabantur, rudibus passim impediti, squaloris referebant plurimum. Templorum fabricæ, multæ olim magnificentia, ad muniendam arcem, a fundamentis refossæ, ne vestigium quidem habebant residuum. Hoc erat *Váczia* habitu, cum penitus erepta *Turcis* fuit: incolis fere nullis. Ergo, *Slauorum* primo coloniarum, mox & *Germani* conuenæ, habitare oppidum incipiunt. Ponebant, nempe, casulas, inter ruinas, prout quemque, aut fors ducebat, aut lubitus. Alii, *Trogloditarum* ritu, vel humi deprimebant habitationes, iniecto superius, ne perplueret, stramine, vel repurgatas, situ & squalore, cellas incolebant. Atque, abiit omnino lustrum vnum alterumque, dum decoris quidpiam, loco potuit conciliari. *Episcopi*, quos supra laudauimus, eam curam, vt e busto, sacræ, & profanæ ædes resurgerent, sibi faciebant peculiarem. Iam, ita culta est *Váczia*, atque copiosa, vt oppida & vrbiculas, quas in elegantioribus habemus per *Hungariam*, æmulari posse, videatur. Præter episcopalem sedem, & *Canonicorum domos*, habent sua *asceteria*, & *Dominicani*, & *Piaristæ*. hos *Kollonitschius*; *Dwornokonitschius* illos, ciuitati intulere. *Franciscanus ordo*, ad ipsam *Danubii ripam*, grande *monasterium*, & templum adornat, piissimis, *Stephani Kohárii*, *Iudicis Curie Regiæ*, sumtibus: verba sunt *LADISLAI TÖRÖCZII*. Debet vero incrementa sua vrbis, præcipue, mercatibus annuis, qui hic magna fiunt celebritate. boarii in primis, tantæ sunt frequentia, quam quæ potest esse maxima. Vidimus, illic præsentem, planitiem, ultra oppidum, ad passus ter mille amplius, protensam, armen-

episcopo-
rum, in op-
pido sum-
dians:

facri ordi-
nis

mundano-
rum cons-
moda:

o.) *WAGNERVS*, ibidem p. 665.

1.) *Laibi* p. 686.

tis boum, infessam fuisse: quæ duorum dierum interuallo, a pecuariis institoribus, auide adeo comebantur, vt ne pilus quidem, die tertio, superesset. Celebrantur vero: *Dominica Palmarum*; die *Visitationis B. V. Mariæ*; ad memoriam *D. Galli*; & denique, octiduo ante *Natalem Domini*. Situs oppidi, iucundus est, & multæ opportunitatis. Nam, quemadmodum cretiori, solidæque *Danubii ripæ*, insedit, ita, agro circumfunditur fertili, & rusticationibus amico. Ab occidente & septentrione, montes prætenduntur, amoeni obtutus. In his, *Naszá-ly* est, quem memorauimus. Qua hi mitescunt, perpetuo latere, vitem alunt, quæ vinum gignit nobile, & in iis censendum, quorum ingenium probatur medicis. Inter vitiferos colles, & profluentem *Danubium*, planities, in orientem se exporrigit, multis præliis nobilitata, & qua magis laxatur, vicis interstincta. Felicem nunc diceremus *Vácziæ*, quia celo soloque fruitur commodo; nisi eam frequentiora incendia, euastarent. Nempe, humiliores ædiculæ, arundine, stramineue intectæ, vbi semel flammam concepere, propagant longe lateque incendium. Id nuper accidisse meminimus; magno quidem ciuium damno; sed quod, diligentiores in ædificando fecit, cautioreque. Iam enim sunt, qui egregie materiatis tectis, quin imbricibus etiam, domos suas conuestiunt, prætenduntque in altum maceriem, quæ sistat vicinum incendium. Recedit *Váczia*, quatuor *Pestæ*, in occidentem æstium, miliaribus. cui nos, post tot clades, mortes dixerim, in vitam reuocata, perpetua incrementa, vouemus.

stena oppi-
di:

incendio-
rum da-
mna:

calus ho-
dierum.

SECTIO III.

DE

Vicis Processus Váciensis.

Describimus *Processus* huius vicos, eo, quo totam regionem insident, ambitu; deinde, suo quosuis ordine: plures enim sunt, & digni memoratu.

1.) *Thura* primum occurrit, vicus copiosus, in meridionali sinu *Galga* ripa, loco plano, sed accliu paululum in meridiem; prorsus in siluarum margine, atque vallis, per quam *Galga* defluit, exitu. Gaudet agro frumentario, vinetisque; sed siluis caret. Incolitur ab *Hungaris*, ditioris *C. Iohannis Eszterházi*.

2.) *Sámbok*, vno milliari, a priori, in meridiem seiunctus, loco aperto, collino tamen, & vini quidem modice, frumenti, egregie feraci. Incolitur *Hungari* sunt. Est *Thoma Beniczky* obnoxius. cuius domicilio nobilitatur. Inde,

TOM. III.

T

3.) *Dá-*

3.) *Dány*, ad eandem plagam, passibus fere bis mille, recedit. Vicus, coloniarum mediocris, solo tamen frumentis, sic satis opportuno. Hinc,

4.) *Suly*, milliari vnico, in meridiem sciungitur, positione collina, propter *Tapionem*, siluis, agris, pascuis, & vineis, haud omnino contemnendis. Colitur ab *Hungaris*, ditionis familiae *Bosnyákiana*: quarta vero parte *Sóteriana*, quorum heic domicilium visitur. Dumeta, quae isthic succrescunt, vocitantur *Hoszúbegy*, *Czörök*, *Középbegy*. Molarum alteram, vrget *Tapio*, alteram vero iumenta. Eodem interuallo,

5.) *Uri*, dissidet in meridiem, collino itidem situ, agris & vineis fertilibus; pari siluarum, & dumetorum vbertate, incolis *Hungaris*. Est ditionis *Kobáriana*. Abit hinc,

6.) *Monor*, vno, in meridiem milliari, sedetque, in siluarum margine, loco decliu, pene viam regiam, quae *Szolnokino*, *Pestum* deducit. A septentrione, siluae, quas diximus, obiacent. reliqua, in campos diffunduntur, agris, segetum, & pabuli, vtcunq; feracibus. Ditionis sacerdotii, seu *V. Capituli Agriensis*.

7.) *Dunakeszi*, duobus, supra *Pestum*, milliariibus, in eadem fluminis ripa, contra insulam *Ros*. Agri ei sunt campestris, colonia exilis, gentis *Hungaræ*. Est iuris *Vattajani*, sed iam in potestate L. B. *Stephani Orczy*, viri laudatissimi.

8.) *Kis-Vác*, seu *Minor Vác*, viculus reuera exiguus, supra oppidum eius nominis, in ripa *Danubii*. Paret *Episcopo Váciensi*.

9.) *Szúd*, vno milliari infra *Váciam*, intra ortum, & meridiem, vicus campestris, planitie ampla, & nundinis pecuariis, quae *Váciæ* fieri solent, idonea. Eo enim vsque, pecus vendibile, complet oram, dum nundinae *Vácienses* celebrantur. Paret iam L. B. *Grafalkovics*, incolis *Hungaris*. Sciungitur hinc, mille circiter passibus,

10.) *Hartyán*, receditque ad septentrionem, sub amoenum, in planitie, collem, incolis *Hungaris*. Dimidio in meridiem, milliari,

11.) *Ráthóth* occurrit, loco campestri, & plano, siluis, ad orientem & meridiem, recedentibus. Incolae *Hungari* sunt, ditionis *Magotsiana*. Nomen pago obtigit, a *Ráthótho*, vno ducum *BE-LAE III.* domino in *Fejér-kő* & *Bákány*.

12.) *Kis-Németi*, vicus, ex *Hungaris*, *Slauicus*, in valle, collinae positionis, terreno mediocri, vini tamen & frumenti patiente. Est *Gofztoniana* gentis.

13.) *Szilágy*, milliari vnico, a priori, in orientem sepositus. Vicus collinus est, arua dumosa, modicæ vineæ, agri exiles.

14.) *Kis-új-falu*, colonia *Slauica*, inter colles, prope viam *Váciensem*, terreno mediocri, vineis tenuibus, ditionis *Kobáriana*. Hinc,

15.) *Sz.*

15.) *Szúd*, in orientem recedit, inter colles vitiferos & siluestres. Itaque, & vitem curat, & agrum frumentarium; tamen angustum. Pertinet ad L. B. *Grafalkovics*. Secedit inde,

16.) *Bottyán*, dimidio milliari, exiguo quidem & sterili territorio; sed viti tamen amico. Coloni *Hungari* sunt, & *Slavi*, ditionis PP. *Paulinorum Pestiensium*.

17.) *Sz. Miklós*, priori, a meridie vicinus, exilis, agris modicis, ac sabulosis, paucis vineis. Censetur in ditione *Kobáriana*. Siluae ei nullae; parca tamen dumeta suppetunt. Vicum, riuulus supra emanans, humectat, molisque tribus, inseruit. Circumfident eundem, *Vörös-Egyház*, *Csomád*, *Hartyán*, atque *Ráthóth*.

18.) *Vörös-Egyház*, partim *Episcopi Váciensis*, partim, sacerdotii *Varadiensis*, priori vicinus ab oriente, terreno arcto, sed nobilissimi vini ferace. Vineas enim, perpetuo aulstro subiicit, incoliturque ab *Hungaris*. Viciniam occidentalem,

19.) *Csomád* infidet, incolis agrisque tenuibus, ditionis *Benicziana*.

20.) *Palota* depressus in meridiem, colonia pariter *Slauica*, *Hungaris* mixta. Vicus, collino, & aperto agro. Est ditionis *Ufalussiana*, cuius partem aliquam, & *Samuel Bohus*, in celeberrimis caullarum patronis memorandus, obtinet.

21.) *Fót*, vicinus *Mogyoródo*, & a *Palota*, medio in occidentem milliari, subductus: ditionis eiusdem, soloque pari. Fons vico inest, aquae salubris, tantaque vi ebullientis, vt quidquid materiae inieceris, illico eiectum adscendat supra. Vbertatem inde colligas, quod vniuerso vico, aquandi modum sufficiat.

22.) *Mogyoród*, BONFINIO (a.) *Monyoród*, vicus a victoria, quam *GEYSA II.* & *S. LADISLAVS*, ex *SALOMONE* reportauerant, celebris. Superat, eius signum hodieque, in ruderibus templi, ibidem a *S. Ladislao D. Martino* dedicati. Fuerat heic olim *Abbatia* eius nominis, ordinis *S. Benedicti*, fortassis a *S. Ladislao* posita: sicuti opinatur *LADISLAVS THÉROCZVS*. Incolitur hodie ab *Hungaris*, *Sueuis*, *Slauisque*.

23.) *Száda*, intra *Mogyoródum*, & *Vörös-Egyházam*, pari soli, & incolarum qualitate atque mixtura, ditionis sacerdotii *Váciensis*, & *Varadiensis*.

24.) *Tömör*, colonia *Slauorum*, inter *Palotam* & *Czinkotam*, loco plano, & campestri, agris sabulosis.

25.) *Czinkota* (b.) a priori vicinus in orientem, trans *Rákostum*, erectiori positione, pascuis tamen idonea; incolitur a *Slauis*, patetque *Thome Beniczio*.

26.) *Kerepes*, vno milliari remotior a priori, inter orientem, & septentrionem, in amoenissima valle, colonis copiosis, *Hungaris* iis-

a.) Dec. II. Lib. III. p. 216, 16.

b.) De *Czinkota* *BONFINIUS*, Dec. II. Lib. III. p. 216, 15.

dem, atque *Slavis*, *Germanisque*. Templum in clivo collis, ad hibernorum orientem positum, *Antonius Grasalkovitus*, *Personalis Praesentis Regia in Iudiciis Locumtenens*, vir multae laudis, idemque vici herus, restauravit. Habet stationem cursoris publici, *Buda* digressi, primam.

27.) *Gödölö*, pari intervallo, a priori, in orientem, trans collem siluestrem, in altera valle, ex qua *Rákosum* scaturire diximus. Vicus copiosus, incolis *Hungaris*, agro fabuloso, vineis in septentrionem reiectis, situ lato, & hilari. ditionis nunc *Grasalkovitsiana*, cuius heic secessus visitur. Alias parebat *Bosánis*.

28.) *Isaszeg*, recedit a priori in orientem, trans *Rákosum*, cuius sinistram ripam occupat. Situ est acclivi, agro amœno, & siluestri, tenaci solo, & difficilioris arationis. Incolitur a *Slavis*, ditionis *Grasalkovitsiana*. alioquin pertinebat ad ditionem *Bujakensem*, scribebaturque olim, in diplomatibus & litteris regiiis, *Irsaszeg*. *ISTVÁNFYVS* vocat *Irsaszegum*. Ab occasu præterfluit cum *Rákosus*, qui, quod illic restagnat, anno MDCCXXX. communi prouincialium suffragio, ponte saxeo, iunctus est. Transmittit enim ibidem viam regiam *Pestiensem*. Habet tabernam diuersoriam percommodam.

29.) *Péczely*, eadem ripa *Rákosii*, in meridiem descendit. Vicus *Hungaricus*, ditionis *Fajorum*, atque nuptiarum iure, *Rádaiorum*, quibus & domicilium, ad modum castelli, eleganter heic inædificatum est, iucundo nuper, optimi viri, *Pauli Radaii*, secessu nobile. Prospectu id gaudet amœno, habetque adstructam villam, cum rusticam, tum fructuariam. Quin, & ora loci iucunda est, & siluestri hic, aperto alibi colle, amœna. Inter hos, segetes, vineæque, pulchra diuersitate, rus distinguunt, fabulosum quidem passim, sed cultus tamen patiens. Subit amniculus *Rákos*, præstatque piscinis, & molis, aquas, prataque irrigat, vberibus foenifeciis, lata.

30.) *Csába*, inferius paullo, in eadem riui ripa, terreno apertiore, sed siluis tamen interstincto. Vicum, noua nuper, ex *Hungaris*, & *Germanis*, mixta colonia, occupavit. Est ditionis *Lafertiana*.

31.) *Keresztúr*, tantundem recedit a pago *Csába*, vt ille a *Péczelyo*, in eadem ripa *Rákosi*. Et quemadmodum a *Péczely*, vsque ad *Csábam*, planities semper latior, valliculae fluuii irriguæ, intermittitur; ita, circa *Keresztúr* laxior multo est, vberioraque habet foenifecia. Vicus tamen acclivi a meridie, colle, sed aperto eo, obsidetur: incolitur ab *Hungaris*, partim demersa in humum sede, qui mos *Trogloditarum* fuit; partim instructa superius. Oram vici, domicilium ornat *Podmaniczianum*.

32.) *Üllő*, vno milliari a priori, in orientem, loco penitus campestri patenteque, in via regia *Pestienfi*, & *Szolnokienfi*. Intermittit autem *Keresztúro*, collem satis editum, & partem siluestrem, partem apertum, per cuius radices, vici sparguntur; sicuti infra dicemus. Ipse

vi-

vicus remotior paullo a colle, erectis passim in meridiem tumulis, fabulosis iis, distinguitur, per quos vitem conferunt incolæ. reliqua sunt plana vndique, & patentia, agricolationis diuersa, pinguis hic, macrae alibi. Incolunt cum *Hungari*, *Slavis* permixti. Accensetur ditioni *Váciensi*.

33.) *Etser* exilis vicus, huic, quem nunc diximus, vicinus, sub colle siluestri, versus *Keresztúrum*, terreno acclivi, & collino, fertili passim, sed difficilioris cultus, ditionis *Grasalkovitsiana*.

34.) *Maglót*, recedit ab *Etser* bis mille circiter passus, sub eodem siluestri colle, solo consimili, incolis *Slavis*. Fons, qui medio vico scaturit, tam vber est, vt & colonis sufficiat, & pecoribus. Paret familiarum *Faj* & *Rádaj*.

35.) *Gyömör*, eodem acclivi tractu, passim dumetis distincto, colonis haud copiosis; ditionis, partim *Rádaiorum*, partim castri *Buják*. Vicinus *Maglót*, inter orientem & septentrionem.

36.) *Binye*, noua colonia *Slauica*, inter *Gyömör*, atque *Gomba*, solo pariter collino, agris apricis, & parte quadam siluestribus.

37.) *Gomba*, ditionis, vna cum priori, *Fajána*, recedit a *Binye* in septentrionem. Agro est hiulco, & difficilis culturae, largæ tamen, si latamen adspargatur. Colonia *Hungarica*.

38.) *Mende*, vicinus *Gomba* in septentrionem, vicus *Slauicus*, ditionis *Bosnyákiana*, siue *Koháriana*, quorum aedes heic videas. Siluis gaudet, multo, quam vicina loca, laxioribus. Habet vinea quoque, situs opportuni.

39.) *Sap*, dimidio fere supra *Mende*, milliari: iuris *Sóteriani*. Pari hinc versus aquilonem, intervallo abest.

40.) *Valkó*, inter *Isaszeg*, & *Sz. László*, regione prorsus siluestri, solo & cultu, suppari.

41.) *Sz. László*, eadem intercapedine a *Valkóne*, in orientem sepositus, colonia *Hungarica*, genti *Eszterháziæ* obnoxia. Inde est *Thura*, de qua supra, in orientem, & prope hanc,

42.) *Hévíz*, quasi aqua calida, in eadem, cum *Thura*, valle, penes *Galgam*, in septentrionem. vicus *Hungaricus*, ditionis *C. Alexandri Eszterházi*, agro, vini & frumenti ferace, paruo tamen.

43.) *Bódog*, trans colles in valle est, ea regione, qua *Zagyva*, cum *Galga* confluit, solo plano, vberi, sed diluuiis obnoxio.

44.) *Hévíz-Györk*, retracto, per eandem vallem, qua *Galga* fluit, situ, vicinus *Hévíz* ad teli iactum adscendit, loco depresso, & vtraque parte, acclivi, soli paris, spectatque parte altera ad *Buják*, altera ad *Hatroan*. Colitur a *Slavis*, & *Hungaris*.

45.) *Bag*, in eiusdem vallis procurfu. Incolitur & hic a *Slavis*, estque in ditione, partim *C. Starebergii*, partim, *C. Eszterházi*. Agri ei frumentarii pauci sunt, prata exilia, vineæ arctæ, sed boni fructus; siluæ contra, copiosæ, quæ acclivi eminentes opacitate, & virore non pago tantum, sed toti huic valliculae sunt ornamento: vetantur

tamen tædi, ne rusticorum iniquitate exinaniantur. Proxime hinc versus aquilonem abest,

46.) *Afzód*, olim *Ostmach*, & deinde in privilegiis familiae *Pochuk*, *Afzi* nominabatur. Eleganti diplomate, *Sigismundus*, vicum hunc, & bona reliqua, vna cum nobilitatis prerogatiua, familiae eidem *Pochuk*, contulerat. Nunc, *Iohanni Podmaniczkyo*, viro, multæ comitatus, subest, *Oszroluczkiæ* ditionis hæredi. Insedit accliu collis latere, penes *Galgam*, cum sede publici veredarii. Colitur a *Slavis*, rerum suarum egregiæ satagentibus. In primis ornat vicum, ex se, ad oppidi modum, copiosum, herile domicilium, a *Podmaniczkyo* positum, eximieque satis pro seculi elegantia, instructum. Est id, haud angusto ædificio, atque ita educto, vt geminam alam porrigat. Vtraque, hypocaustis distincta est amplis, & factis ad omnem commoditatem. Quod inter alas intercurrit, diatam habet, siue coenaculum, laxum id quidem, & frequentis conuiuii capax. Reliqua, villam referunt vrbanam, multæ opportunitatis. Profecto, nihil sede ea iucundius possis exillimare; ita, & læto prospectu valet, & vigescit aura salubri. Rus, vico obtigit, arctius id quidem, quam pro copia colonorum; sed frumenti, & vini ferax. Plerisque, adlita deserta, quæ *prædia* vocant, in hac domestici agri penuria, insignem, ad rustificandum, copiam sufficiunt. quam tamen, ære redimant, necesse est. A tergo vici, positio terræ collina est, multis distincta vallibus, siluescente passim cliuorum superficie. Hic & templum insedit, a *Podmaniczkyo* eductum.

47.) *Versek*, vltra colles *Afzódensium*, milliari vnico recedens, ea prorsus ora, vbi eleuatio hæc regionis positio, in campestem definit, & ab amne *Zagyua*, a prouincia *Hevesiensi*, dirimitur. Quod colli subiacet vicus, nomen sortitur, confinisque est, hinc *Neogradiensi*, illinc autem *Hevesiensi* Comitatu. Solum ei diuersum est, collinum, atque campestre; sed istud eluuiionibus subinde obnoxium. Paret *Iohanni Podmaniczkyo*.

48.) *Domony*, redit in eandem vallem, qua est *Afzódum*; sed ad medii milliari interuallum altius subductus. Vicus *Hungaricus*, *Slavis* mixtus. Paret familiae *Kandó*, agro, quam est *Afzódiensis*, multum feraciori.

49.) *Mátta*, pari interuallo, recedit a *Domonyo*, in septentrionem, neque terreno deteriori est: siluis tamen caret, quamuis vndique iisdem incingatur. Incolæ sunt *Hungari*, ditionis *Grasalkovitsianæ*; alias *Kubinyorum*, & *Mariásorum* hæredium.

50.) *Tóth-Györk*, transit in alteram vallem, priori contiguam, in septentrionem, qua riuulus *Galga* emanat, *Slavis*, *Hornya-Jurka*, vno milliari supra *Afzódum*, vicus *Slauicus*, ditionis diuersorum, inter quos est *Adamus Bene*, *Darvasii*, reliqui. Ager tritico minus fauet, cum sementi reliquæ satis sit amicus. Vitem quoque benigne alit, terreno enim est fabuloso. Vicinus huic adiacet,

51.)

51.) *Püspök-Hatvan*, in septentrionem, penes eundem riuulum, & paludem, ex gemino riuuli eiusdem fonte, e diuersis vallibus promanante, confluentem. Incolunt & illic *Slavi*, ditionis sacerdotii *Vácziensis*. Rure est, ad rustificandum, insigniter commodo: nam & vitem fouet, & frumento proficit, neque siluis destituitur, lignationi sufficientibus.

52.) *Acsa*, abest a priori ad tormenti vnus iactum, penes aluenum *Galga* septentrionalem. Terræ eius arabiles, potissimum sunt versus *Csövár*, nec non *Gutha*, vicum *Neogradensem*, amplioribus quidem spatiis protensæ, sed, quæ a vicinis, multa sui parte, in litem vocantur. Pratorum modus exiguus vico obtigit. Siluis contra abundat, cum pro ædificiis, tum pro foco. Earum pars vna est, versus *Gutham*, versus *Vanyarócz* altera. Sunt ei, & versus *Püspök-Hatvan* querceta, saginæ porcorum opportuna. Colles vitiferi, alte prominent, adnumeranturque, hac ora, præcipuis, qui vinum fundunt album. Mola frumentaria riuulo, a *Gutha* demananti, instructa est, neque tamen alias, nisi tempestate pluuiæ, utilis. quam ideo, subleuat mola alia iumentaria, in vico posita. Incolæ *Slavi* sunt, solertes agricolatores. Successoribus *Bosnyákianis* partim, partim *Adamo Vay*, obnoxii. Sed *Bosnyákianæ* hereditatis pars, annis superioribus, in *Gabrielem Prónay*, caularum patronum non æquum minus, quam felicem, iure perenni, est deriuata.

53.) *Csövár*, aliis *Csujvár*, vallem insedit, priori, in occidentem oppositam, & riuulo irriguam. Imminet vico, arx cognominis, iam rudetibus foeda, olim familiae *Raska*, postea iure nuptiarum, gentis *Bosnyák* fuit. Positio vici depressa est. Vasta ei sunt querceta, eaque glandis feracia. quorum pars vna, *Cziffuta*, altera *Porazi*, tertia *Dubini*, quarta *Vashegy*, nominatur. Incresecunt & arbores aliæ, materiandis ædificiis idoneæ, quibus faciunt quæsticuli quidpiam agrestes. Aruorum exilitas, siluis pensatur, vbi & calcis exurendæ modus est, vti non parcus, ita fructuosus. Incolæ sunt *Slavi*, adtentii ad rem faciendam. Paret vicus, *Gabrielis Prónay*, qui ius *Bosnyákianum*, & heic, suum effecit. Sed & successores familiae *Egri*, qui iam in diuersa cognomina abierunt, partem vici aliquam, capiunt. Hactenus, de *Vácziensi* Processu, diximus.

MEM-

MEMBRUM II.

De Processu Ketskemetensi.

PROOEMIUM.



Omplectitur hic, regionem omnem, quæ a *Sámbok*, *Dány*, *Siiily*, *Uri*, *Monor*, *Ullyó*, intra *Zagyvam*, & minores *Cumanos*, vsque ad *Tibiscum* porrigitur, longitudine plus octo miliarium, latitudine, nunc trium, nunc plurium, mensuræ Hungaricæ. Planus est totus, & campestris, nullo, vel minimo colle, asper. Hinc & illinc, arenarum tumuli eminent, ventis congesti; silvæ raræ, riui nulli, si *Tapionem*, excipias, qui angulum eiusdem stringit septentrionalem: cohibetur tamen *Zagyva*, & *Tibisco*, crebrisque scatet lacunis, & paludibus, quæ & incolis, & armentis sunt commodo; nisi exarescant, cælo impluuiio. Itaque, regio parte sui maxima, inculta & sabulosa, vastis solitudinibus horrescit. Earum pars haud postrema, in steriles nudosque campos diffunditur. Paucis locis exaratur, iis nempe, qui solo sunt pullo: reliqua, longis tractibus, cultus humani sunt inania; pabulo tantum, sed nec eo vbiq; fecunda. Faciunt segetem incolæ, prope ad vicos, & qua est, per deserta, humus resolutior. Optime autem semina proficiunt, prope flumina *Tibisci*, & *Zagyvæ*; residua, armentis frequentantur. Quæ cultus sunt patientia, tolerant, non modo fruges, sed & vitem, vberi, at rubeo fructu, & prono in vitium. Incolæ, partem maximam *Hungari* sunt, intermissis *Slavis* *Germanisque*.

SE-

SECTIO I.

DE

Oppidis Processus Ketskemetensis.

KNops, vrbium, arciumque regio, oppida campestria; *Mező-Város* Hungari vocant; tria admodum complectitur; inermia singula; sed idonea tamen ad rusticandum. quæ iam adibimus.

SYNOPSIS.

KETSKEMÉTI denominatio: an sit Partiscum? hodiernus habitus, & nundinarum celebritas: ades sacra: vici oppidi & aditus: Ketskemetensium, in obturando amne infelicitas: agri circumfusi ingenium: incola Hungari, & horum occupatio, magistratus. §. I.

KÖRÖSI situs: incolarum indoles: vinea & harum fructus: agri frumentarii ingenium: oppidi herus. §. II.

CZIGLÉDI positio: ruris ratio: possessores: prisca loci celebritas. §. III.

§. I.

Oppidum Ketskemét.

KETSKEMÉTVM, seu *Ketskemetinum*, ingens est oppidum, & incolis frequens. Qui ad etymon Hungaricum adtendunt, græco vocabulo, *Aegopolin* adpellant: eo quod, *ketske*, capram nobis significat, quam græci *Αἴγος* dicunt; vnde illi *Αἰγόπολις*, hoc est, caprarum urbem, faciunt. Si coniecturæ sit locus, *Partiscum*, veterum putarim esse. Fuit vero *Partiscum*, princeps, *Lazygum Metanastarum*, oppidum, a PTOLEMAEO memoratum. quod ORTELIVS (a.) male, cum *Pathisso*, seu *Tibisco* amne, confudit. CELLARIUS (b.) in oppidis reposuit, Ptolemaeum sequutus: *lazygum* quædam oppida, inquit, *Ptolemaeus* nominavit: *Partiscum*, *Pessium*, *Caudanum*, *Trissum*; sed nobis omnia ignota. Atque, difficile est omnino, vetus nomen indagare, ob silentium auctorum, qui *Ptolemaei* ætatem exceperunt. Nostræ profecto coniecturæ, id in primis contrahit. quod præter *Metanastarum* morem, Ketskemeti denominatio

a.) In Thesuro Geographico, ad hanc vocem. | b.) Notitiæ Orbis Antiqui, Lib. II. Cap. VIII. p. 598.

hodiernus
habitus, &
mundana-
rum cele-
britas:

siticuloso nimium loco *Ketskemetum* positum videas. Quidquid eius sit, retinet hodieque, amplitudinis, & qualiscunque celebritatis laudem. Nam, & ciuium numero valet, & nundinis frequentatur, vltra, quam retis, copiosis. Stati his sunt, per annum dies, *B. Georgii, D. Laurentii, & S. Catharinae*, martyrum. Aguntur autem, fora in primis boaria, ingenti armentorum multitudine; concursu autem pecuariorum inlitorum, propemodum incredibili: *Rascianorum* potissimum, quibus mercatus hoc genus, longe est familiarissimum. Sed *Turcas* etiam accedere videas, cum domesticis suis mercibus. Quæ res, eo maiorem habet admirationem, quod in mediterraneis, loco siticuloso, & remoto ab annuum opportunitatibus, positum oppidum, potuerit tamen mercatum hac frequentia, inualescere. Vix enim vero, urbem, tota *Hungaria*, repereris, cuius inlitores, non huc accedant, emendi, vendendique causa. Distat *Pestino*, milliariibus plus minus decem, in orientem; tantundem & *Szegedino*, in septentrionem, estque loco campestri, ædificiis copiosis, sed humilibus, laterculo crudo instructis, vel sepibus, luto oblitis, oblectisque stramine: quamuis, inter sint iam domus nonnullæ cultiores, scandulis, vel imbrice tectæ. Maxime, eminent templa in foro duo, Catholicum vnum, cum claustro *PP. Franciscanorum*, prouinciæ Seruatoris, alterum *H. C. ad dictorum*, vicinum priori. Olim, *Franciscani*, eodem templo, pariete vnico interlincto, vna cum Reformatis, sacra faciebant. Sed, quoniam res ea, vtrisque fuit offendiculo, impetrarunt ab hero suo, *C. Stephano Kohárió*, vt hi templum aliud, suo sumtu, exædificarent. Exstructum autem est, annis *MDCLXXXI. & LXXXIII.* pari, vti *Franciscanorum* illud, longitudine amplitudineque; passuum vix centum interuallo, a priori diremtum, fronte in occidentem porrecta; quum prius, orientem respiciat. Vtrique, turris a tergo, vtrique & æra campana sunt. Et quoniam templum vtrumque, muro cinctum, fossa alte depressa circumuenit, fuerunt, re trepida, & bellis infesta, qualicunque oppidanorum perfugio. Est etiam, *Patribus Piarum Scholarum*, templum, domiciliumque, pulchre, eiusdem heri beneficio, confurgens. qui eisdem, locum, passus quadringentos ambitu complexum, in angulo oppidi occidentali, superioribus annis, adsignauerat. Inter domos publicas, sunt curia, & hospicium militare, diuersoria item taberna, nec non *Xenodochii*, & molarum complurium iumentariarum, ædificia. Per medium oppidi, latiores quæpiam, transversum, aræ intermittuntur, quæ in complures vicos, diuise, varie exeunt. Præcipui ad oppidum aditus sunt, ab occasu, *Budensis*; a septentrione, *Körösiensis*; in orientem, *Csongradiensis*; & sub austro, *Halasiensis*; denique *Homokiensis*, intra meridiem & occasum. Totum oppidum, egesta circum fossa, includitur, sed passim derasa, & aquarum inani. Nam, est hoc inter oppidi incommoda recensendum, quod siticulosa sit positione. Ergo, puteos cauant frequentes, sed lentescens fere laticis, & non raro, si annus sit implit-

vici oppidi,
& aditus:

uius,

uius, extra modum parci. Fama est, riuum olim, aquæ vberis, ante *fabulosam* portam scaturiuisse, continuoque alueo, vsque ad *Tibisci* flumen, in orientem, rigasse campos; cum tamen, quum spatium quoddam erectum, ponendoque castro opportunum, includere ad paludem vsque, ante aditum *Halasiensem*, quingentis fere passibus reslagnantem, videretur; ab oppidanis, metuentibus, ne a *Turcis* infunderetur tumulus, magna vi lanæ, in ipso fonte profocatum, exelsis subtus meatibus, euauisse. Facinus execrati posteris, refossa anniculi capita, reuocare in vitam nitentur; sed labore irrita; quando, ne vestigium quidem pristinarum scaturiginum, adparuit. Id vero *Ketskemetenses* ipsi, adfirmarunt nobis, sero deplorantes maiorum, præpostera consilia, quos inanis metus, eo perduxerit, vt nihil dubitarint, incomparabile istud naturæ beneficium, tanto conatu prodigere. Eam oppidi partem, quæ ab aditu *Homokiensi*, in occasum, septentrionem, & orientem, vsque ad *Csongradiensem*, circumstat, vineæ, atque arbuta, longe lateque, conuestiunt: vltra sunt campi, partim frugibus, partim foeniseciis, pascuisque destinati. Alioquin, terrenum oppido admensum, minus est multo, quam pro eius amplitudine. Itaque, vallis desertis, & solitudinibus, annuo censu redemptis, rem rusticam faciunt oppidani, vberem eam, & fructuosam. *Hungari* hi sunt fere omnes, præci moris tenaces, & ad rem faciendam egregie adrenti. Quo enim quisque, maiorem agri modum conferere, messes ditiores facere, alere numerosiora, per solitudines, siue bouum, siue equorum, armenta, poterit; eo melius, cum de re publica, tum priuata, mereri existimatur. Itaque, pulchrum ducunt, istiusmodi solertia, mutuam, in re familiari, diligentiam, acuerere. Hoc rei rusticæ studium, egregie, cum pecuario quæstu, coniungunt haud pauci. Neque desunt, qui vitam artibus sellulariis degant. Iam & *Germani*, *Rasciani*, & *Græci*, *Hungarorum* contuberniis, coeperunt misceri, nauiter rem factitantes. Magistratus oppidanis, domestici sunt. In his, pro religionum diuersitate, prætores duo, confessores iurati plures. Ad sunt hi iudicibus, suntque frequenter in curia, vt in promptu sint, si quid in rei publicæ procuratione, subiti occurrat. singulos, moris antiqui, hoc est seueri caligatque, esse oportet. Olim, senes erant plerique, atque promissis, canescentibusque barbis, venerabiles. Et continent omnino populum, in obsequio & concordia, planeque dant operam, ne facinorosi homines, siue in oppido, siue ruri, conualescant. Etenim, magno numero, in solitudinibus alunt armentarios, & id genus aliud, quod per æstiuas, & hybernas stabulationes, agresti ritu, degit, eoque facilius, boni moris obliuiscitur, quo remotius est ab vrbani conuictibus. Ceteroquin, populus est comis, hospitalis, & vrbaniatis amans; quidquid a nonnullis obuiatur alias. Viuunt modo parabili, neque superbiunt vestibus: quamuis feminae, ex more gentis, incedant ornatius.

Ketskemetensium, in ob-
turando
anno in-
felicium:

agri cir-
cumfusi in-
geniis:

incola
Hungari,
& horum
occupatio:

magistra-
tum.

§. II.

Oppidum Körös.

Körösi a-
sur:
incolarum
indoles:
vineæ &
harum fru-
ctus:
agri fru-
mentarii
ingenium:
oppidi be-
litate.

Reducitur *Ketskemé. no*, milliariibus duobus, in septentrionem, eodem camporum tractu, parique ædificiorum forma, sed & reipublicæ administratione, nihil diuersa; habitatoribus tamen paucioribus. Templum medio insedit. Moderatur oppido, prætor vnus, adfessoresque complures. Oppidanis reliquis, insignis modestia atque comitas est; occupatio agrellis; terrenum exile; sed auctum & heic desertis, late circumfusis. Vineæ eis sunt, a meridie, loco paullulum erecto, sabuloso, viti tamen rubellæ, haud inimico. Nam, & facile conualefcit, & fructum fert vberem, gustuque gratum. Post *Agriense* illud, cui laus tribuitur præcipua, non est aliud potioni magis commodum, nec salubrius. Et, quod vbertim proficit, paruo venit, ideoque, longe lateque, per oras *Pestienfes*, *Hevesienfes*, *Szolnokienfes*que, & *Cumanos*, ac *Iazyges* deuehitur. Si annus fauit vindemiæ, mirum dictu, quanta id auiditate coemant accolæ. Cum in pretio est, raro, floreno venit carius. quam tamen vilitatem, copia colono rependit. Neque enim, quod fit alibi, vitis heic, nisi celo iniquiore, fraudat vinitorem. Par & vineis *Ketskemétienfesibus*, non genus vitium tantum; sed etiam soli est: fructus tamen differt, siue gustus gratiam spectes, siue perennitatem; at salubritate suppar ei existimatur. Etsi vero, tolerat vitem ager *Körösiensis*; frumento tamen non æque latatur. Plura pascuis, quam agriculturæ, meliora sunt: nonnulla plane arenis emortua, nudos tantum, & steriles tumulos, formant. Subest oppidum Comiti *Keglevits*, & nonnullis e nobilitate.

§. III.

Oppidum Czegléd.

Czeglédi
positio:
curia ra-
tio:
possessor:
prisca loci
celebritas.

Recedit *Köröso*, milliariibus itidem duobus in aquilonem, estque situ, lingua, religione, structuraque ædium pari, minori tamen, quamuis sat vasto, ambitu. Terrenum pingue, & commodum. Vinum fortitudine præfertur *Körösiensi*, salubritate tamen eo est inferius; alioquin rubellum & hoc, gustusque grati. Ipsum oppidum, transmittit viam regiam, qua *Pesto*, *Szolnokum* itur, paratque *Virginibus D. Clara Budensibus*. Nundinis etiam gaudet, diebus *D. Demetrii*, & *Friderici*, sed minori, quam de quibus diximus, copia. Ad loci celebritatem referendum est, quod prima, Siculorum *Transiluanicæ*, post pugnam *Sicambriam*, sedes fuerit. Sic habet *OLÁHVS (c.)*: *Post pugnam, in agro Sicambrico, commissam, præter*

a.) In *ATTILA*, Cap. XVIII. initio, p. 889.

*exercitum Chabæ, qui in Graciam erat profectus, tria millia Hunnorum eadem elapsa, in campo Czegléd, ubi nunc oppidum est eius nominis, confedere. Hi, metuentes Detrici, & aliorum Germanorum potentiam, in eam Dacia partem, que nostra hac tempestate, Transilvania, siue septem castra, (a septem ducibus Hunnicis, qui in secundo ingressu Hunnorum in Pannoniam, castra sua eo loci fixerant) denominantur, celeri itinere adpulere. qui, ut facilius persuaderent, se non esse Hunnorum reliquias, mutato nomine Hunnico, se Siculos denominarunt. Fallor! an est quidpiam e Siculorum, nomine, in *Czekkedi* denominatione residuum. Hungaricæ enim *Siculum* dicimus *Székél*; vnde *Székled*, & hodierna pronuntiatione, *Csekléd*. *THÜRÓCZIVS (d.) Czeglé-Mező* hoc est: *campum Czeglé*, vocat, quod iam non moramur.*

SECTIO II.

De Vicis Processus Ketskemétensis.

Pauciores hic vicos designabimus, quam pro laxitate regionis: quippe quæ, perpetuis fere solitudinibus, horrescit adhuc; *Iazygum* passim, & *Cumanorum* interstitis coloniis. Obibimus singulos, quoque sint habitu, explicabimus.

1.) *Tóth-Almás*, est loco plano, atque campestri, inter vicos *Sámbokum*, *Félszarn*, & *Sz. Lórintz-Káta*. Adinet, ad *Gabrielem Pronay*, cuius prætorium, & villæ, cum rusticæ, tum frumentariæ, solido opere exædificatæ, intectæque imbrice, decus vico præcipuum conciliant. Siluæ vico nullæ, agri commodi, feracesque tritici, præta exilia, molæ duæ, altera in riulo, seu stagno, altera, in pago, iumentaria. Quæ deficiunt, vicinum prædium supplet. *Bódog-Káta*,

2.) *Kóka* vicus copiosus, ditioris præcipue *Karoliana*, vicinus priori, intra meridiem & occidentem, situ pariter campellri, & fertili, ædificiis copiosis, terreno, vini atque frumenti, ferace.

3.) *Sz. Lórintz-Káta*, reuicetur a priori, intra orientem, & septentrionem, versus *Zagyvam*, infra *Galga* ostium. Colonia *Hungarica* est, terreno mediocri, sine filuis, solius frumenti patiente, ditioris *Sóteriana*, & *Péterfiana*.

4.) *Sz. Márton-Káta*, in meridiem, ad milliariis spatium, illinc retrusus; solitudine, *Tamás-Káta*, intermissa. Colunt vicum *Hungari*, solertes aratores. Situs loci paullulum eleuator est, milliari, *Iászberino*, in occasum, seiunctus; planus tamen, & tritici, viti que rubelli, ferax. *Keglevitsorum*, parte quadam, post *Kataios*,

II 3

hæc-

a.) *Chronico Hung.* Part. I. Cap. XXIV. p. 28.

hæredium. Ceteroquin, *Gabrielis Prónay*, & *Stephani Batta*, iuribus obnoxius. Vineæ a meridie adiacent.

5.) *Nagy-Káta*, ob vastitatem sic dictus. Obiacet priori, ad iactum tormenti, eodem camporum tractu, versus solem orientem. Par & hic frumenti vbertas. Paruit olim *Kátaiis*, a quorum ultimo *Francisco Kátai*, ad *Nicolaum Keglevits*, anno MDCLXIII. pertigit. Adiacet huic in meridiem, prædium *Farmos*, *Iohannis Ieszenák*, hæredium, vasta sane solitudo, segetibus, & pascuis utilis: quippe, minuto & denso gramine, aquisque lacustribus, irrigua; haud exigua tamen parte fabulosum, & sterile ei solum est.

6.) *Lános-Hidja*, scribitur vulgo *Lános-Hida*, a ponte fortassis, quo heic iungebatur *Zagyva*. Est enim, in ripa eius dextra, milliari Hungarico, ultra *Nagy-Kátam*, versus orientem, sepositus, loco plano, frumentique prædiute. Possidetur a PP. *Præmonstratensibus*, qui vicum, *Præposituram de Ponte Iohannis*, vocant. Hodie, nihil eius, præter nomen superest: coepit tamen magna industria, a *Prælate* eius ordinis, instaurari. Frequentatur votorum causa, ab accolis, die *D. Iohannis Baptiste*, festo.

7.) *Szele*, vno milliari trans *Tapionem*, in orientem remotius, vicus exilis, inter tumulos, ad paludem, tenuibus ædiculis, instructus; solo tamen pingui, & fertili: possessoribus prognatis ex familia *Dubroviczky*, ex qua descenderunt: *Batikii*, *Rádaii*, *Motsárii*, reliqui.

8.) *Rékás*, distat a priori, milliari vno in meridiem, in eadem fluvii ripa. Vicus mediocris, ditionis *Vácziensis*, cum templo, atque *Plebano* sacerdote. Ager planus, fertilis; sed crebris *Zagyva* diluviis, obnoxius.

9.) *Abany*, vno milliari a priori in meridiem, prope *Szólnokum*, in late patente campo, possessionis *Baloghiana*.

10.) *Tószegh*, eiusdem familiae hæredium, tantumdem remotum ab *Abanyo*, in angulo paludis, & lacunarum, quas ibidem *Tibiscus* format; quare, ab his etiam nomen accepit. Insidetur ædibus sparsis, vico oblongo, sed non adeo frequenti. Imperant ei, *Iohannes*, & *Stephanus Balogh*.

11.) *Kétske*, recedit a *Tószegh*, milliariibus tribus in meridiem, estque in eadem *Tibisci* ripa, contra vicos, *Nagy-Rév*, & *Kürth*, multisque ab eodem flumine afflictatur diluviis; tamen sit alias, solo pingui, & ad vnam terræ conuersionem, feraci. Paret iisdem *Baloghiis*.

12.) *Alpár*, vicus ditionis *Vácziensis*, cuius iam anno MLXXV. in litteris *Abbatie D. Benedicti de Gron*, *GEYSA* meminit, & ad ditionem antistitis *Vácziensis* refert. Distat milliari exiguo *Kétska*, eodem fluminis margine; remotius tamen paullulum ab alveo, sub erecta quapiam ripa, prope lacunas, ex *Tibisco* restagnantes. Ibidem flumen traicitur, cura vici *Sassiensis*, qui trans *Tibiscam*, contra *Alpár* est. Solum huius, egregie esset ferax, nisi diluviis vitaretur. Sedet in collimitio, *Pestiensis*, & *Csongradiensis* Comitatus.

13.)

13.) *Isák*, duobus, plus minus, sub *Ketskeméto*, milliariibus, patente campo, recedit, a *Cumanis Minoribus*, circumfusus. Vici positio erecta, & passim siluefcens; sed arboribus raris admodum. Solum enim fabulosum est, quod, dum sole incenditur, non gramen tantum, sed arbores quoque exurit. Incolæ loci sunt *Hungari*, qui præter alios, parent genti *Tassane*.

14.) *Irsa*, natale solum familiae eius nominis, in via regia *Pestiensi*, qua *Szólnokum* itur. Distat *Pestino*, milliariibus plus minus quatuor, in orientem, totidemque *Ketskemétino*, in occidentem æstiuum. Sedet in late patente campo, solo fabuloso, lacunosoque, neque tamen sterili. Inhabatur ab *Hungaris*.

15.) *Alberti*, vicinus priori, retractus tamen a via, in meridiem, loco erectiore, plano, & fabuloso, atque vterunque vberere. Fert vitem & frumentum, sic satis benigne, si industrie colatur; magis tamen proficit pabulo. Coloniam heic, post longam vacationem, posuit, *Lib. Baro Martinus Szelezky*, ex *Slavis* collectam. Qui, uti strenui sunt agricolæ, tantis, breui, incrementis conualuerunt, ut iam iis vicis possint adnumerari, qui rerum suarum egregie, & cum fructu, satagunt. Instruxit herus, & *Zythopæiam*, villam item rusticam, & fructuariam, eximiorum reddituum. Iam & opifices rusticis intersunt, si potissimum, qui subigendo corio operantur. Pietatem heri testatur, institutum, vix alibi, per vicos obuium. Alit nimirum, duodecim senes depontanos, sua impensa, eaque lege, ut, cum operari nequeant, statis diei noctisque horis, precibus vacent.

16.) *Pilis*, eadem vicinitate, solo, & incolis, atque horum industria, suppar. Possidetur a *Beleznaiis*.

17.) *Sz. Márton*, altius in aquilonem recedit, sedetque in *Tapionis* ripa; vicus mediocris, idemque tenuium opportunitatum.

18.) *Bütske*, in eadem fluminis ripa, habitus haud melioris, possessoribus diuersis.

19.) *Ságh*, adsedit priori in occidentem, solo hiulco, & dumoso, penes *Tapionem*: ditionis, iure nuptiarum, *C. Antonii Eszterházy*.

20.) *Szetsó*, supra *Sághum*, in eadem ripa *Tapionis*, rure, vini & frumenti patiente. Adtinet ad Comitum *Stephanum Eszterházy*.

21.) *Pand*, recedit a *Szetsó* in meridiem, loco paullum editiore, & collino, inter dumeta: itaque, solum heic iam est hiulcum, fabulosum tamen pariter, & duri cultus. Habitat ab *Hungaris*.

22.) *Oltsa*, seu *Olcha*, vicinus illi ab occidente, colonia pari, solo tamen solidiore; ditionis eiusdem *Lib. Bar. Lafert*. Ostendit templum, structurae olim magnificæ & sumtuosæ. Mero enim saxo quadrato instructum erat. Fama est, id a regulo *Serbiæ*, *Georgio*, temporibus regis *SIGISMUNDI*, qui *Seruios* induxerat, excitatum, præ-

præstantia operis, pauca habuisse sui similia. Desolatum bellis Turcicis, diu in ruinis iacuit, donec vico, a *Slavis* infello, inciperet frequentari. Solo tamen *Sanctuario*, obtectum est, reliqua parte solitudinem referente.

23.) *Sári*, vno milliari infra *Oltfám*, in orientem æstiuum, late patenti, sed vliginosa planitie, positus, vnde & nomen accepit, quia lacunis inhæret. Vicus alioqui haud contemnendæ fertilitatis. Colitur a *Slavis*, ditionis *Lafertiana*.

24.) *Németi*, vno milliari *Sáro*, versus *Pestum*, remotior, loco pariter campellri, & aperto, recto tramite, inter *Latsbázam*, & *Péczelyum*, depresso tamen paullulum positione, colonis *Hungaris*, est in *Vácziensis* episcopi ditione.

25.) *Haraszti*, recedit a *Németi*, milliari vno in occidentem, ad *Danubium*, cuius ramo, quo insulam *Csepeliam* ambit, sinistro, subluitur. Colitur a *Germanis*, frequenti & longa vici positione, in erecta fluminis ripa. Dissidet *Pesto*, milliariibus duobus, estque in ditione *Lafertiana*. *MARSIGLIUS (e.)* Transaquincum isthic collocat, aggeris cuiusdam indicio adductus: *Pars castrametationis*, inquit, *vt credibile est, Romana, prope pagum Aralli, ad rami orientalis Danubii ripam ulteriorem, reperitur; utpote qua, si tertium quoque latus, a tempore, aut alio quopiam casu destructum, ad flumen usque continuatum intelligatur, vallum quadratum, areæque capacissima, efficit.* Id coniecturæ fidem conciliat, quod aduersa quoque ripa notavit vestigium aggeris. Ad rami occidentalis ripam citeriorem, adeoque, e regione *Aralli*, cavitates in terra multe, siue foramina reperiuntur, vallo, vt ex vestigiis adhuc adparet, circum munita. *Lapidinam hic olim habuisse Romanos, haud difficile mihi persuaserim.* Addit sub asterisco: *Transaquincum dictum antiquitus, eo quod trans flumen oppositum sit illi Aquinco.* Nos, vtrumque, ad *Budam* & *Pestum*, quæsiuimus.

26.) *Taksony*, paullo inferius, in eadem fluminis ripa, sed edita ibidem magis, solo, frumenti feracissimo. Vitem etiam tolerat, si deponatur. Incolunt eum, *Sueui, Francones, Austrii*, alique *Germani*. Est iuris *Monialium Budensium*. Nomen, credo, accepit a duce *Toxi*, quem isthic habitasse suspicor. *Taksony* enim, contractum videtur esse, e *Taks-Honnya*, quod domicilium *Taxis*, significat.

27.) *Pereg*, in diplomatibus, *Virágos-Berek*, id est lucus *flouidus*, dicitur. Insidet enim eidem ripæ, depresso tamen paullulum, & hinc illinc arbustis, & pratis amcenæ, duobus fere milliariibus infra *Taksonum*, contra *Kövinum* oppidum. Coloniam habet *Slanicam*, solum piugue resolutum, & fertile, ditionis nuper *Grasalkovitsiane*; iam *Vattajana*, iure permutationis. Quod demisso loco est, crebris fluminis excessibus, inundatur. *Ista de Processu Ketskémétensi*, habuimus dicere. Iam porro pergamus.

MEM-

MEMBRUM III.

DE

Processu Pilisiensi.

PROOEMIUM.



Processus Pilisensis, parte Danubii dextra, montosa hic, & aspera, plana alibi regione, diffunditur. Montium formam, & indolem, dedimus supra. Quidquid a *Vissegrádo*, ad *Tétényum*, & *Kutyavaram* procurrat, longitudine, miliarium, plus minus, quinque; latitudine trium, montibus horrescit. Ideoque regio hæc, neque celo læta est, neque solo; nisi qua est valliculis apertior, fluminique propior; infœcunda adhæc & frigida, atque eorum, quæ feruntur, maligne admodum patiens. Quocirca, filigo hæc, hordeum, & steriles aucnæ, dominantur; quamvis, neque hæc satis conualescant. Melius vitis proficit: quippe quæ, partem montium orientalem, & apriam eam, undique vestit, vini que copiam fundit, haud ignobilem. Fœniscia, non nisi per glabra iuga fiunt. Neque lignandi libertas agræstibus est, nisi herorum indulgentia. Mirabamur, nusquam nos vidisse tenuiores colonias. *Hungari*, qui sunt, quod montibus inidonei, vix tantum, ex agri studio indipiscuntur, quantum satis est, vitæ, cum difficultate sustentandæ. Sed & *Germani*, locorum asperitati, plus sæpe impendunt operæ, quam fructus recipiunt. Neque *Slavis*, genti laboriosissimæ, ager suus, operarum difficultatem, remuneratur ex æquo. Benignius paullo, extra montes solum est: tametsi & hoc, sterilibus passim arenis, sabuloneque impeditum difficulter excolatur. Huc insulam *Csepel*, atque


que promontorium *EVGENIANVM*, referimus, vtraque, peculiari *Sectione*, infra daturi.

SECTIO I.

DE

BVDA

Libera Regiaque Vrbe & Metropoli Hungariae.



BVDAM descripturis, danda est opera, vt *Veterem* illam, a *Noua*, sollicita cura, discernamus. quod neglexerunt hucusque, prisci non minus, quam recentes scriptores. Nos, ad eum modum partiemur commentaria, vt, primo quidem, *BVDAM Veterem*, ab vltimis retro originibus, vsque ad nostram ætatem; deinde *BVDAM Nouam*, pro temporum habitu, & varietate conuersionum, quas subiit, describamus. Habebimus vero: *Periodum Budæ Nouæ: Hungaricam; Barbaricam; ac denique Austriacam.* quibus capitibus, omne id, quod est dignum memoratu, expromi posse, confidimus.

CAPVT PRIMVM.

DE

Vetere Buda.

SYNOPSIS.

BVDA Vetus, olim Romanorum habuit coloniam: an fuerit Aquincum: designationis difficultas, Cellarii iudicio: Lazii coniectatio: excutitur: Marfiglii ruderibus, an sint Aquincum: auctoris sententia. §. I.

Aquinci fata dubia: Sicambria, quando heic posita sit: sit Hunnorum regia: quomodo ei nomen Budæ inditum? Bonfinii sententia: refellitur: an a Buda, Attila fratre: subdubitat auctor: Wernherus vocem esse vult Germanicam: rei verisimilitudo: ex Slauiça adpellatione Budin adfirmata. §. II.

Vocabulum germanicum, unde ortum: Olahi opinio: id a furnis calcis deducentis: aliorum sententia: reuicitur ab auctore. §. III.

quo-

Budæ fata, post mortem Attilæ: fraterno bello: detrita est penitus: iacuit in ruderibus, ob iniurias grassantium populorum. §. IV.

Budæ nomen obliteratum: an cum vrbe recoluerint Auares: auctoris coniectura: ignoratur ab eius ætatis scriptoribus, Budæ vocabulum: neque nominatum Eginhardo: habent id Annales Hungarici, in belli Auarici historia: Budam, Carolus M. obsidet: expugnatam diripit: prede magnitudo. §. V.

Cuspiniani, de eodem bello narratio: auctoris animaduersio: Auentini, in eius sententiam, locus: Auarum regia deleta. §. VI.

Quanta hec vrbis clades fuerit? Caroli M. in victos pietas: Albæ Maris sacellum condit: manubias de Auaribus partas: quomodo collocaris? §. VII.

Auarum, post eam victoriam Caroli, ingenium: sedes Chagani senioris: item inuicioris. §. VIII.

Cessat Auarum regia, vsque ad Hungarorum aduentum: nuge annalium Hungarorum: Luitprandi narratio: regia Hungarorum ubi? mons Noæ. §. IX.

Quis e ducibus Hungaria, Budæ sedem primus posuerit? S. Stephani, erga oppidum propensio: prima eius Budæ sedes: adem sacram haud perficit: non semper resedit Budæ. §. X.

Anne Aba heic habuerit regiam: incerta tunc regum sedes: fuit tamen in pretio apud reges Buda: Bela IV. in primis adamauerat vrbem: Dominicanorum ordo, a quo Budam inductus: Albæ Maris sacellum, a quibus infessum. §. XI.

Budæ situs & antiquitas, Inchoferi verbis describuntur: Marfiglii Sicambriæ descriptio: ignorato eius nomine. §. XII.

Auctoris, de Sicambriæ ruderibus, commentatio. §. XIII.

Inscriptiones, a Lazio hic obseruata: tumba Romane: eorum epitaphia: statua Istdis. §. XIV.

Hodiernus oppidi habitus: desolatur a Tartaris & Turcis:

X 2

a no-

a nostris item saepius: sit,
indulgente Leopoldo M. gen-

tis Zichiorum heredum:
incola qui? §. XV.



Buda ve-
tus, olim
Romanor-
um habitatio
coloniarum:

§. I.

Nte, quam Pannoniis potirentur
Hunni, & horum successores, Abares, atque
Hungari, Romanorum heic stetit coloniam,
multi coniectant: neque id sine ratione ido-
nea, quando ita suadet opinari, & situs mi-
ra opportunitas, & barbarici soli, obiectus,
noxius futurus Romanis, nisi pramunitam ca-
stellis habuissent, vtramque Danubii ripam.
Aquincum, seu Acincum (a.) Græce *Ακινκυν*, es-

se volunt plerique, qui in hoc studii genere, elaborauerunt quidpiam.
Et meminere sane Aquinci, Ptolemæus, Antoninus, & libri notitiarum,
dignitarumque. Sed vbi id collocandum? hoc vero opus, hic labor
est. Dissidit, etiam solertissimo cuique vestigatori, CHRISTOPHORVS
CELLARIVS (b.); Fallunt, inquit, numeri diuersorum itinerum, quod
per ripam, in Galliam fert. C, quod Acinco est Saluam; nec Tabu-
læ loca, Aquincum, vtrinque excipientia satis nota sunt, ut ita certa
sedes non possit definiri. LAZIVS, vti est audax extra modum conic-
etator, in Csepel insula, sedem ei tribuit, hoc est, infra Budam, vno
alteroue milliari. Induxit eum in hanc opinionem, AMMIANI MARCEL-
LINI, locus, de Acinco, prorsus insignis, quem, quod aliam etiam
ob causam, nostrum facere volumus, iam recitabimus. Ita vero il-
le, (c.) in rebus VALENTINIANI: Premisso Microbaude, cum militari pe-
ditum manu, quam regebat, ad vastandos cremandosque barbaricos pa-
gos, comite adiuncto Sebastiano, VALENTINIANVS, (Carnunto) ACINCVM
propere castra commouit; nauigiisque, ad repentinum casum conuenctis,
C contabulato, celeri studio, ponte, per partem aliam, transit in Quados.
Et post recitatam Quadorum cladem: rediit, inquit, cum incolombus
cunctis, quos duxerat secum; itidemque apud Acincum moratus, auctu-
mno precipiti, per tractus, conglaciari frigoribus adsuetos, commoda quere-
bat hiberna. Audiamus iam, quid hinc exculpat LAZIVS: Ex quibus
adparet, ait ille (d.), profectum contabulato ponte, ex Aquinco, ut in-
sularem urbem fuisse adpareat. Itane vero, insulanam urbem semper
esse oportet, si obiectus amnis, traiciendus est? Poterat extra insu-
lam, in Danubii ripa, Acincum, vbi diuerterat VALENTINIANVS, sedis-
se.

a.) Ita scribunt, Antonius, Notitiarum au-
tor, & Ammianus.

b.) Notitia Orbis Antiqui Lib. II. Cap. VIII.
de Pannonia Interiori, p. 559.

c.) Lib. XXX. Cap. V. non, vti erronee est,
apud CELLARIVM l. cit. Cap. XX. ne-

que enim vltra X. capita liber com-
plectitur amplius. p. 462. editionis
IACOBI GRONOVII, Lugd. Batav.
1693. fol.

d.) Reipuhl. Romanæ, Lib. XII. Sect. II.
Cap. X. p. 1120.

se. Fateor interim, multum coniectationi huic *Laziano* velificari,
MARSIGLIUM eum locum, quem ad *Haraszi*, opimi vici, mentionem,
paullo ante exhibuimus; hic quidem *Trans-Aquincum*, aduerso autem
Danubii margine, rudus quoddam aliud, designantis. Equidem haud
crediderim, importuno adeo loco, impeditoque ad traiciendum, qua-
lis est *Csepelia* insulæ situs, Romanos, praesidia limitanea, collocauis-
se: amabant illi ripas insidere, quæ & apertæ ex se erant, & traiectui
commodæ, vt hostem, eo validius arcerent transitu. Neque video,
cur tenuia, qualiumcunque aggerum, vestigia, malit in *Aquinci* & *Trans-*
Aquinci suspicionem vocare *Marsiglius*, cum ea gloria, cultis hodieque
locis, tutius queat adtribui, & sine iactura Romanæ magnitudinis.
Aquinco certe, legionem secundam adiutricem, auxilia præterea *vigilum*,
cum legionis præfecto, codex præfecturarum Romanarum, adscribit.
Ergo, superest, vt arbitremur, Romanorum ætate, *Aquinci* nomine,
veterem *Budam*, fuisse cultam. Neque mea hæc solius exilimatio
est; vetus doctorum fuit opinio; vti apud ORTELIVM, & CELLARIVM,
viros, geographiæ veteris consultissimos, videre est. *Budam*, inquit
ille (e.) quam *Offen* dicunt, esse dicit SIMLERVS. Atque CELLARIVS:
Sunt, qui *Budam*, siue *Offen*, Acincum interpretentur; trans flumen,
quod oppositum est Pestum, *Transacincum*. Sed hæc nemini obtrudimus,
prompti atque alacres accepturi, docentes certiora.

Marsiglii
rudera, an
sint Aquin-
cum?

authoris
sententia.

§. II.

Quemadmodum vero, difficile est, vetus vrbs nomen indaga-
re; ita, nihilo expeditiora sunt, quæ iam venient examinan-
da. Excepere Romanos in Pannonia, gentes, vti varix, ita
feroces. Quæ vero tunc Aquinci, si nomen placet, siue *Bude*, quem-
admodum vocamus hodie, facies? quæ fata? Incessam fuisse colo-
niam, si non deletam, a barbaris, oportet; sed, in tanta immigran-
tium diuersitate, ab his, an illis, iuxta cum ignarissimis, nouimus.
Qui post deletum Aquincum, *Sicambriam*, heic loci positam cre-
dunt; dicunt ii quidem aliquid; sed nequeunt tamen, tantæ con-
uersionis ætatem, designare. Nos, in ea sumus opinione, tunc id
accidisse, cum gentes barbaræ, aduersa amnis regione, rerum potie-
bantur, insultabantque Pannoniis: saltem, post *Valentiniani* fata. cu-
ius extrema ætate, stetit Aquincum, nunc dictum a nobis est. Ni-
li velis opinari, Aquincum, inferius, vbi nunc *Buda Noua* est; supe-
rius, vbi *Vetus*, *Sicambriam* sedisse. Post *Gothos*, in Pannonia de-
bellatos, *Lazyges* autem, *Quados*, & *Marcomannos*, in fidem, quin
& societatem acceptos, vtraque Danubii ripa, late dominabantur *Hun-*
ni. Tunc, & *Aquincum*, si quod supererat; siue *Sicambriam*, occu-
patam a rerum dominis fuisse, inficiabitur nemo. *Sicambria* certe,
vti iii confesso est, apud rerum Hungaricarum scriptores, regia
Hun-

Aquinci
fata dubia:

Sicambria,
quando
heic posita
sit?

sint Hunno-
rum regia?

X 3

e.) In Thesuro Geographico, ad vocem *Aquincum*.

quomodo
ei nomen
Buda in-
ditum?

Bonfinii
sententia:

refertur:

an a Buda
Attila fra-
tre?

subdubi-
tat auctor:

Wernhe-
rus, vocem
esse vult
Germani-
cam:

Hunorum fuit. Sed, quomodo quæso, vetera ea nomina oblitera-
ta, atque nouum istud *Buda* inuectum? Nescio, an fidem merea-
tur BONFINIUS (f.): Hic, inquit, *BVDA noua, & BVDA vetus, utra-
que Danubii lambitur undis: a Budinis, vetustissimis Scytharum po-
pulis, qui cum ATTILA, Hunorum rege, in Pannonias, descenderunt,
adpellata. Quæ de situ vrbs vtriusque scribit, recte se habent: am-
biguo, an etiam, quæ de Budinis, qui nomen vrbi communicarint.
Sciunt omnino docti, fuisse Budinos Scythiæ populos. De his, ne
PLINIUM (g.) & MELAM (h.) fatigemus, HERODOTVS (i.) cum eos secer-
nit a Gelonis: *Budini, inquit, utpote indigenæ, tum pastores sunt, tum
soli eius regionis, pediculos edunt.* Et paullo ante: *Budini, ingens
natio, ac numerosa, vehementer castis oculis, ac rufa.* At, quis eos
quæso, in exercitu ATTILAE censuit? quis docuit, si maxime castra
sunt sequuti, vrbes ponere, & ex se denominare, *Nomadum* ritu vi-
uentes? Ergo, aliunde hoc, quidquid est nominis, arcessendum. quod
ne BONFINIUS quidem facere dubitauit; sed profecto, sui oblitus. Ni-
mirum, annales Hungaricos sequutus, *Budam* ait, *Attila fratrem,
Sicambriam, quam absente, per cetera bella, rege, instaurabat, ex suo
nomine, sic adpellauisse, eaque re, cædem sibi accelerauisse. Budam,
inquit (k.), fratrem, cui gubernationem Scythiæ, edificandamque vr-
bem, in Danubii ripa, Sicambriæque ruinis, Budam deinde dictam, de-
legarat, dolo captum, interfecit.* Et post pauca. *Quum ex Gallia
Attila, Sicambriam rediisset, fratremque inuenisset, Sicambriam, quam
nuro cinxerat, non Attilæ, sed suo nomine, contra mandata, Budam
nominasse, eum, dolo captum, propria manu, præ nimia ira, obtrunca-
uisse, Vngarorum annales, prodiderunt.* Hæc ille, ex THÉRÓCZIO (l.)
hausit, & in manus (m.) exaggerauit. Detraherem, narratiunculæ
fidem, nisi peruulgatior esset, quam vt possit vocari in dubium.
Equidem, quid cum vrbs, seu conditore, seu nomine, agamus,
vix reperio: vt laudem omnino LADISLAVM THÉRÓCZIVM, nuperum
scriptorem, qui hanc controuersiam, suam facere noluit. Quippe,
molestus est labor, nominum reddere etymon, quæ sepe, aut casus
inuenit, aut, sine vlla ratione, vulgus imposuit. GEORGIUS WERN-
HERVS (n.) ad Germanos refert, vocis originem, tametsi, ob anna-
lium fidem, timidius: nisi, inquit, auctoritate Chronicorum nostrorum,
magno consensu urbem Budam, a rege Buda, Attilæ fratre conditam, &
nominatam esse tradentium, impediret, ego, si qua alia coniectura, de
eius nominis ratione faciunda esset, ob insignem calidarum, eo loco, ce-
lebri-*

f.) Decade 1. Lib. I. p. 24.

g.) Lib. IV. Cap. XII.

h.) Lib. 4. Cap. XIX. s. 135. p. 109. edi-
tionis *Abrah. Gronouii* Lugd. Bat. A.
MDCCXXII. for. OCT.

i.) Lib. IV. Cap. CVIII. & CIX. p. 256.
editionis *Isac. Gronouii* Lugduni Batav.
A. MDCCXXV. fol.

k.) Decade 1. Lib. III. p. 53. 3.

l.) *Chronici Hungarorum*, Parte 1. Cap.
XIV. p. 16.

m.) *Legè inibi, fictam ex ingenio, adtri-
butamque ATTILAE, orationem.*

n.) *De Admirandis Hungariae Aquæ*, p. 597.
20. in collectione *Script. Hung.*

lobritatem, & copiam, pro eo, quod Germanis quondam fuerit BADA,
vnius litteræ inuersione, BV DAM ab Hungaris dictam esse suspicarer. Nam
ea, secundorum Pannoniorum loca, antequam huc Hunni immigrarent,
Germanos, seu Teutones tenuisse, minime ambiguum est. Nec ita mul-
tum dissimili mutatione, vocarunt Hungari *Wesprimium*, quod Germanis
fuit *Weissprun*, hoc est, fons albus, qui loco nomen dedit, & etiam-
num ibi sub arce, quæ sedes est episcopi, ostenditur. Pedibus, in WERN-
HERI hanc sententiam irem, nisi me, eadem verecundia retentaret: cum
palam sit, loca thermis scatentia, *Bad*, & forte prisca dialecto, *Bud*,
atque hodie a vulgo, *Bod*, dici: unde, vrbbus & vicis, enata sunt
nomina. Ex eodem hoc fonte, manasse reor, *Slauicum* quoque vr-
bis nomen. *Budin* illis vocatur, a *Wuda*, vel quemadmodum pro-
nunciant hodie, *Woda*, id est, aqua, unde *Wudin*, & Germanorum imi-
tatione, conuerso elemento, *Budin*. Confirmari posse credo etymum,
Slauorum consuetudine, qui oppida, aquis adflata, eo nomine sole-
bant vocitare. *Widin* Seruæ, pro nostra hac coniectura militare cre-
dimus. Nisi sit, qui nobis *Widinos* populos, *Budinorum*, vt existimant
docti, (o.) propagines, obiecerint iterum, iisque *Widini* non mi-
nus, quam *Budini*, denominationem, adtribuunt. Sed, iisdem se
induct difficultatibus, quas supra memorauimus. Adde, si maxime
ATTILAE militassent *Budini*, seu *Widini*, non tamen est vero simile,
tantum eos valuisse, vt excitare vrbes, & ex se potuissent denomina-
re. GALEOTVS MARTIVS (p.), ne id quoque sileamus, aliam prorsus at-
que insolentem, deriuandi nominis, viam inuit. *BVDA*, inquit, *vrbs
in monte sita, qui Danubio alluitur, nomen unde traxerit, incertum
putatur; vel ab antiqua Budalia, vel ab illo viro diuino, qui Buda di-
ctus est, non quod ille condiderit; sed, quod illius viri nomen, ob ex-
cellentiam imposuerint. Fuit autem Buda, vt testatur Hieronymus,
princeps doctrina apud Sophistas India, quos, *Gymnobrachmonas* vocitant.
quem virgo quadam, vt ipsi tradunt, e latere suo genuerat: sed hæc geni-
tura, vera falsane sit, non in magno pono discrimine. Illud tamen cer-
tissimum est, Budam nomen esse viri sapientissimi, qui Indorum dogma
composuit. Hoc volui dixisse, quia Hungaria, nominum egregiorum ha-
bet plerumque similitudinem. Nam Syrmicum oppidum, cum Syrimo,
Triballorum rege, antiquissimo, imaginem denominationis retinet. Et ne
particulatim omnia prosequar: Strigonium (q.) alibi, quam in Hungaria
reperitur. Et Pestum: cum de Pesto carmen Virgilianum canat sic:*

Vidi Pestano gaudere rosaria cultu.

Nam hoc Italicum est; sed Hungaricum Pestum, in ripa Danubii situm,
ex

o.) Vide eruditorum virorum notas, ad
AMMIAN MARCELLINUM, Lib. XXXI. Cap.
II. p. III. 476. a. h. vbi pro *Budenis*,
malunt *Pidinos* legere.

p.) De egregie, sapienter, iocose, diuina ac

factis Regis MATTHIÆ, Cap. XXXI.
p. 387.

q.) Nitriam potius nominasset, quam si ad
nomen Spectes, in *Palæstina, Aegypto*
& apud Indos, reperias. Quid vero
inde ad Hungariæ hanc urbem;

vel veris-
similitudo:

ex Slauica
adpellatione
Budin ad-
firmata:

ex opposito Budam respicit. reliqua. Nolim ad Indos euagari, ut inde arcessam, nomen urbis. Credo enim, de Buda, sapiente illo viro, ne somniauisset quidem, Bude conditores. Nempe, extorsit Galeoto, hanc coniectationem, non tam verisimilitudo, quæ nulla est; quam assentandi, MATTHIÆ, & post hunc, IOHANNI NOTHO, indecens studium. Budalia (r.) vero, seu, uti mauult scribere ORTELIUS, Bubalia, vicus, vel oppidum, agri Sirmienfis, patria DECI Imperatoris (s.), nihil cum Buda nostra, in primis, si Bubaliam legas, a qua, Pannonia Bubalia nomen tulit, habet commune.

§. III.

Vocabulum Germanicum, unde oritur?

Oláhi episcopo: id a furnis calcariis, deducuntur?

aliorum sententia?

Iam expeditum me, ex his coniecturarum laqueis, putaram; cum Germanica urbis appellatio, reuellit aurem. Offen eam vocant, aut elemento simplici, Ofen. A furnis, seu fornacibus, calci exurendæ, factis, vocabulum repetunt, homines etiam doctissimi. Primus, quod sciam, eius denominationis, auctor, NICOLAUS OLÁHVS (t.) fuit. Buda, inquit, interfecto, iubet edito Attila, ut eam quisque arcem, ex Attilæ nomine adpellat, Budæ memoria abolita. Id tamen, ut varia sunt hominum ingenia, ad prohibitas res, magis tendentium, non fuit a plerisque obseruatum. Hungari eam arcem, & urbem etiam, in presentia, Budam, Teutones vero, nunc Ezelburg (u.) id est, arcem Attilæ, nunc a furnis calcis, quæ olim ex lapidibus illis coquebatur, Offen vocant. Qua ex re, satis constat, Alemannos, veluti iure belli, ab Hungaris quæsitos, ea quoque tempestate, Attilæ fuisse dicto audientiores. Libuit, integrum locum exhibere, ut notionis vtrius rationes constent. Ac relatum omnino accepimus, obseruare ciues, dum iaciendis adium fundamentis, aut cauandis cellis, altius terram refodiunt, fornacum istiusmodi vestigia. Hæc, denominationi, velificari quodammodo poterunt. Sunt, quibus peculiaris prorsus, de hoc nomine, opinio inedit. Dabimus eam, verbis LAURENTII STOCKERII (v.) medici Budensium, dum viueret, laudatissimi. De nominis, inquit, origine, nonnulla, inter chronographos, oritur disceptatio. quorum aliqui Germanicum etymon, id est, Offen, teste ORTELIO rediuiuo (x.) derivare volunt, a fornacibus calcis, quondam, hic loci frequentibus. Aliter sentit Salomon Schweiger, in itineralio, qui a rege Ova, tempore Henrici III. Hungariam regnante, hanc urbem OFEN, vel potius OVEN, dictam fuisse perhibet. Id si est, recentius multo nomen urbis fuerit, quam id vulgo credunt. Sed, nescio,

r.) Ad CELLARIUM Notitiam Orbis Antiqui, Lib. II. Cap. VIII. p. 561. seqq.

s.) BYRONIUS, Lib. IX. Cap. IV. p. 229. edit. CELLARIUM.

t.) In ATTILÆ, Cap. XII. p. 880. in Eusebii appendicibus.

u.) Hungaris Attila, sicut Ezele, unde Germanicum Ezel.

v.) THEMOCRAPIÆ BVDENSIS, Cap. VII. §. I. p. 44. Prodit liber, lectu dignissimus, Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXI. forma quadruparæ.

x.) Parte II. p. 124. b.

an constare sibi queat, hæc Schweigeri, vndecunque hausta, coniectatio: cum palam sit, non ea fuisse auctoritate Ovonem; seu Abam, (nam ita nostri vocant) siue apud Hungaros, siue apud Germanos, ut voluissent nomen eius, oppido exosum vtrisque, urbi, iam ante celeberrimæ, communicare. Sed hæc sufficiant, in re dubia, neque adtineat ad summam rei.

§. IV.

AD urbem ipsam veniamus. ATTLA satis functo, & digladiantibus pro dominatu, filiis, quomodo se Buda res habuerint, non est impeditum definire. Si annalium fidem sequamur, cum se mutuo bello Hunni deleuere, Budam quoque, si quæ exstabat, deletam fuisse, credamus oportet. Non est huius loci, dissidii (y.) causas, inter Chabam, & Aladarium, fratres, excutere; prælium commemorasse suffecerit, ut coniecturæ nostræ, fidem adstruamus. Duo regii iuuenes, inquit OLÁHVS (z.) dominandi libidine perciti, quisque imperium Hunnicum, pro se occupare studebat. Comparato igitur utrinque magno exercitu, in campum Sicambicum, castra posuerunt. ubi acie collata, tanta commissa est caedes, ut Danubii aqua, a Sicambria, ad Potentianam usque urbem, mixta sanguine, defluxisse tradatur. Duravit hæc pugna, ad quintum decimum diem. nec finis eius ante fuit, quam maior pars externorum militum, ab Hunnis trucidata fuerit. Aladarius in prælio cecidit. Victor primum Chaba, postremo, Detrici Veronensis arte victus. reliqua. Atrox, si rite se habet narratio, prælium, & quod vnum, prouectas, in immensum, res Hunnorum, penitus conuulsit. In Sicambria campis, commissum fuisse audimus, nulla Buda, ad tam memorabilem conuersionem, mentione; nisi Scambria nomen, quam Bude, nobiliter tunc fuerit habitum. Possis tamen ex facili colligere, non perstitisse intemertam, siue Budam voces, siue Sicambriam: quin immo, ab Hunnis partim, partim a Germanis, uti fere accidit urbibus, quæ sunt in campo Martio, expilatam, ignique exustam, in rudus abiisse. Hanc urbis fortunam, tunc fuisse opinamur. Quæ consequuta sunt tempora, mutuis populorum cladibus, variarumque gentium impressionibus, passim, tota Pannonia, fœdabantur. Nihil ergo felicior Buda, sepulta, suis ipsius rudibus, iacuit. Nam, Gothos quidem, infensum, vel vocabulo Hunnorum genus, de instauranda urbe, haud cogitauisse, prouum est creditum. Rugii autem, & Heruli, qui post annum CCCC. LXXIII. ex superiore Pannonia, in inferiorem hanc, procurerunt, non tam, ponendarum urbium cura tangebantur, quam arcendorum hostium. Neque sub Longobardis, qui Rugiis successerunt, res, tota hæc Danubii ripa, pacatores fuere.

TOM. III.

Y

§. V.

y.) Retulit eas THYRACIUS, Chron. Hung. P. I. Cap. XXIII. p. 27. seqq. Et ex eodem

FINIUS, Dec. 1. Lib. VII. p. 106. sine seqq. z.) In ATTILÆ, Cap. XVII.

reducitur ab auctore.

Budæ fata, post mortem Attilæ:

fratrum bello:

destrita est penitus:

idcirco in rudibus, ob iniurias grassantium populorum:

§. V.

Buda no-
men obli-
vatum:

as cum vr-
be recolne-
rius Au-
res:

auctoris
coniectura:

ignotatur,
ab eius a-
tis Scrip-
toribus, Buda
vocabu-
lum:

neque vo-
minatum
Eginhar-
do:

habent id
omnes
Hungarici
in belli
Avarici hi-
storia:

EXoleuerat, nomen *Buda*, forte & vestigium, dum *Auari*, Hunnicum genus, occuparunt denuo Pannonias. Reges hi, *CHAGANOS* (A.) adpellabant; non tam gentilitio, quam dignitatis nomine. Multa iis, cum oriente hinc, illinc cum occidente, contentio; sedes, media *Pannonia* fuit. Nitebantur mihi persuadere, gnari harum conuersionum homines, regiam eorum *Budam* fuisse: verum, timidius adhibui fidem, quando apud auctores, qui *Auarum* res, in litteras retulerunt, nusquam *Buda* nomen reperio. Id certum est, necesse habuisse, eo loco, cum praesidiis insidere, qui, & tutus esset domi, & opportunus, siue ad propulsandos, siue ad inuadendos, hos, illosue hostes; obseruandum praeterea *Danubium*, ne hinc quoque, trepidi quidpiam immineret; maxime, quod hi, quos *Istro* praeficiebant *Romani*, non desinebant negotium facessere, *Slauis*, sociis primum, postea tributariis *Auarum*. Cui instituto, fatcamur oportet, locum *Buda* opportuniorem, deligi haud potuisse; quod, & montibus hinc ambiretur, succingeretur illinc amne valido; & procursum, in *Moesiam*, *Illyricum*, & *Noricum* haberet, paribus fere interuallis, definitum. Suspicio tamen, ignoratum, ea tempestate fuisse, *Buda* vocabulum: quippe, cum *Hunnis* prioribus obliteratum penitus. Haec, si certa essent, & extra dubitationis aleam posita, multo nunc *Buda* celebritas, quam *Attile* temporibus, fieret illustrior; non tam rerum gestarum magnitudine, quam diuturnitate. Namque, ab anno DLXIV. usque ad bellum, a *CAROLO* M. sibi illatum, abiire anni ducenti, triginta. *AVENTINVS* (b.) latrones orbis, tercentorum annorum, adpellat *Auares*, exaggerato, uti adparet, annorum numero. Legas, in eius belli historia, apud *EGINHARDVM* (c.) regie mentionem, sed sine nomine. *Quot*, inquit, *praelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur, vacua omni habitatore, Pannonia, & locus, in quo regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo, humana habitationis, adpareat. Tota, in hoc bello, Hunnorum nobilitas perit, tota gloria cecidit, omnis pecunia, & congesti, longo tempore thesauri, direpti sunt.* Non possis dolere satis, quod non expresserit historicus, regie vocabulum; sed nec *AVENTINVS*, qui fere exscripsit *Eginhardum*. *Auda-* *tex* *BONEINVS* (d.) *Sicambriam*, siue *Budam* veterem nominat, & ex inge-

a.) *CHAGANORVM* nomen, quid significet, & e quo manat fonte, *FRANCISCVS FORIS OTROKOCSEI*, Originum Hungaricarum Parte I. Cap. v. §. xvii. p. 169. quo Capite, *Auarum* res, elegant accuratque compendio, exequitus est, egregie docuit.

b.) *Annalium Boior*. Lib. iv. p. 249. seqq. ubi eius belli historiam describit. Edit. *Basilien.* A. MDLXXX.

c.) In vita *CAROLI* M. Scriptor. *Historiae Francicae*. Tom. II. p. 98. editionis *Paris.* MDCXXXVI.

d.) *Decade I. Lib. ix. p. 141, 29.* & ex *BONEINVS* alii, *INCHEPERVS*, *Annal. Ecclesiast.* ad annum MDCCLII. p. 12. seqq. *IOHANNES LVDOLVVS SCHÖNLEBEN*, *Annalium Carnioliae* Parte III. ad eundem annum p. 397. B. certe in eiusdem aetatis scriptoribus ne ulla quidem de *Buda* legas.

ingenio suo, obsessam, captamque urbem, prolixè commemorat. Id, in tota ea narratione perplacet, quod coniecturae nostrae robur addit: Ita vero, posteaquam geminam *Auarum*, (quos praemature *Hungaros* adpellat) eadem recitasset: *motis*, inquit, *castris, ad Budam Veterem, quam Sicambriam prius adpellabant, peruentum est, ubi Chaba* (rectius *Caganus*, vel *Chaganus*) *rex Hungarorum residebat. qui, quum per legatos bellum grauissimum gereret, nimia opum exuberantia prapollens, quas ex multis rapinis, ac hostium exuuiis plane congefferat, reformidatis Gal-
lorum viribus, & CAROLI fortuna, cum sapientia sane coniuncta, in munitissima vrbe se tueri posse sperauit. Sed, longe aliter, atque sperarat, res ipsa obtigit.* Describit postea obsidionem, acrem oppido, sed coniunctam, cum mirifica *CAROLI* benignitate, in primis, vrbe iam capta. *Oppidani, (Auaribus dedititiis deprecantibus) desperata publica propugnatione, arma deponunt, & vita se, cum vxoribus & liberis donari, supplicat. Commiseratio mox, victorem incescit, & quamuis e Gallis, plerique cecidissent, supplicum tamen precibus vltro cessere. Munita vrbis loca, sibi dari postulant, quae mox tradita, praesidiis complent, ad portas & fora, multaque compita, stationes rite disponunt, ne detrimenti quid ab Hungaris patiantur. CAROLVS urbem ingressus, regiam sibi dedi postulat. Remittente, aliquamdiu Chaba rege, arcem, cum regia, munitissimam, & antiquis tot hostium exuuiis & rapinis, sane completam, deditam tandem, accepit. Aerarium, auro argentoque refertissimum, subinde spoliat; regem, in vincula coniectum, & conscita sibi morte peremptum, honorifice sepeliunt. Quidquid auri, argenti, Scythicaeque pradae, tot annos vndique congesta, Sicambriae inuentum est, vna die, a Franco ereptum: prada ma-
priuata opes, multis pro dignitate distributa. Matronarum seruata pudicitia, nulla vis cuiquam illata, populus vita donatus, & stipendiarius effectus.* Haec *BONEINVS*.

Budam
Carolus
M. obsidet:

expugna-
tam diripit:

prada ma-
gnitudo:

§. VI.

ALITER *IOHANNES CUSPINIANVS* (e.) *Kagani*, inquit, & *Hunnorum* *regia, Ringus erat, maximis opibus, ac diuitiis, referta, qui-
bus vicinos spoliarunt. Quam CAROLVS expugnauit, & e terra
Auares eiecit, totam pene Hunnorum nobilitatem sustulit, congestos thesau-
ros diripuit. Nec villo vnquam bello, Franci magis ditati, & opibus an-
cti sunt. Suspiciari libet, sedem Auarum antiquam, tum fuisse, in supe-
riori Pannonia, quae hodie lingua Hungarica, Auar, nostra vero lingua Al-
tenburg, id est, antiqua ciuitas, adpellatur recte. Sed, primo qui-
dem, quod ad Ringos adinet; nam plures erant; non ego hos in
Pannonia superiore; sed in Norico quaesierim, quod, diuisum cum
Bois insidebant Auares. Ita, ut opiner, ab AVENTINO, idem istud
bellum describente, inducor. Altenburgum vero, Mosonensis agri,
Y 2 oppi-*

Cuspinla-
ti de eodem
bello, nar-
ratio:

auctoris
animadu-
uersio:

a.) De *Castris Romanis*, in Actibus *CAROLI* M. Edit. *Babl.* fol. 219. initio: ubi

nomen *Kagan*, vitiose *Regani*, ex-
pressum est.

oppidum, non *Auar*, dicimus Hungarice; sed, *Ó-vár*, voce, ex *Ó*, quod antiquum, seu *vetus*, & *Vár*, quod *arcem* significat, composita; ut notio vocabuli, eadem sit, cum Germanica. Alioquin, ita reor; *Ringos* Auentini, quos & *Landueras* adpellat, munitiones fuisse limitaneas, finibus *Auaricis*, aduersus hostiles impressiones, prætentas: id quod Germanicum *Landwehre*, hoc est, *regionis defensio*, connotat. Proinde, in inferiore Pannonia *Cagani* regiam stetit oportuit. Sed, descriptos, ab *AVENTINO*, (f.) *Ringos* videamus, ut locum fidemque præstruamus opinioni nostræ: *Cum*, inquit, *de limitibus*, *Boiis*, & *Auaribus*, non conueniret; & *Auari*, gens *effratissima*, *insestissimaque* *Boiis*, *templa*, *oppida*, *vicos*, *agros* *Boiorum*, in *confiniis* *crudeliter depopularentur*, *CAROLVS* illis bellum indicit, anno, ab orbe seruato, *septingentesimo*, *super nonagesimum*. *Ipsos Hunnos*, *sive Auares*, *Boiis*, cum hi adhuc multos *Deos* colerent, *societate militandi*, *coniunctos* fuisse, & *pulsis Romanis*, *Noricum*, *inter se diuisisse*, *supra* *narrauimus*. Porro, *Auari*, *portionem suam*, *noeuem segmentis*, & *circudis*, quos *Ringos* & *Landueras* dicimus, *tutandi causa*, *cinxerant*. Vides! de *Norico* sermonem esse, quod partiti inter se fuerunt *Auares*, cum *Bauaris*. Ergo, illic *Ringos*, & *Landueras*, existisse oportuit, non in *Pannonia*. Pergit *AVENTINVS*: *Distabant autem inter se huiusmodi tutela*, *circiter millia passuum quadraginta*; *unaquaque circuitu millia passuum quinquaginta*, *amplectebantur*, & *septa erant*, *aggere militari*. *Qui murus Vár*, ab *Auaris* (g.) a *Tentonibus*, *Haga*, *Heccaque* vocari solet. *Cuius ratio*, ita instituta fuit. *Crebri stipites*, *truncique abiogni*, *querni*, *sagini*, in orbem in terram *desixi* erant. *His item contra iungebantur e regione vicenum pedum intervallo*. *Id ubi aut salicibus constratum*, *limoue completum erat*, *cespitibus integris contegebatur*. *Latitudo itaque huiusmodi sepimenti*, *extendebatur viginti pedibus*, *totidem altitudo eminebat*. *Obseri solebat utrinque*, *intus & extus*, *hoc genus valli*, *salicibus maioribus*, *ulnis*, *albis populis*, *atque arboribus*, *que putate*, *propagine sartiunt locum senescentium*. *Tam inextuperabile munimentum*, *perangusta*, *velut a latrocinantibus*, *adibatur via*. *Inter hosce aggeres*, *vici ac villa*, *quantum vox humana hauritur*, *distabant*. *Extra vero illa septa*, *prædia & adificia*, *ita quoque versus disposita sitaque erant*, *ut in unoquoque signum tuba datum*, *in altero audiretur*. *Proximi inuicem quiritari poterant*, *ne procul repetendum esset*, *mutuum auxilium*. *In hac tutissima*, *sive castra*, *sive latibula adpellari liceat*, *per trecentos ferme annos*, *omnium gentium latrones*, *opes orbis congesserant*: *ipsi interim intacti omnino*, *ab exteris populis*. *Hæc sunt Ringorum*, *seu Landuerarum*, *quibus se præmunierant Auares*, *& velligia*, *& moles*. Ceterum, faretur *EGNHARDVS*, qui *CAROLO* a secretis epistolis fuit, tantum e regia hac auri, argenti, & reliquarum opum

Auentini
in eius
sententiam
locus 1

f.) Annalium Boiorum Lib. iv. p. 333. Edit. Ingolstadt. MDLIV.

g.) Sic legimus, cum FRANCISCO FORB OTRORUCSI, Orig. Hung. Part. 1. Cap. v. p. 233. in nota.

opum fuisse egestum, ut, cum antea pauperes, & rerum egeni, haberentur *Franci*, hac vna victoria, opulenti fierent. Pertusis de-
num deiectisque moenibus, vrbe autem penitus derasa, bellum, quod tantis successibus, exorsus fuerat *CAROLVS*, toto postea octennio, suis auspiciis, prosequutus est.

Auarum
regis dele-
ta.

§. VII.

AD eum modum, res *Budenses*, sub *Auaribus* se habuere. Altera hæc vrbe clades fuit, eo, priori, *Gothica* illa, atrocior, quod, ne velligium quidem eius superarit postea. Illud pietatem *CAROLI* commendat, quod præter *BONFINIVM*, scriptores quoque alii, adnotauerunt: victis, nimirum, optionem factam: qui *CHRISTO* nomen, *ultro daturi sunt*, *liberi sunt*: *qui renuerint*, *adempta libertate*, *vita solum donantur*. *Multi*, *patria superstitione se exuere*, *ne velligiales forent*; *pauca*, *caritate succensi*. *Diruta*, cum vrbe sunt, *Martis & Herculis delubra*, quorum loco, in extrema vrbe parte, sub monte, *Deipara Virgini*, templum erectum, quod *Maria Albe* facellum, supplici ritu huc confluentes, adpellauere. Ad *Turcarum* vsque impressionem, quarum prima, in annum *MDXXXVI*. incidit, perdurasse ait *SCHÖNLEBENIVS*. quod difficile est ad credendum; quando constat apud omnes, ab anno *octingentesimo tertio*, non vna, ferocissimarum gentium, ultro citroque suscepta migratione, & sequutis inde bellis, perturbatam fuisse *Pannoniam*; & nunc a *Christianis* cultam, nunc foedatam iterum ab *ethnicis*. Certe, quod ætate *BONFINII*, superabat, recens, *Hungariæ* regum opus, in veteris illius velligio, instauratum fuisse, auguror. *Quo*, inquit, *deuotissime*, *fini-vini undique*, *tempestate nostra*, *populi*, *supplicatum confluunt*, & *Albe Marie facellum*, *primum*, *Christianis in Hungaria nominibus dicatum*, *adpellant*: *idque lapis adhuc indicat excisus*. *Istud ergo facellum* fuit, quod *Turcarum* furore deletum est. Sed, quemadmodum collocarit *CAROLVS*, *Auarum* manubias, eo minus silendum est, quod prodigiis, locum inde natum, annales memorent. *CAROLVS*, inquit *SCHÖNLEBEN (b.)*, *Ecclesiam B. V. miraculis postea celebrem*, *Aquis*, in aula sua, erexit, ac ditauit, eamque consecrari fecit per *Leonem* *Papam*, qui hoc anno ad ipsum profectus fuerat. *Interfuere consecrationi*, præter *Cardinales*, qui aderant, in *comitiua Pontificis*, etiam *CCCLXIII*. *episcopi*. quibus accesserunt duo, pridem defuncti, *S. Monulphus*, & *S. Gundulphus*, *tumulati TRAIECTI ad Mosam*: qui de suis tumulis egressi, cum *LEONE* *PAPA*, visi sunt ingredi, & *dedicationi adfistere*, ac *peracta functione*, reuerti ad sua sepulchra. *Cum enim Carolus desideraret*, *tot presentes episcopos*, *quot sunt dies in anno*, & *duo deessent*, *pio Imperatoris desiderio*, *aduens pium Numen*, *hos duos adesse voluit*, qui nume-

Quanta
hæc vrbe
clades fue-
rit?

Caroli M.
in viros
pietas:

Albe Ma-
rie facel-
lum condit.

manubias,
de Auari-
bus partas,
quomodo
collocarit.

Y 3

rum

b.) Loco cit. ad A. heciv. p. 397. B. vbi auctores simul indicat, ex quibus

prodigiosam adeo narrationem hauerit.

rum CCCLXV. implerent: ut habet catalogus episcoporum Traiectensium. Hæc ille, ex eius ævi scriptoribus, quos iam, tametsi ad manus sint, nolimus sollicitare.

§. VIII.

Auarum, post eam vicloriam Caroli, ingenuum:

sedes Chagani senioris:

BVda interim, in rudibus iacuit. Sed & Auares, spreto, quem cis CAROLVS præfecerat, Chagano, (Theodorus in sacro fonte dictus) fræna subinde mordebant, dum, semel atque iterum victi, redigerentur in ordinem, cogenturque, Chaganum, primum regem Christianum, venerari. Vbi vero huic sedes? In interiore Pannonia fuisse, ex eo coniciamus, quod Slauorum incursionibus fatigatus Chaganus, sede sua decedere, & nouas, a Carolo impetrare, necesse habuerit. De eo annales: Chaganus, seu Theodorus, Hunnorum, in Pannonia Princeps, Imperatorem Carolum adiit, questus, de Slauorum, qui Morauiam & Bohemiam incolebant, continuis incursionibus, petente sibi locum ad habitandum, cum suis, a Carolo concedi, inter Sabariam, & Carantanum prouti recenset Regino; sed forte melius Adelmus, inter Sabariam & Carnuntum. cuius precibus adiuuit Imperator. Sed & Carolum filium, aduersus Bohemos, cum exercitu misit, eosque coercuit, occiso eorum duce, Letzcone. Hæc, ad annum DCCCVIII. INCHOFFERVS refert: nos Adelmum sequuti, ad annum DCCCXV. Quidquid eius sit, totus iste locus, eo pertinet, ut doceamus, detractum semel, regie honorem, dum superabant Auares, BVDAE restitutum haud fuisse. Sabaria, & Carnunto, ea dignitatis facta est accessio. De iis INCHOFFERVS (i.): Optione data, Chaganus, elegit Carnuntum (k.), ut alii corrupte Carnantum, & Sabariam, cum terris interiacentibus. Prior locus, est superioris Pannonie, metropolitana ciuitas, & vetus olim Romanorum, florensque colonia, in ea Danubii ripa, que a Norico, hoc est, Cetio monte, in Hungariam extenditur. Quo situ, Vienna Pisoniunt euntibus, ruina visuntur, amplissima ciuitatis, ad stadii pene longitudinem, propagata. ex quibus non longe oppidum D. PETRONELLAE, a Carolo M. ut fertur, constructum, vestigia quedam exhibet. Sabaria, porro, notissima quoque olim colonia Romanorum, postea tamen, ortu Diui Martini Turonensis, & ut quibusdam placet, pridem antea, martyrio Quirini, nobilior. Hæc igitur loca, cum Chaganus, benigne a CAROLO susceptus, impetrasset, muneribus, ut EGINHARDVS inquit,

i.) Annalium Eccles. p. 18. ad An. DCCCVIII.

k.) De CARVNTI Orthographia, & positione, vide CELLARIUM, Notitia Orbis Antiqui, Lib. II. Cap. VIII. p. 551. & 552. Atque vestigium, a MARCIOLIO, expressum, OPERIS DANVSTALIS, Tomo II. p. 2. descriptum, atque expressum, ibidem Tab. I. Fig. II. Remanentibus nobis, exstantissima rudera, tres simul tumba, sed sine litteris; &

inustate magnitudinis laterculis, cum notis LXXIII. TRM. occurrit, quem possidemus. Ex tumbis, cineres cadaverum exustorum, & ossa, abito limus, vito principi, qui museum nostrum, sua presentia honestat, dono demum data. Solemus enim, animi causa, cum illic facimus iter, scrutari has, magnitudinis Romanæ, non temnendas reliquias, neque inde digredimur vquam, nisi doctiores

donatus, redire permittitur. Ad hunc modum INCHOFFERVS. Sed, non erat diuturna Chagano, noua hæc sedes, si laudatum nunc scriptorem, sequamur, rem, quam narrauimus, ad annum DCCCVIII. referentem. CHAGANVS, inquit, ad annum DCCCIX. in Hungariam reuersus, paucis admodum mensibus, ne dicam septimanis, supervixit, & SABARIAE, diem suum, pie obiit. At enim, diutius cum illic resedisse, oportuit, si ADELMO (l.) credimus, scribenti, sedes has anno DCCCXV. Chaganum a Carolo impetrasse. Tunc enim, fere lustrum hæc extraxisse, censendus erit. Successit, Theodoro huic, Chaganus iunior, siue is filius senioris fuerit, siue iunctus sanguine; sed beneficio iterum CAROLI M. uti est in Fuldensi chronico: Theodoro, inquit, non multo post, morte praevento, Chagano, per legatos petenti ab Imperatore, concessus est honor antiquus, quem Chaganus apud Hunnos, iuxta priscum eorum ritum, habere solebat. Credo, regiam quoque sedem, Sabariam, quam Chaganus senior, lingua Hunno-Auarica, quæ & Hungarica est, Szombath-Hely, hoc est, quietis locum, adpellauisse. nam Szombath, (m.) Hungaris, Sabbathum; istud autem, ex notione Hebræa, שבת, quietem, significat, tantopere a Chagano, seu Theodoro, exquisitam. Ceterum, breuis, & Chagano iuniori, sedis vsura fuit: quippe, anno DCCCX. rebus humanis exempto.

§. IX.

NVlli postea Hunno-Auarum reges, nullaque ideo regia fuit: Buda certe exoleuit penitus: dum, post septuaginta, circiter, annos, Hungari, partim a Leone, Orientis; partim ab Arnulpho, occidentis, Imperatoribus; aduersus Bulgaros illic; hic, aduersus Mahareses, exciti, auitas sedes, suas iterum facerent. Liberaliter, hic annales Hungarici, fabulantur. quos iam recognoscere, non est huius loci. Certe, tertii, Hungarorum, in Pannonias ingressus, neque causas referunt, neque fata. De septem ducibus, nihil narrant, quod non sit obnoxium dubitationi. Intererat vero, monstrauisse posteris, non latrocinatum, e sedibus suis, erupisse Hungaros; sed, ut auxilio essent, Imperatoribus, legitimis stipendiis, arcessitos. Certe,

Cassat Auarum regiam, usque ad Hungarorum aduentum:

in qua annalium Hungarico. rum:

l.) In Annalibus, de gestis CAROLI M. a PITHÆO editis. Apud PETERVM LANGBETVM Lib. II. Commentar. de Bihl. Caslat. Vindobon. p. 348. Ibidem, res ad annum DCCCX. refertur, diciturque ibi Chaganus, Caslatum, erronee, uti adparet.

m.) Non distemur, in more veterum Hungarorum fuisse; ut nundinas, diebus Sabbathi plerumque conuectarent. Itaque Szombath eis tantumdem erat, quod nundina, atque Szombath-Hely, nundinarum locus. Id tamen, nostre coniectura, nihil derogat: cum, quietis quidem notio, in

voce Sabbathi, natua sit; nundinarum abusu facta. Deinde, ne agrestes operas remorarentur, mercatores in diem Solis, reposuerunt, prices illi homines, qui & ipse; a nundinis, Vésár-nap, nomen accepit, quod tantumdem significat, ac si dicas, Nundinarum dies, quas Vas-ár, hoc est, ferri pretium, seu emtionem, vocabant: nam Vas, ferrum; ár, pretium significat. credo, quod primi illi Hungari, nihil, præter ferrum, emittarint; reliquam supellectilem, domi, ex limo, & materia, fabricantes.

Luitprandi
di narra-
tio:

Certe, quod de *Swatoplugo*, & redempta ab eo, equi, freni, & ephippii, pretio, regione narrant, fabulæ, quam historix, similius est. Aduentus causas, & successum, LUITPRANDVS (n.) egregie descripsit, quem audiuisse iuicit: ARNVLPHVS, earum, quæ sub arcæuro sunt, gentium, rex fortissimus, quum ZWENTEBALDVM, Marawanorum ducem, sibi viriliter repugnantem, debellare nequiret; depulsis his, prob dolor, interpositionibus, quas vulgo Chufas, (o.) nominari prædiximus, HUNGARORVM gentem, cupidam, audacem, omnipotentis DEI ignaram, scelerum omnium non insciam, cadis & omnium rapinarum solummodo avidam, in auxilium conuocat; si tamen auxilium dici potest, quod paullo post, eo moriente, tum genti suæ, tum ceteris in meridie, occasuque degentibus nationibus, graue periculum, immo excidium fuit. Quid igitur? ZWENTEBALDVS vincitur, subiungatur, fit tributarius; sed Domino solus. O cacam ARNVLFI regis, regnandi cupiditatem! o infelicem, amarumque diem! unius homuncionis deiectione, fit totius Europa contritio. Quot mulieribus viduitates, patribus orbitates, virginibus corruptiones, sacerdotibus, populisque DEI, captiuitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cæca ambitio paras? Deuicto ZWENTEBALDO (p.) Morauorum duce, ARNVLVS, pace habita, regno potitur. HUNGARI interim, obseruato exitu, contemplatiue regionem cordibus, malum, quod postmodum in propatulo adparuit, machinabantur. Hæc, ad annum DCCCLXXXIX. referri oportere, ex chronicis (q.) constat. quæ, sicuti causas impressionis Hungarorum, ita successum quoque condocent. Vbi vero tunc regiam constituere Hungari? Extra modum diligens est, in designandis, singulorum ducum (septem enim fuisse (r.) ait) sedibus, THÉROCZVS. ARPADO is principatum tribuit, eique montem NOAE, prope Albam Regalem, assignat. Verba chronographi hæc sunt: Dum Capitaneus Arpad, uteretur speciali quadam dignitate in Scythia, & hanc haberet ipsa generatio consuetudinem, Scythicam & probatam: ut vnus, in expeditione gradientibus, debeat anteire, in redeundo vero retrocedere: ipse, pro eo, alios capitaneos fertur præcessisse, eoque, ZWATOPO-LVO, ut superius dictum est, debellato, & occiso, ARPAD, cum ceteris Hungaris, castra fixit in monte NOAE, prope Albam. Et ille locus est primus, quem ARPAD sibi elegit in Pannonia: unde & ciuitas ALBA, per S. STEPHANVM, qui de eodem processit, fundata est ibi prope. Videre hinc est, non Budam tunc; sed montem NOAE, sedem, regulo Arpado, præbuisse. quam, an filius suus Zoltan, ibidem habuerit, non habeo dicere. De Toxi, Arpadi, ex Zoltano, nepote, sic arbitror, sinistra

regia Hun-
garorum
ubi?

mons Noæ:

n.) Fuit Ticinensis primum Diaconus, de-
mum Episcopus Cremonensis, floruit
que A. DCCCLVI.

o.) Est vero *clasa*, angustus montium ad-
itus. VOX AELIO SPARTIANO, usurpata.
Vide glossarium DV FRESNE, Tomo II.
p. 705. edit. nupetæ Parisiensis.

p.) ZWENTEBALDVM annales, nostri ZWA-

TOPLVGM adpellant, quod eodem
redit.

q.) Adle. REGIONEM, ad eundem annum;
OTTONEM FRISINGENSEM, Chron. Lib. VI.
Cap. X. p. m. 114. edit. Basil. 1569.
fol.

r.) Chronici Hungar. Parte II. Cap. II. seqq.
p. 30.

Danubii ripa, si non perennem sedem, saltem secessum illic habuisse, ubi iam *Taxony*, siue Hungarice magis, *Tox-Honnya*, hoc est, *Toxis habitatio*, visitur hodieque.

§. X.

ECquis igitur, obsoletam *Buda* sedem, reparauit postliminio? Profecto, adfirmare non ausim, cum nihil reperiam in litteras relatum. Clades, quas tota passim Europa, ediderunt Hungari, legas, non quid egerint domi, aut quemadmodum comparatam habuerint rempublicam. *Geysa* id tribuunt aliqui; non item nos. *Strigonium* huic, in primis habitatu visum est commodum. Hic in lucem anno DCCCCLXXXV. editus est, S. *Stephanus*; hic sacro lauacro ablatus. Ergo, S. STEPHANO adserenda ea gloria est, qui vulgare oppidum, sede regia, honorarit: siue id demum, recordatione fecit pristinae celebritatis, siue consilio quocumque alio. Occasionem tantæ rei, ædes sacra dedit, anno MXXII. ab eo poni coepta. Meminit, præter alios, hanc regis pietatem, INCHOFFERVS (s.) STEPHANVS, inquit, rex, cum *Geysela coniuge*, & *Emerico filio*, AD BYDAM VETEREM venientes, cum locum amicum, refertumque incolis, animaduertissent, nec tamen esse, vllum templum, in quo sacra peragerentur; illico, magnifice exadificandum, ampleque donandum Cœnobium, cum Basilica, statuerunt; eamque, principibus Apostolorum, PETRO, & PAULO, nuncupandam. Acciti artifices e *Gracia*, ut opus memorabile facerent, statuarii, ac plastici, vndique, magna mercede conducti. Induxerat in animum pius rex, ut Romanam Sanctitatem, principis Apostolorum memoria in Vaticano sacram, hoc, velut compendium, exprimeret, religionemque Catholicam, ea ade, & splendore, fabricæ, & reliquiarum copia, exornatissima, toti orbi commendaret. Ac, ut magis serueret opus, cum coniuge, pietatis socia, filioque, si superesset, herede, ibidem consisterent. En! primam sedis regis, *Buda* positæ, mentionem! hucusque enim, nunc *Strigonii* (t.), atque *Tata*; nunc in S. Monte *Pannonio*, aut *Veszprimii*, degebat rex optimus. Atque, vrbi quidem, id tunc decoris accessit; moles autem Basilicæ consummari, a STEPHANO viro, nequiuit. Ita INCHOFFERVS: Non paucis an-

Quæ e dua-
cibus Hun-
garicæ, Bu-
dæ sedem
primus pu-
sauerit?S. Stephe-
ni erga op-
pidam pro-
posio?prima eim
Buda se-
des?adem sa-
cræ, hanc
perficit?non semper
resedit Bu-
dæ.

TOM. III. Z
1.) Annalium Ecclesiastic. p. 328. ad eun-
dem annum.
2.) BONFINIVS, Dec. II. Lib. VIII. p. 300,
30. STRIGONIUM, veterem regum an-

lam, adpellat, quæ in nominis, vsque
ad BELAE IV. tempora, tulit.
3.) Nouæ Synopses Chronologicæ. P. I.
p. 7.

Præposituram Veteris Buda, DD. Petro & Paulo Apostolis, ibidem, dum opus exurgeret, habitans. Utinam nos docuisset, ubi habitavit postea; nam, in rerum Hungaricarum scriptoribus, id non reperio: credo autem, ab his initiis profectum esse, ut sequuti reges, STEPHANI exemplo, lubenter degerent Buda, figerentque sedem regiam, hi, illis, constantiorem.

§. XI.

SI certa esset, Germanici nominis, *Ofen*, seu *Oven*, deriuatio, ab *Ovone*, seu *Aba*, rege *S. Stephani* successore; facile inde confici posset, in primis, in hac urbe resedisse *Abam*. Sed, re vera, adhuc regibus *Hungarie*, diuersoriarum sedes erant, haud autem regia perpetua. Id vero, inde condiscere est, quod, illic plerumque versabantur, ubi maxima eos negotiorum moles, opperiebatur. Legas enim, *Csanadini* *ABAM*; *Szaboltsi*, *S. LADISLAVM*; *Orodini*, *BELAM* cœcum, comitia agitalle (v.). quæ illi profecto, si perpetua sede habitassent, illuc exiuiissent, ubi cum curia degebant. Interim, id certum est, in pretio reges *Budam* habuisse. quod insigni pietate testatum fecerunt, germani fratres, *GEYZA M.* & *S. LADISLAVS*. Sub idem enim tempus, cum *Váczia*, ædes sacras, atque Episcopen excitant, ut victoriam, de *Salomone* partam, grato, in diuos, animo, recolerent; *Buda* quoque templum *D. Genitrici* condiderunt. Ita *BONFINIVS* (x.): *Diuæ quoque virginis ædem, BUDAE fundauerunt, cui Pestana vestigalia & tres, in Simigiensi agro, vicis addixerunt, elaboratissimis aureisque vasibus exornatam reddidere.* Parcius postea, scriptores nostri, *Buda* meminere. Saltem, hicne, vel alibi, resederint, *Colomannus*, *Stephanus II.* & *Bela* cæcus, haud referunt. quam quidem annalium negligentiam, merito possis accusare. Sed, neque in diplomatibus, quæ ea ætate reges edidere, locorum, quibus perscripta sint, semper fit mentio: id quod, incuriæ scribarum tribuendum est; saltem seculi ingenio; at quanto historiæ damno, facile existimabunt, quibus, subactis, his istiusmodi studiis, animus est. *GEYZA* demum secundus, educta dedicataque *B. V. M.* æde sacra, *Budam* excoluisse legitur. Anno *MCLL* rex templum *B. V.* *Buda* veteris, construit, scribit *TIMON* (y.). Sed, anne ab imis fundamentis, & opere nouo? Si ausim opinari; *Geyza*, & *Ladislai* ædes fuit, de qua nunc diximus, quam insaurauit forte *GEYZA II.* Pronius ad credendum est, reges, qui postea rerum potiebantur, inualecente, cum ædibus sacris, tum optimatum palatiis *Buda*, isthic sedes, hucusque vagas, prorsus fixisse. De *BELA IV.* id certum est: quippe qui, *Budam* ultra, quam credi possit,

Anne Aba
hoic habuc-
ris regiam?

incerta
tunc regum
sedes:

fuit tamen
in pretio
apud reges
Buda:

Bela IV.
in primis
adamaue-
rat urbem:

v.) Adde, quæ de *LADISLAVO* leguntur, apud *BONFINIVM* Dec. II. Lib. IV. p. 231, 49.

x.) Dec. II. Lib. IV. p. 220, 10. *THVRÓ.*

czivs Chron. Hung. P. II. Cap. LIII. p. 61, 39.

y.) Loc. cit. p. 51.

possit, adamauerat; insula (z.) simul, urbi obiacente, omni ædificiorum genere, sacro & profano, perculsa. Animi pendeo, ipsene, an pater, *ANDREAS* Hierosolymitanus, *D. Dominici* familiam, substructo, *D. NICOLAI* nomine, templo & cœnobio, *Buda* collocarit? Si temporum rationes subducas, *ANDREAE* id tribui, necesse est: quippe, quum anno *MCCLIV.* ad eum modum inualuerit cœnobium, ut comitia heic ordinis eiusdem, concelebrari potuerint: ea vero tempestate, exinanitam opibus fuisse *Hungariam*, nemo ignorat, nisi, cui ignota est Tartarorum illa impressio, quæ decennio ante, pessunderat regionem. Ut difficile sit, eius instituti exordia, ad *BELAM* referre: nisi credas, ante annum, *MCCXL.* inductos huc *Dominicanos* ita succreuisse, ut potuerint perdurare, grassantibus per *Hungariam* Tartaris. Enim vero, pessunderant maleficientissimi latrones, *Budam* Veterem; noua adhuc incognita. quod infra leges. Neque nos certiora docuit, *SIGISMVNDVS FERRARIVS*, alibi a nobis laudatus, rerum *Ordinis Dominicani*, scriptor, *Budensis*, inquit ille (a.), *Conuentus*, propter regiam, & *Generale studium*, celebris huius prouinciæ conuentus fuit: in quo etiam *Comitia* totius ordinis, anno *MCCLIV.* sub *VMBERTO* de *Romanis*, *V. Generali Magistro*, tunc electo, celebrata sunt. *Ecclesia* olim, *S. NICOLAI* nomine, in equorum stabulum ab impiissimis *Turcis* versa, adhuc visitur: ut ab iis, qui in ea urbe fuerunt, accepi. Quæ heic, de studio generali dixerat, paullo post (b.) fusius explicat: In prouincia *Ungarie*, *Generale studium*, *Conuentui adiunctum*, diu viguit, in *Urbe Regia* *Buda*, ubi etiam, *Vir* celebris, *M. G. Petrus Niger*, clypei *Thomistarum* auctor, sub annum Christi, *MCCCCLXXXI.* regentem, suæ studii eiusdem caput, agebat. Cum vero, aliquo postea tempore inde fuisset amotum, eodem, *M. G. Fr. Thoma VII Caietani* iussu, reuocatum est. Hæc, de *Conuentu Ordinis Prædicatorum*, reperio. Inerat, & *Seraphici Ordinis* cœnobium; sed cuius vestigium, tot urbis clades, pridem oblitterauerunt. De *CAROLI M. Albe Mariae* sacello, quod supra memorauimus, hæc *LADISLAVS THVRÓCZVS* (c.) in litteras retulit: *Altera, eorundem religiosorum (de Paulinis sermonem habuit) domus, ad ALBAM MARIAM (d.) visebatur. Est locus, haud longe veteri Buda, ea parte, qua Sicambria ruderæ ostenduntur, propius montes, plano tamen in campo; ubi ædes DEI Genitrici, prima omnium in Hungaria, a CARLO M. fertur excitata, anno MCCCIII, Hanc, ad MATTHIAE usque tempora, sacerdotes quidam procurabant: verum, cum desiderio populi minus responderent, immo vita haud satis castigata, (queruntur illud littera regia ad SIXVM IV. anno MCCCCLXXXIX. feria II. ante festum Nat.*

Z 2

S. Io.

z.) Istic obiisse *BELAM*, annales memorant. Vide *THVRÓCZVM*, Parte II. Cap. LXXVI. p. 78.

a.) De Rebus *Hungaricæ Prouinciæ Ord. Prædic.* Parte IV. Lib. vnico, Cap. II. p. 511, 512.

b.) Loco cit. Cap. III. p. 540.

c.) *Hungariæ Occident.* p. 54.

d.) A *Templariis* quoque inessam fuisse legas: ex verone? habeo, cur dubitem. Alioquin, inclaruit *Buda* *Vetus*, & sepulturis Regum. Istic enim, *STEPHANVS*, *Bela IV.* filius, *ANDREAS* item *Veneris*, tumulati sunt.

Dominicanorum
ordo, a quo
Budam in-
ductum.

S. Iohannis Bapt. exarata) publica pietati, nocumentum grauiſſimum adferrent; volente Rege, iubente Pontifice, administratione moti ſunt, & beneficio; ſanctioribus in locum ſuccedentibus miniſtris. Nihil horum, in annalibus eius ordinis, quos conſuluimus, reperias, quæ ideo, adſcribenda putauimus.

§. XII.

Buda ſitus & antiquitas, Inchoferi verbis deſcribitur

Nihil poſtea Buda memorabile geſtum eſt, vrbis nomine, iuxta & celebritate, Budam Nouam, quam dabimus poſtea, commigrante. Situm vrbis, & antiquitatem, plures celebrarunt: INCHOFERVS (e.) ad hunc modum deſcripſit: Eſt Vetus Buda ciuitas, loco ameno, iuxta Danubium ſita, in Diœceſi Veſprimienſi, olim Sicambria dicta, & multis rebus clara. SICAMBRIAM nominatam volunt, a Germanica legione, quam olim ANTONINI, & SEVERI temporibus, ad coercendos barbarorum impetus, illic collocatam volunt. Id oſtendit, vetus illa inſcriptio, apud APPIANVM, & AMANTIVM: LEGIO SICAMBRO- RVM HIC PRAESIDIO COLLOCATA, CIVITATEM AEDIFICAVERVNT, QVAM EX SVO NOMINE, SICAMBRIAM VOCAVERVNT. Fuit hic lapis effoſſus, in Veteri Buda, regnante MATTHIA, rege Hungariae, dum fundamenta iacerentur adiam regina BEATRICIS. Eadem etiam legio AUXILIATRIX dicebatur, quæ SICAMBRIS, remotiſſimis Germaniae populis, conſtabat. Syngambros (f.) legit PTOLEMAEVS; STRABO, Sugambros; Valentinianus Imperator FRANCOS dixit, hoc eſt, feroces. qui olim Troiani (g.), poſtea etiam vocati ſunt, ANTONORIDAE. Exſtant hodieque, vetuſtiſſima vrbis veſtigia; ſed floruiſſe, non ſolum temporibus MATTHIAE, quemadmodum ex modo dictis colligitur; ſecus enim, neque ad exſtruendas reginae ades, hic delicias quaſuiſſet ſuae; verum etiam longe ante celebrem fuiſſe, ſatis indicat, ere- ctio ſtudii generalis, quod Bonifacius IX. Milieſimo trecentieſimo, octuageſimo nono, primo pontificatus ſui anno, petente Sigismundo rege, conceſſit. Ad hunc modum INCHOFERVS. Plura de Sicambria, LAZIVS (h.) dabit, quæ iam prolixum eſt adſcribere. Gentem ipſam, poſt CLYVERVM (i.) & CELLARIVM (k.) accurate deſignauit, IACOBUS CAROLVS SPENER (l.) vt non ſit opus, eam in rem elaborare. Vrbis veſtigium, nominis ignarus, MARSIGLIVS (m.) exhibet, explicatque icona, his verbis: In ripa citeriori, non longe ſupra Budam recentem,

Marsiglii, Sicambria deſcriptio

e.) Annalium Eccles. p. 328. ad annum MXXII.

f.) Vide ORTELIJ Theſaurum Geographi- cum id vrbibus, Sicambri, & Si- cambria. Inde enim iſta excerptio Inchoferi.

g.) OLAEVS in ATTILA Cap. XIII. initio: Sicambriam urbem, erudient ſcriptores, Gallus, Pannonia, ductu Antonioris Troiani, vaſtata, in ſui nominis memo- riam, condidiſſe, & in multos annos

habitaſſe, quod tamen mox in dubio reliquit.

h.) Comment. de Republ. Rom. Lib. XII. Sect. II. Cap. XIII. p. 1123.

i.) Germaniae Antiquae Libro III. Cap. IX. p. 31. ſeqq.

k.) Notitia orbis Antiqui Lib. II. Cap. V. p. 471. ſeq.

l.) In Noſſia Germania Antiqua, paſſim.

m.) Operis Danubialis, Tom. II. p. 3. Tab. I. Fig. V.

pagus eſt, Buda Vetus, vulgo nuncupatus, & duobus Romanis fortali- tibus, quæ cum longo quodam aquæ ductu, ibidem reperiuntur, celebris. Alterum, idque minus & ſeptentrionale, paludî adiacet, & eſt figura quadrata, & ex glareâ, coctisque lapidibus, terra obrutis, exſtructum. Alterum maius, eiusdem cum priori, materiei eſt. Præterea autem, in eius circuitu, varia murorum rudera reperiuntur, & ab illo latere, quod Danubium reſpicit, ad eundem vsque, fossa protenditur. Aquæ ductus vero, a radice montium, per paludem tranſiens, non procul a prædicta fossa terminatur, ſuntque mera columna, ex lateribus exſtructa. Ignorauitſe autem, Sicambria eſſe rudus, quod ita deſcripſerat, ea, quæ porro coniectat, indicant. A veritate forte non eſt abſonum, inquit, dicere, quod illa duo fortalitia, magna alicuius colonie præſidia fuerint. Hæc illi in acceptis ferimus.

ignorato e- ius nomine.

§. XIII.

Iam, qualem nos ipſi, repererimus, præſca vrbis poſitionem, ex- promamus. Diffunditur eius veſtigium, tota ea planitie, quæ a ſuburbis Buda Nouæ, inter montes Pilisios, & Danubium, ad XL. circiter ſtadia, excurrit. Neque, ſolo hoc continenti, vrbis definiēba- tur. in inſulas protruſa fuit, ſiue reuera connexas tunc, reliquo ter- reno, ſiue, reſciſſa demum tellure; cum annis, quod ſolet, nouum illhac alueum excauſſet. Vtrobique, Romani cultus oſtenduntur monimenta. Quæ in continenti, ad bis mille paſſus, in longitudi- nem, protenduntur, muro conſtant, ſolido eo, ſed deſaſo iam, & vix ſupra terram, niſi per tumulos, eminente. Tanta autem, quæ ſuperant, firmitudine ſunt, vt, de ſolida petra, procliuſ ſit tolle- re quidpiam, quam elidere illhic aliquid, etiam cunco admoto: adeo, ex vetuſtate, tenax cementum eſt; certe, operas hodiernas, multis modis poſt ſe relinquit. Accedit, muri craſſities, ſeptem fere pedes exæquans. Subſtructi intus forniceſ, indicium faciunt, apothecas hic annonarias, vel alias quaſcunque fuiſſe: vt haud ſane dubitemus, ſi eruderandis iis, opera locaretur, impertuſos adhuc deprehenſum iri. Extenduntur, hæc murorum fundamenta, quod diximus, medii mil- liaris decurſu; concamerationes autem, haud longius oſtendunt, quam eſt hodie, pulueris pyrii officina. Ultra, vligo reſudat, muri ſoli- dioris, niſi depactis trabibus, inædificetur, proſus impatiens. Vix ea, ducentis paſſibus procurrat, cum ſolida iterum humus, protube- rante paſſim rudere, aggeres, an muros, in Danubium vsque conti- nuatos, oſtendit. Gemino vero, quod & MARSIGLIVS expreſſit, or- dine, tumuli iidem, intermiſſa ingenti fossa, producuntur, vrbem- que, quaſi perpetuo quodam vallo, vel diuiſiſſe, vel præmuniuiſſe, videntur. Credo, hos illos eſſe tumulos, qui columnis, iuſta inter- capedine, discretis, aquæ ductus, ex mente MARSIGLIJ, ſuſtinebant. Nam, a nobis quidem nihil obſeruatum eſt aliud, quam quod, deſi-

Antoni, de Sicambria rudoribus commentatio.

mentibus, quos diximus, rudera tuberibus, aquæ demanarint, fonte gemino. Eorum alter, ex pede montis, tam vberè scaturigine fallit, ut lacum, subtus formet, centum, plus minus, passuum ambitu. Aquarum, perennem copiam, inde possis existimare, quod passus vix triginta, a capite deiectæ, molam vrgeant, atque inde, vberè alueo, iuxta eosdem tumulos, in *Danubium* emanent. Plane nobis persuaderent, collectum in canalem fontem, ad coloniam prolectum fuisse, ut illic saliret perpetuo silano. Riuorum alter, locupletior multo est, sed latice, priori haud comparandus. Hunc, vligo illa, infra quam sunt tumuli, effundit. Lacus est nimirum, plus, quam tercentorum passuum amplitudine, vndique, vallis aggeribus circumcinctus, adeoque, aquarum numquam non diues, quas dum emit, breui procurfu, fullonum primo; demum, pulueris pyrri tudes, propellit. Tum, verso in meridiem alueo, pone rudera, quæ ostendimus, defluit, & vbi passus, plus minus quadringentos processerat, iterum crepidine, in piscinæ speciem coercitus, molæ frumentariæ geminæ, antequam in *Danubium* exeat, inducitur. His ergo riuus, *Marsiglianos* aquæductus, constitisse, arbitramur: collectos olim, & pro aquilegum arbitrato, huc illuc profusos. Aquæ certe suffundebant affatim, quæque, vrbi etiam copiosissimæ, egregie sufficiebant. Limpida ea est, colore, ex viridi, caruleo, tepida magis, quam frigida, ideoque immunis a gelu, & rotandis molis, quin & fouendis piscibus, prorsus idonea. Pari aquarum natura est, fons tertius, remotior, passibus circiter mille, in meridiem. Eo is loco, quo scaturit, circumstructa crepidine coercitus, minori tamen, quam priores lacu, aquam *nitrosam*, tepentem, nitidam tamen, versus orientem, emittit; canali vberè adeo, ut post passus quatuordecim, duplicem molam frumentariam, discretis interstitiis, instruat, indeque, per depressiora, hic atque illic, restagnans, quo propius ad *Danubium* accedit, eo magis repressus, intumescit ad modum lacuna vberis. Haud procul a confluenta, ponte iungitur lapideo, cuius opus, antiquitatem refert: nam, & saxo instructus est tessellato, & spatio ita angusto, ut vix habitus hodierni quadrigas, transmittat. Ultra eos aggeres, murosque, quorum vestigia nunc designauimus, rudus reliquum, vsque ad vestigium templi *ALBÆ MARIÆ*, protenditur: ut fas sit colligere, hucusque vrbs pomeria, saltem suburbia, exporrecta fuisse. Notare enim vbique possis, cum moenium, seu aggerum, tum ædificiorum, monumenta. Modico terræ motu, vel refoffis aliquantum, parietinarum, quæ deiectæ iam sunt, fundamentis; hic numi veteres, alibi insigniti litterulis lapides, ac laterculi, iterum Deorum Dearumque simulacra, & id genus alia, eruuntur. Monstrabantur nobis numi, *Augusti*, *Tiberii*, aliorum, ad *Valentiniani* fere ætatem, quod indicio nobis erat, quibus temporibus, cuiusque stipendio, *Legio Auxiliatrix*, isthic meruerit. Qua eleuatio terræ positio est, & ad radices montium

tium furrigitur, emortuales tumbæ, & inscriptiones, eius generis, aliæ, effodiuntur; sed casu, non consilio: nam, qui prisca orbis reliquias hæc, data opera, rimetur, vix est quisquam. Nobis (n.) hæc erudisse sufficiat.

§. XIV.

Prolixus est *LAZIUS*, (o.) in adscribendis lapidum monumentis, quæ hic ætas superior eruit. Nos, quæ obseruauimus ipsi, promemus. Est heris loci, qui heredes sunt *C. Petri Lichy*, vrba villa, superiori oppidi parte, cum ad opportunos secessus, tum ad procurandam rem familiarem, iucunde instructa. Arca ei ampla, deinde, pari latitudine ædificium, ad imitationem *II. Græcorum* elementi, positum. Angulos turriculæ infederunt, modicæ eæ quidem, sed adspæctus festiui. Inter eos, sacellum, deinde cubicula, postea tridinium, heris, aut hospitibus accipiendis, ad insignem munditiem sunt exulta. Omnia hæc, in *Danubium*, cui supereminet, despicunt, obtutu, eo iucundiore, quo amœnior est obiacentis, intra annum, insulæ positio. Gemina ea est, segeti destinata altera, & hortis; altera horto, sic satis culto. Romanum hanc rudus nobilitat, supra indicatum. In villa, de qua sermo nobis est, tumbas Romanas obseruauimus, duas; sed non operis tantum excellentia, verum & mole, atque lapidis, ex quo cauatæ erant, natura, multum discretas. Quæ potior fuit, longa erat, pedes octo, lata duos, & pollices tres, saxo albo & solido, atque marmore, haud deteriore. In eius dextro latere, hæc legimus:

D. MEMORIAE. AVRELIAE. M.
MARTIAE. DOME. A. Q. VIX. ANN.
XLI. D. IIII. MVLP. D. ASIANVS. VET.
LEGI. A. D. CONIVGI KARISSIMAE.

Altera, multo latior, breuior tamen, lapide itidem duro, sed villore eo, proptereaque exæis litterarum elementis. Quæ notare poteramus, hæc erant:

MEMORIAE. Q. M. VVIRA-EL.
AVG. COLA. Q. VIX. ANN. XL. MM.
AVRELIA. D. S. E. L. M. VI. DS.
LIBERTI, FI TR. DES. EX VOLVMIA-
TESTAMENTI. CVRANTIBVS. IE. CM.
DIONISIO. AVG. COL. SS. ET. - -

Plura

n.) Versabamur hic, anno MDCCXX. mensis Maio; & post nos, *CL. IOHANNES MATOLAY*, vixit diligentissimus, post annum MDCCXXVI. sepius

o.) De Republica Romana, Lib. XII. Sect. II. Cap. XII. & XIII. p. 1123. sequ.

Inscriptio-
nes a La-
zio hic ob-
seruatae:

tumbæ Ro-
manæ:

coram epi-
scopis:

Plura erant, quæ illic potuisses collegisse, saxo incisa nobili, & multa arte polito; si tempus, & labido fuisset, excubendi singula. Viatores certe eruditi, & cupidi antiquitatis, habebunt, quod heic excutiant. Vidimus & statuam, sed capite diminutam, cetera, feminam, scita membrorum compage fabrefactam, referente, cum aue inferne adstante. *Isidem*, heic cultam, nonnulli interpretabantur.

Statua illi-
dis.

§. XV.

Hodierne
oppidi ba-
bitus:

Iam, tenuis est oppidum, neque referens prislinæ celebritatis & elegantia quidquam, præter nomen, *Buda Veteris*, Hungaris *Ó Buda*. Profecto hic valuerit, qualiscunque illa nomenclatura, quam *Lazivm* (p.) quoque iactare video, indolentium vocem hinc elicientem; ut, *Ó Buda* (q.) sit, *Eheu! obe Buda! Germani*, inquit, *Gothi, & Heruli, quos suo iugo pressos, in Pannoniis Attila habebat, Buda, interitum deplorantes, dicere soliti erant, in colloquiis: Ó Ben, id est, Ó Buda, siue Beda, aut Bleda!* est sane, cur loco indoleas, ab ea dignitate, ut caput esset urbium Hungariae, ad seruitutem, deiecto. Hic valeat illud:

O domus antiqua! quam dispari dominaris domino!

desolatur a
Tartaris &
Turcis:

Præterquam enim, quod post *Tartarorum*, sub *BELA IV.* impressionem, *Turcica* barbaries, decus omne, iam tum *Solymani* temporibus, urbi ademit; ita, sub ea tyrannide, quæ ultra sesqui seculum captivam habuit Hungariam, urbs decrevit, ut præter *ruiderum*, quæ vidimus, monumenta, vix quidquam habeat residui. Atque, oportuit omnino, toties tentata a nostris, *Nova Buda* obsidione, id quoque desolari, quod erat a barbarico furore, residuum. Dicemus id in eius urbis conuersionibus. *Turcis* certe, cum iam ante cepisset, decrescere, ob sedem regum, *Budam Nouam* translata, suburbari loco fuit, habebaturque negligentissime; siue, quod munitionibus nudum erat oppidum; siue, quod satis ipsis erat, *Buda Nova*, deliciis posse perfrui. Proturbatis hinc hostibus, vasta fuerunt, ex diuturnæ obsidionis labore, omnia, atque extra modum, lente instaurabantur ab accepta clade. Cessit oppidum, vel rudus potius oppidi *LEOPOLDVS M. genti Zichiorum*, qui ei hodieque dominantur. Habitatur iam a vario conuenarum genere, *Germanis, Hungaris, Sclavis & Rascianis*. Humiles his sunt ædiculae, pleræque, ex *Sicambria* rudibus, instructa. Tecta, raro imbrex, aut materia, frequentissime arundo, & stramen, conficit. Lata oppido area interest, cuius medio templum adurgit, haud omnino prisca illis comparandum, siue molem spectes, siue adparatus reliquos. Hinc, vna, alteraque platea,

st, indul-
gente Leo-
poldo M.
gentis Zi-
chiorum
hæcâium:

incola qui?

p.) Loco citato, B.

q.) Persuadere nobis conabantur amici, esse in *Zichiana* gentis tabulario, di-

plomata, ante *Nova Buda* exordia, edita, in quibus *Obuda* oppidi nomen legatur, quod in medio relinquitur.

transuersum decurrit. Reliqua, si excipias situs gratiam, tristem prislini decoris, memoriam, vel primo obtutu, spectantibus, refricant. Ergo,

Buda fuit! non est! gemebyndus perge viator!

CAPVT SECVNDVM,

DE

Libera Regiaque Vrbe, Hungariae Metropoli,

BVDA NOVA.

PROOEMIUM.



Um multi sunt, iique exstantes in historia Hungarica, errores; tum vix vllus vulgatiore, quam, qui *Budam Veterem*, cum *Nova*, confundit, atque illius, siue decora, siue fata quæcunque alia, huic adtribuit. Neque is, vnum scriptorem abduxit a vero; nemo, seu veterum, seu recentiorum est auctorum, quem non, eadem illa aberratio, in transuersum egerit. Primus, quod sciam, *SAMVEL TIMON* (a.) *S. I.* errorem indicauit; exprobrauit postea *LADISLAVS TÚRÓCZY*, eruditus hominibus. *Grauiissimos*, inquit, *in errores, plures scriptorum prolapsi sunt, occasione duplicis Budæ. Dum enim illam, quæ hodie vrbs regia stat, errore nominis decepti, eandem esse putant, de qua modo narrauimus, & veterem nominauimus; quidquid huic a Bonfinio, aut antiquiore quopiam adtribuitur, vniuersim id Budæ Nouæ, conferre non dubitant, haud satis animaduertentes, vno duntaxat Budæ vocabulo, adpellatam illam, dum hæc noua surrexisset. Inde passim legere est, quando moderna Buda excubitur: Fundatam in ea Basilicam a GEYZA, & LADISLAVO*

TOM. III.

Aa

Sar-

a.) *Synopsis Nouæ Chronol. Parte 1. p. 98.*

Sancto; duos, de quadraginta reges habuisse; & plura id genus. cum tamen ætate duorum illorum regum, vix casa pastorum, montem illum presserit; & ante Ludouici I. tempora, regi habitata sit nemini. Sed, breuibus monuisse suffecerit, ne idem & alios occupet error, regnumque tandem constituat, plurimum firmata sententiis, ignorantia. Visum est, hæc, tamquam aperte dicta, & ex vero, adscripsisse, ne, si nostris ipsorum verbis, propalam fecissemus errorem; indignationem incurreremus, horum, qui, dum se consultissimos rerum patriæ, arbitrantur, non ipsi modo lubenter errant; sed patrocinantur quoque, alienis aberrationibus; idque non raro, exstanti cum iniuria, meliora tradentium. Subit mirari, qui fieri potuerit, vt error heic tantopere inualesceret, in ea doctorum virorum, præsertim MATTHIÆ temporibus, copia. Nimirum, diplomatum ignorance, inducti sunt in errorem. quæ, si, pro eo, ac necesse est, consulissent, poterant omnino, discrimen Budæ vtriusque reperisse. Enim vero, quod est Theologo, S. Scriptura; Juris-Consulto, lex; Philosopho, sana ratio; id sunt Historico diplomata: nostra, in primis, ætate, qua, non qualibuscunque narrationibus, aut ratiunculis, a scriptorum auctoritate petitis; sed, publicis priuatisque tabulis, dubiis fidem, lucem obscuris, receptis dudum, auctoritatem, moris est in historia, conciliare. Facile id mihi dabunt, vt reor, (verba sunt BOHVSLAI BALBINI (b.) S. I.) quicumque in historia, fidem & veritatem requirunt. Quid enim certius esse potest, quam publicis Regum ac Principum, epistolis, ac diplomatibus, & partium ipsarum transactionibus, contestata, & ex archiuis interioribus, & sacris scriniis eruta, & in lucem protracta veritas? etsi mihi omnes aduersari, huius æui homines, scriptoresque omnes, viderem, nihil illos

mo-

b) Epitome Rerum Bohemicarum, Lib. v. Cap. iv. in notis, p. 516. vbi & BALBINI, acque KAYNARDI, scripto-

rum, toto orbe celebrium, verba, in eandem sententiam, legitur.

moror, litteras publicas sequor, ad perpetuam rei memoriam, scriptas: quibus nimirum, etiam in iudicio fides haberi debet. Eam ob causam, verba ipsa litterarum, & diplomatum, quoties licuit, reliqui. Nulla mercium, sic nauigatione corrumpitur, vt narrationibus, ex aliis natis, veritas. que per ora volans, nescio, quomodo sinceritatem suam deperdit, ipsumque pondus, veluti mummi veteres, amittit. Ita ille, & cum eo, æqui rerum æstimatores, de diplomatum, & publicarum litterarum, in historia, utilitate, atque fide, sentiunt: vt mirum sit, non posse nostros homines, induci in eandem sententiam. Sed, iam ad urbem ipsam veniamus, per eas periodos, quas supra, in aditu ad hanc tractationem, designauimus, res eius, atque conuersiones, diligentia, quam fieri potest, adtentissima, expromturi.

PERIODVS VRBIS PRIMA. HVNGARICA.

S I V E,

De Originibus & Fatis Budæ Nouæ, sub Regibus Hungaris.

S Y N O P S I S.

BVDAE exordia, Præposito Veteris Budæ debentur: Bela IV. urbem exædificat: unde id constat?	§. I.	Pontificis, in eas seueritas: horum inauditum facinus. §. IV.
Sufflamantur Budæ incrementa: varia eius nomina.	§. II.	Actus Wenceslai: demigratio vna cum Corona: Ottonis apud Budenses insolentia: caedes & tumultuatio, a Ladislao, Weneri filio, edita. §. V.
Synodus Budæ celebrata: eius occasio: canones in compendium missi: euentus.	§. III.	Carolus, rerum potitus, fastidit Budam, cur? nundinis donat urbem: regiam Villegradi habet: Ludouicus I. Budæ Nouæ constituit: castrum Budense excitat: Po-
Andreas III. erga Budenses, voluntas: an isthic sepultus? res Budenses sub Wenceslao:		

A 2 2

lono-

lonorum isthic comitia, celebrat. §. VI.

Fata urbis, post obitum Ludouici: Caroli parui cades, a reginis, Gara Palatino, & Blasio Forgách, administris, procurata: rei gesta narratio: urbis inde orta calamitas: Ghymes & Gáts, non sunt premia, patrati a Forgáchio, dirifacitoris. §. VII.

Qua hinc reginas fortuna acceperit: res urbis perturbata: pacantur a Sigismundo: eius in urbem merita: Academiam hic constituit: & emporium; quod abrogatur quodammodo: ciuium hinc enata offensus: Sigismundi substructiones. §. VIII.

Rascianorum, in suburbanum, sub Sigismundo aduentus, & huius occasio: qua tunc fuerit regia: & urbis celebritas. §. IX.

Sub Alberti initia, seditione sedatur Buda. §. X.

Quid eius mortem intempestiuam exceperit? Wladislaus Polonus, Budam subit: celebratur isthic conuentus, Széchi insultationes: pestilentia urbem depascens: pax, inter Wladislaum, & Elisabetham, hic conciliata: Poloni, ad Varnam occasus. §. XI.

Fit Buda, Iohannis Coruini, gubernatoris sedes: de tra-

dita ei, cum potestate, Buda, insignes Ordinum ad posteritatem, tabula: quid ex us condiscas. §. XII.

Iohannis Coruini ouationes, Budæ edita: Ladislaus posthumus, Budam adit: primo sine noxa: postea, euentu funesto: cades Ladislai Coruini, sedat urbem: res ad tumultum proclius: Matthias, captiuus Pragam ducitur. §. XIII.

Mors Ladislai: non fuisse veneno sublatum, peculiari Wladislai diplomate, in eam rem edito Bohemice, docetur. §. XIV.

Budam, quo habitu induerit, fatum Ladislai: Coruinus, ex captiuo rex, Budam subit, ingenti pompa: regiminis eius exordia: non caruerunt omine. §. XV.

Buda, perpetua inde Matthiæ sedes: excolit urbem, & regiam: facit totius regni bulenterium: nuptiarum cum Beatrice solemnia: pompa ordo: regis sponsi: & sponse habitus: Iudæorum celebritas: Christianorum occurrentium plausus: equestre praludium: ingressus in urbem. §. XVI.

Epule pronuba: adparatum luxus insolens: ferculorum magistri & latores: saltationes, multo, quam hodie, modestiores. §. XVII.

Oble-

Obleclamentorum genera alia: concursus equestres: nuptiarum dies & solemnia: ceremonia ecclesiastica: regale conuiuium: ferculis duodecim instructum. §. XVIII.

Cur hæc suscipere auctor: Matthiæ, post nuptias, ingenium: qua hinc Budæ incrementa: Hungarorum, in adscitam a rege peregrinitatem, murmura: Coruini excelsus animus: mala, que extera delicia, in Hungariam inuexerunt. §. XIX.

Qualem post se, Matthias reliquerit Budam: Boulinii verbis exponitur. §. XX.

Parcior ei Bibliothecæ Budensis mentio: describitur ea ex Oláho: caput eius præsulis atate decrescere. §. XXI.

Naldi Naldii, de laudibus Bibliothecæ Budensis, ad Matthiam epistola, & Carminum, libri IV: Matthiæ, de litteris, & per has, de Hungaria, bene merita: ingeniorum eius atate prouentus: Budæ celebritas, his studiis conciliata: exterorum dona: leones a Florentinis missi: Iani Pannonii, de iis epigramma: intereunt, rege mortuo. §. XXII.

Matthiæ, in ciues benignitas: & excandescencia: eius exemplar, laconica epistola, expressum: mortuo Coruino,

Budæ decremata: epitaphia, a doctis ei posita. §. XXIII.

Quibus, post Coruini fata, malis adstricta sit urbs: arcis, ex urbe obsidenda consilium: infelix, Iohannis Coruini, ex arce, demigratio: diripiuntur Matthiæ thesauri §. XXIV.

Wladislaus, Buda, rex declaratur: eius in urbem ingressus: Budæ imminet Maximilianus: munitur a Bátorio, & Kinisio. §. XXV.

Wladislaus, comitia Buda celebrat: Beatricis, ob matrimonium regium inquires: Alexandri VI. ea de re, seueriores ad regem litteræ. §. XXVI.

Wladislai desidia, Budæ noxia: lubenter isthic sedes habuit: ostentum Budæ honorificum: pestilens in urbe contagio. §. XXVII.

Nona iterum comitia Budæ celebrantur: quibus rex, Beatricis nuptiis renunciauit: femina hinc concepta indignatio: eius icon: ex Hungaria discessus, & mors: Wladislai pena. §. XXVIII.

Seuities Budensium in Iudæos: presentissimis suppliciis sedatur. §. XXIX.

Sigismundus, Polonia Rex, Budam accedit: nuptiæ Wladislai, cum Anna Aquitanica, Buda celebrata:

A a 3

mois

mors regina: contentus regis.

§. XXX.

Causse, occasus Hungariæ Budæque: verbis Herbersteinii, describuntur. §. XXXI.

Excedit Buda, Wladislaus, metu pestilentia: factus ma-

trimoniorum, cum Casare: dies regis supremus: de eo, lugubres Ludouici, ad Sigismundum, Regem Poloniæ, litteræ. §. XXXII.

Ludouicus puer: eius tempore, qua Buda facies? §. XXXIII.

§. I.

Budæ exordia, Præpositi Veteris Budæ, adhibentur:



BUDA NOVA, quæ arce collina, & subsita Hydropoli definitur, vel ipso vocabulo, recentiore ætate prodit, quam id vulgo, & a doctis, creditur. Prima eius exordia, uti fit in re omni, tenuia fuere, atque non tam a consilio, quam forte, profecta. Ac mons quidem ipse, cui moles infedit, Pestiensis olim agro fuit adscriptus, sed obnoxius Præposito Veteris Budæ, ad sacram D. V. M. ædem: quippe cui, reditus ex Pestiensis traiectu, qui sub monte erat instructus, a GEYZA M. uti dictum est superius, adtributi fuerunt. Hoc ergo, siue iure fretus, siue occasione illectus alia, Præpositus, BELA IV. rerum potente, in monte Pestiensis, multo ante Tartarorum impressionem, animi causa, castellum posuerat, rudique opere, ne pateret latruculis, præmunerat. Patuit vero postea, non sine numine, cœptum fuisse opus, quando, grassantibus, per Hungariam, Tartaris, nuperum castellum, quod mirere, retudit adfultus hostium, ac mansit intemperatum, dum gens maleficientissima, Hungaria iterum demigraret. BELA demum, regno, quod pessunderant Tartari, quomodocunque redintegrato, loci, ad muniendum idonei, adductus opportunitate, anno MCCXLVII. urbem heic moliri, occipit, circumducit mœnia, designat arcem, vicos instruit, omnique, qua potest, ope, eo committitur, ut non habitatu modo commodam, sed, reiiciendis etiam hostibus, si ingruerent denuo, suffecturam, quam primum perficeret. Successerunt, pulcherrimæ, & prorsus regis destinationis initia, atque procellere eo vsque, ut nemo non, crescentis molis subitanea incrementa, miraretur. Sed, dum maxime feruet opus, BELA, rebus humanis eximitur, magno Budæ surgentis malo: quando sequuti reges, STEPHANVS, & LADISLAVS Cumanus, bellis ille; hic, suis præterea cupiditatibus, irretitus, non potuerunt in opus incumbere. Nihil horum legas in actibus BELAE IV. quemadmodum eos memoriæ prodidere historici. Ex scripto quodam, Veteris Budæ erudato, laudatus TIMON (c.) auctor est. Ante bellum, inquit, Tartaricum, in hoc monte, castellum quoddam excitauerat Præpositus Budensis; ubi, cum sortasse hostiam vim elusisset, BELA,

e.) Loco citato p. 98. seqq. ad annum MCCXLVII.

Bela IV. urbem exadificat:

unde id constat?

LA, opportunitate loci visa, tandem urbem condidit. IOHANNES R. amulius FERDINANDI I. locum muniens, deceptus communi opinione, capita ATTILAE & BVDÆ, in propugnaculo adiacenti templo, hodie Societatis IESV. exposuit. LADISLAVS TURÓCZIVS, montem, in Præposito fuisse potestate, adductumque amœnitate loci, castelli quidpiam isthic exadificasse, memorat. Ita vero ille habet, ne nos in re, nuper detecta, testimonia deficiant. Initio, montem hunc, Præpositus Budæ Veteris, possedit. arripit homini per amœnus loci situs: ergo, castellum locat, & munitionem. Huc ille, animi causa itare; & si ita res exigeret, etiam opes suas recondere. Pauci, interea labuntur anni, & ecce! totam Tartaris inundat Hungariam, anno MCCXLI. cuius ut furori sese subdicerent nonnulli, castellum illud petierunt, & amplius firmarunt. Stetit inconcussum, cadente ferme Hungaria, & omnem hostis elusit vim, ac rabiem. hinc loco habitus honor, & æstimatio. Quare, pacatis subinde rebus, BELA IV. animum adiecit, urbem monti imponere, camque diligentia, quanta posset maxima, in futura regni pericula, comparare. Itaque, quod bene superi Hungariæ vertant, Nouæ Budæ fundamenta ponuntur: valla, cum muris, exsurgunt: ades, ac domicilia, montem complent. Sed modicus erat rebus splendor, uti initia omnium secum ferunt. Triennium prope, operas BELAE regis Buda habuit. Hactenus TURÓCZIVS. PETRVS DE RÉVA (d.) auguratur, sacram Coronam isthic tunc, aut Wissegrádi, fuisse, a Tartarorum præda, seruatam. Sed fallitur, quando Budam regiam adpellat, quæ nulla tunc fuit.

§. II.

VT e viuis excessit BELA IV. adhæscere Budæ, incrementa, siue, quod bellis distinebantur reges, quod de STEPHANO V. certum est; siue, quod lubricis obsecundantes, id quod LADISLAUM Cumanum fecisse diximus, haud erant solliciti, de regni, & urbium accessionibus. Ergo, sublitit urbis fortuna, in primis initiis. Apud TIMONEM (e.) mentionem reperio, ad annum MCCLXXIII. Comitibus Waltheri de Castro Buda. ut pronum sit coniectatu, iam tum eo fuisse robore, ut potuerit, debucritue, præsidio regio teneri. Varia tunc Budæ nomina fuere. Adpellabatur nimirum, *Castrum Budense*; *Nonus mons Pestiensis*, atque interdum, *Arx Pestiensis*. Eam ob rem, *Pestum* quoque, *antiqua Pest*, scilicet, ciuitas, seu villa regia, dicebatur. Hinc ergo intelligi potest, quid sibi velint eius temporis chartæ, quæ aiunt, SIGISMUNDVM arcem *Pesti* excoluisse. Diu hæc adpellationes obtinuerunt, roboratæque sunt, plurium Pontificum tabulis. BONIFACIVS IX. qui anno MCCCLXXXIX. pontificatum (f.) adiit, fato de-

Suffraganeus Budæ incrementa:

varia eius nomina:

d.) Coronæ Hung. seu Rerum Hung. Cent. IV. p. 16.

e.) Synopsis Nouæ Chronol. Pars II. p. 6.

f.) Vide PLATNAM, de Vitis Pontif. p. m. 612. seqq. & ALEXANDRVM NATALEM, Hist. Ecclesiasticæ Tomo VII. Cap. II. Artic. IX. p. 64. edit. nouæ Parisiensis An. 1714. fol.

demum, anno MCCCCIV. functus, in ea bulla, qua *Præposituras, Abbatias, & Parochias*, ab ordinarijs exemptas, & Metropolitano subiectas, Archiepiscopo Strigoniensi, tunc *Demetrio Cardinali*, adfirmavit, diserte inter alios, *S. Gerhardi, de suburbio oppidi Budensis, alias Novi Montis Pestiensis*, meminit; anno pontificatus sui XI. hoc est, post Christum natum MCCCCI. cum rerum SIGISMUNDVS potiretur. Rata hæc omnia habuit, PIVS II. anno MCCCCLXIV. cuius verba retinent adhuc, *Novi Montis Pestiensis*, mentionem. *Beate, inquit, Mariae Virginis, S. Mariae Magdalene in oppido Budensi, alias in Nouo Monte Pestienfi; S. Petri & S. Gerhardi, in suburbijs eiusdem (g.)* Non ab re, cum hæc recitasset, monet TIMON: *Oppidum adpellat Romana curia, omnem urbem, carentem episcopo, quamvis sit metropolis: amoliri scilicet voluit, ab vrbe regia, iniuriam, quod oppidum, Pontificum uterque, adpellarit.*

§. III.

PEculiare est, quod iam adnotabimus. LADISLAVS Cumanus Be-
le IV. ex Stephano V. nepos, quod liberius viueret, non Hun-
garorum modo, sed Romani etiam Pontificis, indignationem
meruerat. Missus, reuocando, a vagis libidinibus, regi, *Philippus Fir-
mianus*, sedis Apostolicæ legatus, cum, neque leni oratione, neque
inreparatione duriori, quidquam, apud regem, Cumanarum femella-
rum illecebris, perditum, proficeret, Concilium *Budæ* habuit, vibra-
uit fulmen, regi, & qui cum eo faciebant, sacris, aqua & igni, in-
terdixit. Meminerunt *cenfurae huius ecclesiasticae*, scriptores (b.) concilii
nihil quidquam. Itaque, vt, partim celebritati vrbs velificetur,
partim, ignoratos, vulgo, canones, palam collocemus, rem, ab
idoneis auctoribus, memorie proditam, recolemus. Integrum *Budense*
Concilium, ex codicibus manu exaratis, Vaticano altero, altero
Vallicellano, ODORICVS RAYNALDVS (i.) primus omnium, luci publicæ
exposuit: canones demum, in compendium misit, ALEXANDER NATALIS,
cuius operam, nostram fecisse iuuat. Ita vero ille (k.): *Anno Millesimo,*
Ducentesimo, Septuagesimo Nono, Philippus Firmianus Episcopus,
in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rama, Seruia, Lodome-
ria, Gallicia, Cumania, Sedis Apostolicæ Legatus, Nationale Concilium
in Castro Budensi, Vespriensis Diocesis, celebrauit, die XIV. Septem-
bris, in quo, Sexaginta nonem, editi canones. I. II. III. IV. V. VII.
VIII. XI. & XII. statuunt de habitu, vita & honestate Prælatorum,
omnium

- g.) Habes utramque *Bullam*, in Synodi
Parisiensis Appendice III. p. 136.
1099.
h.) THYRÓCZIVS P. II. Chron. Cap. LXXX.
p. 79. BONIFATIUS Dec. II. Lib. VIII.
p. 305. quem lege.
i.) Ad calcem Tomi XIV. Annalium Ecclē-
siasticorum.

k.) *Historie Ecclesiasticae, Vet. & Noui Te-*
stamenti, Tomo VII. Cap. VI. Art. XXXV.
p. 186. b. editionis Parisiensis, A. MDC-
CLIV. fol. Fuit vero ALEXANDER, Ord.
FFr. Prædicat. Prouinc. Parisiensis
Prouincialis, & in sacra Facultate Pa-
risiensi, Doctor & Professor.

omnium Clericorum. VI. Vt Episcopi, ex Religiosis Ordinibus assumpti,
vel deinceps assumendi, sui Ordinis habitum deferant: alioqui Ecclesie
ingressu, & Pontificalium executione, prohibeantur. IX. vt Clerici, sen-
tentiam sanguinis non ferant vel dicent; nec rerum capitalium Iudicijs
interfint. X. Vetat, ne Archidiaconi & alij rectores Ecclesiarum, suas,
Laicis, vel Clericis uxoris, Vicarias committant. XIII. Reuerentiam
in Diuinis officijs imperat. XIV. Vetat, ne Prælati Ecclesias vel Paro-
chias visitantes, immodicis illas sumptibus grauent. XV. Ne quis Be-
neficium Ecclesiasticum de manu Laicorum recipiat. XVI. Vt Plebani,
Rectores & Capellani, Parochialium Ecclesiarum in ipsis deseruiant, per
se ipsos, & non per Vicarios, sub pena priuationis fructuum. XVII. Con-
iurationes Clericorum dissoluit, prohibetque, sub penis excommunicatio-
nis & priuationis Beneficiorum. XVIII. & XIX. De officijs, cultu,
& ornatu Presbyterorum Parochialium, & Clericorum ceterorum, ad
Synodum euntium, decernunt. XX. Vt omnes curam animarum habentes,
infra annum sacrum Presbyteratus Ordinem suscipiant, sub pena pri-
uationis Beneficiorum. XXI. De Eucharistia & oleo sancto sub fidei cu-
stodia, clauibus adhibitis conseruandis. XXII. Diuinum Officium cum
diurnum, tum nocturnum, distincte & deuote a Sacerdotibus celebrari
præcipit. XXIII. Intrusos in Beneficia excommunicatione percellit, & ad
fructuum restitutionem compelli iubet. XXIV. Prohibet, ne Viri Ecclē-
siastici agant, respondeant, vel fideiubeant, aut se astringant, vel obli-
gent coram Iudice seculari, nisi de his, quæ ad seculare, non ad Ecclē-
siasticum forum spectant; Iudices, qui ipsos, contra priuilegia Clero in-
dulta, ad agendum coram se compulerint, excommunicatione percellit.
XXV. Ne Clerici, de personalibus iniurijs, vel elemosynis Ecclesie factis,
coram seculari Iudice litigent, absque Episcopi sui licentia. XXVI. Ne in
domibus suis habeant prolem, in sacris Ordinibus susceptam, aleas, vel
taxillos: utque eorum filij, maioris Ecclesie serui sint. XXVII. Ne
reliquia Sanctorum, extra capsam ostendantur, vendantur, aut recens
inuente, publicæ venerationi exponantur, nisi prius auctoritate Romani
Pontificis fuerint approbata. XXVIII. De Concionatoribus, & quæsto-
ribus recipiendis statuit, certis legibus. XXIX. & XXX. Ne res Ecclē-
sie pignori obligentur, nisi pro Ecclesia necessitate, de licentia Episcopi,
multo minus donentur. Obligationes, atque donationes huiusmodi, Syno-
dus irritas dicit. XXXI. Ne Clerici, absque licentia Episcopi sui, pere-
grinentur, sub pena suspensionis. XXXII. Ne ignoti, ad sacra mini-
steria admittantur. XXXIII. Ne Parochiani, Ecclesia sua Parochiali re-
lieta, vel contempta, ad alias Ecclesias, cuiuscunque sint Ordinis, reli-
gionis, aut status, ad audienda Diuina Officia, speciatimque Missam
Dominijs, & festiuis diebus, conueniant, nec in illas admittantur, vel
ipsis ministrantur Sacramenta ab alijs, quam a Parochialibus Presbyte-
ris; nisi forte, causa deuotionis maioris aliqui, circa hoc, a Sede Apo-
stolica, priuilegio, aut indulgentia speciali muniti sint. Parochiani
hoc statutum violantes, a perceptione Sacramentorum: qui ve-

ro Parochianos alienos ad Diuina receperint, vel eis Sacramenta administrauerint, ab executione suorum Ordinum, suspenduntur: & qui Parochianos alienis hoc modo suspensis, administrare Sacramenta præsumpserint, excommunicatione percelluntur. XXXIV. De rationibus reddendis ab omnibus, qui Ecclesiastica bona administrant. XXXV. De mutuo ab iis non dando, vel accipiendo, ultra certam summam. XXXVI. De bonis Ecclesiasticis, non alienandis. XXXVII. De Ecclesiis, nouis exactionibus non grauandis, deque veteribus pensionibus non augendis, decernunt. XXXVIII. Statuit ut Archidiaconi in Hungaria & Polonia, non instituuntur, nisi qui Iuri Canonico per triennium operam dederint. Rationem huius Statuti Synodus profert: quia tam de iure, quam de generali consuetudine, multarum Ecclesiarum Archidiaconi, Iurisdictionem habent, causas matrimoniales, & plerumque alias audiendi, examinandi, atque decidendi. XXXIX. Ut causa Matrimoniales, uiris granibus, honestis, & Iuris peritis committantur. XL. Prohibitiones, Iuramenta, Sententias, vel Censuras, quibus nonnulli Praelati, cum seculares tum regulares, subditos suos impediunt, ne Superioribus Ecclesias aut Monasteria sua uisitantibus, earundem Ecclesiarum, aut Monasteriorum, personarum ac rerum statum reuelent, penitus irrita declarat. XLI. Profanam suppellectilem in Ecclesia seruari uetat. XLII. Presbyteris iubet, ut Manuale, aliosque libros Ecclesiasticos habeant. XLIII. & XLIV. Choreas in Coemeteriis, aut Ecclesiis duci, vel ciuiles causas agitari, aut uigilias fieri uetant a Laicis. XLV. Canonicos, & ceteros Clericos Beneficiatos, qui in suis Ecclesiis Horis Canonicis, matutinis saltem, Missae, vel Vesperis non interfunt, stipendiis priuari statuit. XLVI. Uetat, ne consuetudo, qua Archidiaconi Hungaria marcham argenti exigebant, antequam interfecti, aut ueneno extincti, sepultura traderentur, extendatur ad alios, fortuitis casibus interemptos, qui poenitentes obierint; uel in morte signa poenitentiae dederint manifesta. XLVII. Publicos concubenarios, Ecclesiae ingressu prohibet. XLVIII. Christianis omnibus uetat, ne domos suas uel possessiones, publicis meretricibus, adulteris, incestuosis, aut aliis insanius personis, locent, uendant, uel donent: alioqui, ab Ecclesia ingressu arceantur. XLIX. Uetat ne bona morientium Episcoporum, & aliorum inferiorum Praelatorum, uel Ecclesiarum vacantium, a Laicis, occasione Iuris Patronatus, uel quouis alio praetextu occupentur, sub poena excommunicationis, donec occupata uel subtracta restituerint. L. Alienationem bonorum Ecclesiae, sub eadem poena prohibet. LI. Ne seculares uel Ecclesiastici Patroni, sus Patronatus, quo in quibusdam Ecclesiis aut Monasteriis fruuntur, aliis Ecclesiis aut Monasteriis donent, absque licentia & assensu Episcoporum, aut Praelatorum, in quorum Diocesi, uel Iurisdictione, Ecclesia uel Monasteria ipsa, constituta sunt. LII. & LIII. Ecclesiarum, Monasteriorum, & bonorum Ecclesiasticorum, inuasores, anathemate feriunt. LIV. Iudices Ecclesiasticos, qui gratia aut pecunia corrupti, iudicauerint, per annum, a Iure dicendo suspendit. LV. Excommunicatos, ab agendo, patrocinando, aut ferendo testimonio, repellit. LVI. Exceptionem rei iudi-

dicatae, per Ecclesiasticum Iudicem, in causis, qua sunt Ecclesiastici fori, a seculari Iudice admittendam; & pariter exceptionem rei iudicatae, per secularem Iudicem, in causis, qua sunt fori secularis, ab Ecclesiastico Iudice recipiendam, statuit. LVII. Ut seculares, & Ecclesiastici Iudices, mutuum sibi impendant opem, ad eos coercendos & ad officium reuocandos, qui suae Iurisdictioni non parent. LVIII. Laicas Potestates percellit, qua in causis Ecclesiasticis appellationem ad Superiores, & maxime ad Sedem Apostolicam, prohiberint. Regem ipsum & Reginam Hungariae, si forte illas impederint, Ecclesia ingressu prohibet: Duces, Barones, & alios inferiores Iudices, excommunicatione ferit. LIX. & LX. Ecclesiarum, & Virorum Ecclesiasticorum immunitatem a tributis, pedagiis, uetigalibus, &c. asserunt. Sexagesimus primus, & quinque sequentes Monasticam sanciant disciplinam. LXVII. Excommunicationis, & Interdicti sententias, a Praelatis latas, iubet, ab omnibus obseruari. LXVIII. Vinearum, & agrorum depopulatores, excommunicatione ferit. LXXIX. Iurium, & bonorum Ecclesiasticorum inuasores, coercet. Haec tunc Buda sancita fuerunt. Sed, parum, hac Synodo, profecisse FIRMIANVM, in ea regis, ad promiscuas libidines, propensione, inde constat, quod censura Ecclesiastica, ac forte litteris (l.) etiam NICOLAI III Papae, irritatus, in vincula coniecerit, saniora monentem. Breuiter TIMON: (m.) Hic, magis irritatus Ladislaus, legatum in vincula coniecit; & ipse, haud ita multo post, in custodia honesta, a proceribus adseruatus. Tantum est, scelere, uictas semel dedisse manus!

quem si reuoces subsistere nescit,
Et te contempto rapitur, metisque relicto.

§. IV.

Successerat Ladislaus Cumano, ANDREAS III. multarum laudum rex, nisi perturbassent consiliorum rationes, qui ei contraibant. Fautit ille, urbibus cum primis: quod intelligeret, earum florem, ad regni decus, permultum adtinere. Etiamne uero in Budam aliquid contulit regalis munificentiae? Certe dicere non habeo, nisi ad sint diplomata. Si tamen, ex more eius, ducendum argumentum est, ita reor, non reliquisse benignitatis suae expertem; quando limitaneos Austriacis, Pisoniensis, non uno beneuolentiae genere, prosequutus est: sicuti diximus suo loco. Alioquin, beneuolentiae in urbem indicium, quod uiuus dare nequirit, mortuus dedit: quippe isthic sepultus: nisi Budam ueterem maui substituire. Interit ex ueneno, inquit scriptor nouus, anno MCCC. quarto Ianuarii, Budeque sepelitur, in aede S. Iohannis Euangelistae, apud Minores. Nihil de ueneno THOROCZIVS inuenit. Post ANDREAM, factu suo functum, atque adscitum in regnum, WENCESLAVM Bohemum, si-

Bb 2

ue

l.) Habes eam mentionem, in vita NICOLAI III. apud ALEXANDRYM NATALEM, eodem Tomo, Cap. 1. Art. X. p. 30. B.

m.) Loco cit. Part. II. p. 7. Nihil de ea legati captiuitate BONFINIVS Dec. II. Lib. VIII. p. 305. 35. ubi fusa uita regis, & FIRMIANI actus, describit.

euentus.

Andreas III. erga Budenses, uoluntas:

an isthic sepultus?

res Budenses sub Wenceslao:

ue Optimatum, siue *Budensium* ciuium, maleficio, an incuria, factum est, ut nouum, a Sede Apostolica, fulmen, in *Hungaros* eubraretur. CAROLVM, Pontifex, regem Hungaris, non iniuria, obtrudebat: quippe, sanguine Hungarico fatum. Reiecere hunc, semel iterumque, Ordines, nil pensi habita comminatione *Apostolica*. Ergo, e re visum est BONIFACIO VIII. ut legatum, ad Hungaros, expediret, edomandae perniciosa causa. Mittitur NICOLAVS, Cardinalis Ostiensis, ut gentem, anathematis seueritate, percelleret. Legatus, simul *Budam* accessit, vix quidquam, per dies aliquot, curauit diligentius, quam ut antistitum, & optimatum, dissidentes animos, ad concordiam reuocaret. Multo labore, haud profecit amplius; quam quod, non vno documento didicerit, non alias, quam pontificio fulmine, percelli posse animos Hungarorum, monitis eantium in contraria. Ergo, cum & operam, & oleum perdidisset, decedere Hungaria prius noluit, quam *Budensibus*, templis, sacris omnibus, aqua & igni, interdiceret. Hoc ubi fecit, *Romam*, infecta re, abiit. Putasses, fore, ut a pertinacia remittant Hungari: quod illi adeo noluerit, ut facinus etiam perpetrarint, nullis non annalibus memorandum. De eo BONFINIVS (n.): Hinc, inquit, pra indignatione, longe maius facinus exortum. Nam, quum sacerdotes interdicta sacra seruarent, parerent pontificiae censura; tunc plerique insurrexere pseudo-presbyteri, qui, ut Pontifici, parem vicem redderent, ceterosque a vero pastore diuerterent, profano, execrabilique edicto, Summum Pontificem, cum ceteris antistitibus Hungariae, non modo sacris, verum etiam aqua & igni, publice interdixere, atque, alta voce, hos omnes, profanos, & humana consuetudine indignos esse praedicabant. Edictum, rite, in solemnibus celebrata, promulgatum. Plurimum ergo fuit facinus, non vnus populi *Budensis*. TIMON (o.) ita rem narrat, ut solis *Budensibus* crimen impingat. Fr. Nicolaus, Ord. Prad. Card. Italus Tarvisinus, apud Ordines seculares, frustra perorat. Cives *Budenses*, cuiusdam criminis reos, interdicto subiicit. Cives contra, omnes episcopos, & Ordines sacros, inferis deuouent. THOROCZIVM (p.) sequuntur credo, qui addit: Hoc factum est, castrum *Budense*, quodam Petermanno regente, quem pro *Ladislao* captiuo, rex praefecerat *Wenceslaus*. Fuit vero LADISLAVS, (q.) Vernerii filius, *Budensium* praetor, a WENCESLAO, quod CAROLO propalam fauebat, coniectus in vincula, & cum puero rege, abductus in *Bohemiam*. Haec, post initia seculi decimi quarti, euenerit.

§. V.

Resedit *Buda* WENCESLAUS, posteaquam *Alba*, ritu patrio, inauguratus est; sed reses omnino, quando optimam aetatem, sua, an rectorum culpa, vino corruptit, & id genus illecebris iuuenilibus.

n.) Decade II. Lib. IX. p. 315, 17.

o.) Synopsos Chronologicae Nouae, Parte II. p. 17.

p.) Chronici Hung. Parte II. Cap. LXXXV. p. 82.

q.) Idem ibidem Cap. LXXXV.

uenilibus. Incesserat, inquit DVBRAVIVS (r.) patri *Wenceslao*, metum, vita filii, dissolutior, quam inerti otio, vinoque, & prodigijs epulis, fere quotidie transgebat, ne hac adsuetudine postea desistere nollet. Ergo, absportatus, cum diademate, in *Bohemiam*, locum fecit, nouo regi, OTTONI *Bauaro*. Petermannus certe, qui pro absente rege, *Buda* moderari debuit, inualecente procerum factione, minime omnium profecit. WENCESLAUS, inquit laudatus DVBRAVIVS, non Coronam solum, verum & filium, secum in *Bohemiam* absportauit, Petermanno *Buda* relicto, qui praefecturam, velut antea, tum arcis, tum urbis, gereret. Sed, breuis regni quies, remoto rege, mansit. Nam, praefectus, ad sedandos grauiores tumultus, inualidus, & praeterea, ciuibus, per auaritiam, sicut proceribus, per contemptum, inuisus. Ergo, in unum consulant, ut nouum sibi regem *Budam* inducant, quem Carolo, eiusque factioni, opponant; placuitque Otto, *Bauariae* princeps, tam dignitate, quam opibus, regni *Hungariae* capax. OTTONE certe, gloriosorem regem *Buda* haud vidit. Nam, post inaugurationem, *Albae* Regali peractam, *Budam* veniens, ac sacrum diadema gestans, cum equitatu maximo, se per plateas, & compita, populo spectandum exhibuit, se regem, etiam per vicos, & suburbia, passim ostentauit. vir, usquequaque gloriosus, futilis, & consilii parum compos. Ita BONFINIVS (s.) & eo antiquior, THOROCZIVS (t.). Proinde, quasi auersata esset, puerilis ingenii regem, *Buda*, numquam, post haec solemnia reuidit: quippe, captum a *Transilvano*, neque dimissum ante ad suos in *Bauariam* (u.), quam & diademate, & regno cederet. Quae dum fiunt, *Ladislavus*, quem captiuum in *Bohemiam*, a *Wenceslao* deductum, nunc memorauimus, captiuitate liberatus, tertio forte post anno, in *D. Petronella* solemnibus, *Budensem* arcem, cum *Iohanne*, filio *Chaaak*, clam, per eam portam, quae *Synagoga Iudeorum* fuit proxima, ingreditur. Ingens hinc orta caedes: arce etenim potitus, complures eius, qui se apud *Wenceslaum* derulerant, ex insidijs adortus, obruncat. Tumultu audito, Petermannus, vix nudus euasit. Itaque, vacua praetore urbe, grassari *Ladislavus* eo sidentius, & infestos sibi, adoriri: duos senatorii ordinis viros, ob illatas iniurias, pridem inuisos, caudis equorum adligari, raptarique, per urbis compita, posteaque, foedum in modum discerpi, discerptos rogo imponi, eorumque facultates, referti in suas rationes, iussit. Mox, & in eos sacerdotes, sed mitius tamen, aduertit, qui, sprete, *Nicolai* Cardinalis, censura, mysteria facere sustinuerant. Comprehensos scilicet, atque manicis pedicisque, vinctos, *Thome Strigonienfi*, ex sacrorum canonum praescripto, puniendos tradidit: perpetua demum inedia, atque carcere confectos. Illa (v.) tunc, partim litatu-

Bb 3

rus

r.) Historiae Bohemicae, Lib. XVIII. p. 152, 3.

s.) Decade II. Lib. IX. p. 315, 46.

t.) Parte II. Chron. Hung. Cap. LXXXV. p. 82.

u.) Mitius haec omnia ab AVENTINO narrari videas, Annal. Boiorum. Lib. VIII. p. 738. seq.

v.) BONFINIVS l. c. p. 317. 15. item THOROCZIVS, in lib. Cap. LXXXVIII. p. 83.

Pontificis
in eius se-
ueritas:horum
inauditum
facinus.demigra-
tio, una
cum coro-
na:Ottonis,
apud Bu-
densem in-
solentia:caedes, &
tumultua-
tio, a La-
dislao Wer-
neri filio,
edita.Alba
Wence-
slai:

rei gesta
narratio:

repararent dignitatem pristinam, ad astum conuersa, insidias struere coeperunt. quas, tacitis curis agitantibus, *Palatinus*, necem regis suggerit, virum, patrandi facinori idoneum, *Blasium* nominat, cetera, rem, quam secretissime haberi, rogitat. Nihil, *Elisabetha* (z.) cum primis, accidere poterat gratius. Ergo, *Carolus*, ad se in regiam inuitat, litteras, a *Sigismundo* aduolasse, simulat, quibus conditiones pacis, inter vtrumque ineundae, perscribantur. Venit, incautus rex; mox & *Palatinus* adest, quasi ad nuptias filiae abiturus, absentiae veniam, apud regem deprecatur. Fuit, in eius comitatu *Forgachius*, ense, sub chlamyde, instructus, insignis adhuc armatorum manus, pro regiae foribus, relicta. Intrauit ille conclave, cum *Palatino*; hi extus stationes *Italorum* obseruabant, vt, si ederetur caesi regis signum, occuparent praetorii aditus. Vix inter *Elisabetham*, & *Carolus*, de *Sigismundi* litteris, colloquium inierat; cum *Gara*, finitler regi adsidens, *Blasium*, limo oculo, edendi facinoris commonet: cum ille, nihil cunctatus, strictum ensen, omni, qua poterat, virium contentione, in *Carolus* vibrat, caput ferit, atque cranium, ad oculos vsque, diffundit. Rex, accepto lethali vulnere, suorum opem inelamat. Concurrent, audito clamore, *Itali*; sed vulnere conspecto, metu propemodum confecti. *Blasius*, madentem cruore ensen, in vtrumque latus, furenti similis, versans, per medios, euadit. Eo successu, laetus *Palatinus*, militem, quem ad simulandum officium, secum adduxerat, & pro porta, conscium facinoris, reliquerat, in arcem immittit, *Italos*, statione depellit, constituit rite excubias, *Carolus*, admoto vulnere pharmaco, *Wissegradum*, captiuum mittit: illic breui post, siue ex vulnere mortuum, siue, praefocatis faucibus, necatum (a.). Quae vero inde, rerum, in vrbe, facies? *Nondum* illucescente die, inquit *BONFINIVS* (b.), innumera multitudo, ex proximis pagis oppidisque, conuenit, quae Budam ingressa, magno clamore, *Mariae* regi feliciter! ingeminat; *Diui Ludouici* filia, feliciter! *Sigismundo* viro, feliciter! tyranno *Carolo*, eiusque fautoribus, exitium imprecatur. Mox, ad rapinas conuersa, in *Italorum* edes, qui multa in *Pannoniis* negotia habebant, impetum facit, nec aetati, nec sexui, parcit, fortunas diripit. Ex amicis *Caroli*, quicumque occurrunt, passim obtruncat, mulierum contumelias, grauiter ulciscitur, cadibus, per vicos & fora, grassatur. Et multo crudelius omnino sauiisset, nisi *Iohannes*, *Croatiae* *Banus*, in tanto furore, intercessisset. Hic enim, cum validissima manu, portam *Sabbathi*, non sine cruentissimo certamine, occupauit. Iste *CAROLI* exitus (c.), illa tunc vrbis calamitas fuit. Non est hic dimittendus, *Thuróczi*, *Bonfinii*, & vniuersim, peruulgatus omnium error; *Blasium* *Forgach*, in facinoris praemium, arcem *Ghymes* accepisse, a reginis. Profecto, non est ita, quod ad eius arcis mentionem;

a.) Viduae *Ludouici*, quam saepe iuniorum dici legas, vt a marre, quae in *Pulauia*, octogenaria maior, fatis concesserat, discriminareretur. b.) Decadis III. Lib. I. p. 363, 27. c.) Decadis III. Lib. I. p. 363, 27. d.) Faedatus patricidio hoc fuit annus MCCCXXXV. d. III. Febr.

vrbs inde
orta cala-
mitas:

nem; sed & apud *Gatsum*, refellimus. Ferunt, aeclamasse, *Elisabetham*, *Forgachio*: *Vagd, vagd Forgach! Tied leszen Ghymes es Gats!* hoc est: *Caderet strenue Carolus Forgachius, in praemium sibi, Ghymes (d.) & Gats, datum iri.* Certe enim *Ghymes*, iam *BELAE* IV. temporibus, in *Forgachiorum* potestate fuit; castrum autem *Gats*, a *Sigismundo* *Forgachio*, *Palatino*, cum ante *Losontziorum* esset, iure nuptiarum partim, partim regum indulgentia, ditioni eius gentis, adiectum est.

Ghymes, & *Gats*, non sunt praemia, patenti a *Forgachio*, diu factuoria.

S. VIII.

Timidius postea *Buda* agebant reginae, saltem regnabant, quam credidisses, remissius: siue, quod facinoris conscientia, exdebat miseris; siue, quod tanto maleficio, parum ad popularitatem profecerant. Nam, est hoc damnandum in vulgi moribus, vt, quod nunc vehementer concupiuit, reiciat iterum, auerseturque, tanto pertinacius, quanto vehementius, in contrarium rapiebatur antea. Neque poterant sane, vindictam numinis declinauisse, quin immo, ibant ei obuiam, quando, suscepto in *Dalmatiam* itinere, mortem *Elisabetha*, vincula *Maria*, patrae cadis praemia, cum complicibus *Gara*, & *Forgachio*, repererunt: quae iam non habemus exprimere. Quis vero, ea tempestate, *Buda* habitus? Non poterant non, summa hic, imis permisceri; dum inaugurato, anno MCCCXXXVII. pridie *Calendas* *Apriles*, *SIGISMUNDO*, atque *MARIA*, elaborantibus *Venetis*, in libertatem adserta, sua, vrbi quoque, reddita est tranquillitas. Adhuc captiua detinebatur *Maria*, cum *SIGISMUNDVS*, post *Caroli* necem, ex *Bohemia*, quorsum, re dubia, profugerat, ignarus, quid reginis accidisset, *Budam* aduenerat. Certior hic, de eorum calamitate, factus, id in primis dedit operam, vt animos procerum sibi, qua precibus, qua pollicitationibus, conciliaret, sedaret vrbem, tanta rerum conuersione, prorsus concussam. Postea, de restituenda *Maria* sollicitus, *Zagrabiam*, inauguratus iam, concessit, eaque illic, cum *Veneto* comitatu, blandissime accepta, *Budam*, cum regina, feliciter rediit. Aliter, tota de re, commentatus est *BONFINIVS* (e.), quem non est opus morari, nos *TIMONEM* sequi maluimus. Redditus *Maria*, atque regno, *SIGISMUNDVS*, constitutaque domi pace, regiam non minus, quam vrbem, aedificis, vltra quam reris, magnificis, coepit excolere. Successit eo felicius, ornandae hoc vrbis institutum, quod a melioribus litteris, ducta sunt initia. Eum vero, anno MCCCXXXVIII. *Academiam* *Buda* condidit, quam *BONIFACIVS* *Papa*, editis tabulis, confirmauit, eiusque *Cancellarium*, *Veteris* *Buda* *Prapositum*, esse iussit. Sed, veterine, an nouae *Buda*, tantum decus adtributum? Pro illa

Qua bino reginas fortuna acciperit:

vrbs
perturbata:

pacantur a
Sigismundo:

eius in
vrbe
merita:

Acade-
miam hic
constituit:

Tom. III. Lib. I. p. 363, 27. d.) Arces sunt, illa *Nitricasi*, haec *Neo-* e.) Decade III. Lib. I. fine, & initio *gradicis* Comitatus. de quibus, Lib. II. suo loco.

facere aliquos, non me praterit; ego, huic velificor, cui ornandæ auctitandæque, SIGISMUNDVM, omnem impendisse operam, certum est. Multa demum intercessere, quæ, & regi molesta, & vrbi damnosa, exstiterunt. Huc eius captiuitatem, & bella, varie administrata, retuleris. Lubenter vero, cum erat qualiscunque cessatio, Bude diuersabat Sigismundvs. Sed, publica etiam regni Comitia, pleraque isthic, cum Ordinibus, concelebrabat. Auxit urbem ciuibus, prouiditque, data mercatoribus, vltro citroque commeandi libertate, vt in celebre emporium, breui euaderet, vrbs originis nuperæ. Atque, si fatendum sit, quod res est, mercatibus tunc in primis inualuisse Budam, existimamus. Indulserant Bude, reges antegressi, ius deponendarum isthic mercium, quod, SIGISMUNDVS quoque, ratum habuit. Aduerso vero eo, quod locupletentur quidem Budenses; sed, cum iniuria reliquæ Hungariæ: libertas ea, abrogata est, publico anni MCCCCV. comitio. Lex, quæ tunc perlata (f.) fuit, sic habet: *Licet ciues nostri Budenses, inter ceteras eorum libertates, tali libertate, per nostros predecessores ipsis largita, ac per nos confirmata, freti, & vsi hucusque dignoscuntur, vt puta: vt omnes & singuli, tam regnicola, quam extranei mercatores, vniuersas, & quaslibet, res mercimoniales, ac bona venalia, & commutabilia, tam descendendo, quam ascendendo, se in ipsorum ciuium Budensium medio deponere, ac depositas inibi vendere & commutare, ab indeque nullatenus alias abducere, neque deportari facere debuissent, & fuissent assueti. Tamen, quia nunc facta generali congregatione quarumlibet ciuitatum, oppidorum, ac liberarum villarum nostrarum Regalium, habito superinde consilio, visum & consultum extitit, vt ampliori fructuositate & roboriori statu, & communi bono Regni, & Regnicolarum, ac præcipue ciuium, & mercatorum nostrorum, ne propter utilitatem & augmentum vnus ciuitatis, tota regni nostri communitas, damnum & incommodum suscipiat, & nociuum recipiat detrimentum, vt omnes & singuli mercatores, nostri videlicet regnicola, de regno nostro exeuntes, & in regno nostro commorantes, vniuersas & quaslibet ipsorum res mercimoniales, & bona venalia, seu commutabilia, per totum nostrum Regnum, & extra ipsum regnum, quocunque, quotiescunque, & quandocunque voluerint, liberam, meram, plenam & securam deducendi, deferendi, pellendi, reducendi, deponendi, & depositas vendendi, commutandi, & abinde deferendi, & deduci faciendi, & cum eisdem, iuxta eorum voluntatem & libitum, disponendi habeant facultatem; non obstantibus quibuscunque libertatibus & privilegiis, dictis ciuibus nostris Budensibus, super præmissa rerum depositione qualibet datis, vel concessis, quas & quæ, quoad præmissa, ex certa scientia reuocamus, exceptis extraneis, qui teneantur in præmissis antiquam consuetudinem obseruare. Male rem tulisse ciues, coepisseque fræna mordere, atque etiam graues existere Sigismundo, euentus docuit. Ergo, fuit, cur, ciuium opes atque potentiam, haberet suspectam. Relatum nobis est, a rerum Hungaricarum peritis, non tam magni-*

f.) Articulo xi.

emporium:

quod abrogatur quoddammodo:

ciuium hinc enata offensa:

magnificentia studio, quam ciuium metu, regiam moenibus, arcem turri, instruxisse SIGISMUNDVM, vt esset, vnde territaret, dicto minus audientes. De his eius, alisque operibus, BONFINIVS (g.): *Referunt, inquit, principis magnificentiam, superbissima eius adificia, atque illa in primis, quæ Budæ statuit. Ante arcem, sacellum erexit, quod D. SIGISMUNDO dicauit. cuius quippe numini se peculiari religione fecerat obnoxium, idque amplissimo sacerdotum collegio donauit. Item, exadificauit in arce palatium, multum Romana referens antiquitatis: muro arcem obduxit, ambulacrisque amœnissimis exornauit, in specularie porticus speciem. In media fere arce, turrim (h.) amplissimam fundauit, e quadrato, veluti cetera omnia, lapide, quæ ad duo subdialia pertinet; sed morte præuentus, initum opus non absoluit. Hæc, pluraque alia, a SIGISMUNDO, Budæ, data sunt ornamenta.*

§. IX.

Porro, ad hanc SIGISMUNDI ætatem referimus, *Rascianorum*, in suburbanum, aduentum. Multa ei, cum GEORGIO, superioris *Mæsia* regulo, *Despotam* vocant, intercessit familiaritas. qua, inductus, Albam Græcam, *Nandor-Fejér-Vár* Hungaris dictam, SIGISMUNDO donauit. Alii metu, ingruentis Turcæ, id fecisse credunt, quando in *Sauis*, atque *Danubii* confluente sita munitio, non poterat non, fudes in oculis esse, grassanti, in Christianorum fines, hosti. Quin immo, obstrictam, officii hoc genere, SIGISMUNDO fidem, perpetuo se velle seruare, testatum voluit. Ergo, ne bene merendo, a Despota, vinceretur rex, multa ei castella, vicos & oppida, passim per Hungariam (i.) obtulit, vt eo facilius in amicitia, atque officio, contineret hominem, Turcis vicinissimum. In his fuere: *Szalanke-men, Beche, Kelpen, Világosvár, Tokay, Munkács, Thállja, Regécz*; oppida vero *Szatmár, Beszermény, Debreczen, This, Varsány*, & pleraque alia: *Bude* vero, ædes magnifice, & prorsus cultu regio instructa. Opinor autem, non ita nudum, a comitatu suorum, in regia *Budensi* egisse, quin, & frequentes aleret familiares, & haberet secum, qui occasione hac vterentur, remque suam auctarent. Itaque, pronum fuerit adfirmare, sicuti regulum. ita huius quoque, seu populares, seu subditos, iure ciuitatis, *Budæ* fuisse donatos. Ac fuerat sane, ea tempestate, illustri SIGISMUNDI regia, frequentabaturque etiam viris principibus, regis studio, ex remotissimis Europæ regionibus, *Budam* confluentibus. BONFINIVM (k.) audiamus: *Illustrem Sigismun-*

Cc 2

Sigismundi substruendi.

Rascianorum, in suburbana, sub Sigismundo, aduentus, & huius occasio.

qua tunc fuerit regia:

g. Decade III. Lib. V. p. 408, 4.
h.) Eam Hungari, hodieque, *Csonka-Torony*, hoc est: *Turrim mansam*, adpellamus, eo quod fastigio caret. Exstat rudis, sed, tot obidionibus, multum derasum, idemque arcem ingredientibus, dextrum.

i.) Recurret nobis GEORGII mentio, in

Comitatu *Temesensi*, vbi vestigia comitatus *Terontaliensis*, ex diplomatis eruderimus. Ad interim *THYRACZIVM*, Chronico SIGISMUNDI, Cap. XX. p. 135. BONFINIVM, Dec. III. Lib. III. p. 400, 38. editato, Decreto ALBERTI, Anno MCCCCXXXI. Art. XXV.

k.) Loco eodem.

di aulam, nemo satis admirari potuisset. quandoquidem praestanti principum frequentia, resulgebat. quo, tamquam ad procerum vinaria, ex omnibus Europae partibus, viri clari confluebant. E remotissimis Hispaniae finibus, multos in Pannonias, Imperatoris huius fama, contraxit. Lusitaniae regis filius, audito SIGISMUNDI nomine, in Hungariam peregre profectus est. qui ab Augusto remoratus, & illic hibernare coactus, quum flantem glacie Danubium, & oneratos currus, pedestremque transitum, equissime toleraret, haud secus, ac rem miraculo dignam, ad patrem, multosque Hispaniae regulos, id scripsisse, dicitur. Ingruente mox primo tempore, impetrata missione, ab Imperatore magnifice donatus, ac multis excultus honoribus, dimissus est. Non poterat, haec regiae SIGISMUNDI celebritas, non esse coniuncta, cum urbis, & vniuersae Hungariae, decore.

et urbi celebrata.

S. X.

Sub Alberti initia, seditione sedatur Budae.

AT, mors demum SIGISMUNDI, & ALBERTI exordia, vehementer funestant urbem. Sexua nimirum, inaugurato nouo rege, seditio, Buda exoritur. Nam, cum ciuitas, ex Hungarica, Alemannicaque gente constaret, ob morum dissimilitudinem, contrariaque studia, grauibus, inter se factionibus, laborabat. Haec, inter eos, antiqua conditio fuit, vt vno, ex Alemannia, & Vngaria praetorem vrbatum, altero anno crearent, quem iudicem adpellant. Rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, quae sacrae sanctionis loco habebatur. Alemanni, quando arte, vrbatitate, opibus & calliditate, plus poterant, saepe insensam sibi gentem, praetura priuare studuerant, variis saepe iniuriis contumeliisque, aduersarios adfecerant: sed illi dissimulatis odiis, patientia quadam, eorum inuidiam declinarant: reformidarant quoque ipsi Vngarorum vires, & quid in alieno regno moliarentur, diligentius pensitarant. Nunc autem, oblata patrandi facinoris occasione, siquidem, Alemannum se regem nactos esse, cernebant, haud vltra cunctandum esse rati, abrogandae gentis consilia incunt. Erat in vrbe ciuis, Vngarorum princeps, qui Ioannes Eitkues dictus est, vir profecto grauissimus, multi consilii compos, atque his admodum formidolosus; quandoquidem, Alemannorum probra, molestius, quam ceteri, ferre solebat. is vnus erat, qui nec in senatu, nec publice priuatimue, suae nationis dignitatem, quoquomodo laedi patiebatur: vnde, vniuersam in se Alemannorum inuidiam, plane consilauerat. Contra hi, hunc vnum in republica patronum habere putabant, qui libere vbique loqueretur. Ioannem igitur, sub praetextu criminis, illi ceperunt, in suis aedibus in vincula coniecere: mox, in abditi penetralibus, variis cruciatibus afficere coeperunt: quibus tandem enectum, culco insutum, alligato gutturi lapide, in Danubium clam demerserunt. Octo, circiter dies, facinus tale delituit; mox cadauer emerfit, ac ripis, ab vndis expositum, clandestinum sce-

lus

lus indicauit: cum plurima vulnera & stigmata circumferret, id ab Alemannis, vulgus, factum esse repente coniecit, cum his olim, insensum nimis esse, cognouerit. Eo tempore noui regis gratia, multum nobilitatis Hungaricae, Budam forte confluxerat: deprehenso facinore, tumultus in vrbe ab Vngaris excitatur, atque ingens mox oborta seditio. Alemanni, facinoris huiusce conscii, sese in proprias quisque aedes receperunt, pessulis has obicibusque obdant, armis instruant, obfirmantque praesidiis, quando in se arma capi sentiunt. Mox, in eos vulgo fit concursus, suspectas primum aedes expugnant, negotiatorum opibus, mirifice completas: trucidant homines, quos offendunt, nec atati, nec sexui parcunt. In ceteros deinde impetum faciunt, & pari, vsquequaque crudelitate, grassantur. Adaucta vulgi licentia, in alios externos, & in Italos, vel maxime negotiatores, praedae cupiditate, fit impetus. praefurore esseratissimae gentis, vrbs vniuersa, passim caedibus & clamore, completur. Erat ea tempestate, Buda, Iacobus, vir sanctissimus, ex agro Asculano natus, qui, propagandi Diui Francisci Ordinis gratia, ex Italia, in Pannonias, cum Iohaune Capistrano, pari sanctitate praedito, paulo ante venerat. Miserratus barbarae gentis immanitatem, audita seditione, sumto Saluatoris nostri patibulo, cum vniuerso sacerdotum collegio, e Iohannis aede prodiit, nunc misericordiam exclamans, nunc Iesu Christi opem ingeminans, nunc armatos, per Christi passionem obtestans: arma deponant; Christiano, & ciuili parcant sanguini; diuinam iram reformident; quin etiam, flexis saepe genibus obsecrans, ne vltra sauiant, iniurias omnes, praesenti animo, Deo vindicandas remittant. Contra illi, veluti si Deum in subsidium aduenisse reputassent, eo crudelius sauiunt, neminem ex illis deprehendunt, quin extemplo trucidant, eorum fortunas, merces, & bona cuncta, diripiunt, item in publicum tracta, plebi diripienda praeposunt. Iacobus autem, cum in vasaniente turba, se nec verbis, nec diuini saluatoris imagine, quicquam proficere posse, conspiciatur, in aedem Iohannis, vnde dudum exierat, se recepit. Vngari, longa Alemannorum caede fatiati, tandem desiere. Ita BONFINVS. (L.) Scilicet, vetustum, inter vtramque gentem, odium, haud potuit, arctissima, eiusdem ciuitatis, societate, eorundem iurium vsura, praefocari.

S. XI.

Turbavit, breui post, res Budensium, mors ALBERTI intempellua. Leges se publica, ad figendam in Hungaria, sedem pertinentem, obstrinxerat, iis comitiis, quae anno MCCCCXXXIX. concelebata in campis Rakos, Buda autem, rata grataque habuerat. Habitationem, inquit (m.), nostram, hic in Hungaria, more aliorum regum,

Quid, cum mortem intempellua, excepit?

CC 3

L) Decade III. Lib. IV. p. 410. 10. Titiv. | Lib. III. Cap. VI. p. 157.
ROETVS, loc. cit. Cap. XXV. p. 137. | m.) Articulo XXIII. quod Rex in Hungaria
IOHANNES NADANY, Fluri Hung. | maebit.

Wladislaus Polonus, Budam subit

celebratur
istis consuetudinibus:

gum, faciemus, & continuabimus. Vbi vero in Hungaria? Bude potissimum, nam hic sanctiones eas adprobauerat. Verum, designatam hanc Buda sedem, WLADISLAUS Polonus, post eius fata, in regem, diuisis Ordinum studiis, subleclus, eodem illo anno, occupauit. Nempe, procerum excitus rogatione, cum selecta militum, atque optimatum Polonorum, manu, in Hungariam venit. Continuatis demum itineribus, Budam contendit, ne, a *Friderico* Comite Cilix, qui urbem *Elisabetha* viduæ nitebatur vindicare, ante aduentum suum, occuparetur. *Laurentius Hedervári*, Palatini tunc, adeoque, proregis dignitate, potiebatur. qui, simul aduertit, adpropinquare nouum regem, ei obuiam procurrat, arcem, vltro adaperuit, cumque, in sede regia collocavit. Notiores sunt, *Wladislai Poloni*, cum *Elisabetha*, quæ interim *Ladislaum* postumum in lucem ediderat, æmulationes mutuas, quam vt eas necesse iam sit recensere. Calamitates *Budensium*, & harum ortus, iurat expromississe. Vt *Budam* subiit WLADISLAUS, a Palatino, conuentus in urbem indicitur. Conuenere extemplo, verba sunt *BONFINII* (n.), proceres, antistites, legati urbium, vniuersaque nobilitas, insuper & plebis innumera multitudo. qui quidem omnes, noui principis imperio gratulati, passim gestire videbantur. Sub incolumitatis diplomate, aduersa factionis nonnulli principes, ad indictum conuentum, conuenere: in primis, *Dionysius*, metropolita *Strigoniensis*, Cardinalis, eo tempore spectatissimus, & *Ladislaus Gára*, *Wissegradiensis* præfectus arcis. quos, haud mediocris pars optimatum, & nobilitatis, sequebatur. Ex his, alter pupillum præcipue diligebat, quia sacro baptismate initiatur; alter, erarii, munitissimaque arcis præfecturam, ob exploratam fidem, non immerito fuerat adsequutus. Quum *Budam*, non absque magna expectatione venissent, regalem, cum ceteris pontificibus optimatibusque, arcem subire. Dum soluto senatu, cum aliis patribus, abirent, interceptus est exitus, nec vnquam exeundi facta copia, donec *Budam*, in manus noui regis, obsequium iurarent, & *Ladislaus*, *Wissegradum*, thesaurumque, redderet. Successit postea inauguratio, sed inauspicato, quando, subductum ab *Elisabetha*, genuinum diadema, sacerrimo ritui, nequiuit adhiberi. Ea interim res, periculum, & *Budæ*, & *Wladislao*, acceleravit. Fuit *Comaromio*, præfectus, *Thomas Széchy*, *Dionysii*, *Strigoniensis* Metropolitæ, frater, (o.) partium posthumi, tenacissimus. Is, vt fidem, tenero regi, adprobaret, contra *Budam*, infellam a Polono, cum exercitu proficiscitur: regionem, quæ *Strigonio*, & vrbi intersita est, populatur: adoritur *Veteris Bude* suburbia, ad calidas sita, quæ *Fel-Héviz* Hungari vocant hodieque: ignem ædibus subiicit: oblectari ausos, cædit: iamque *Bude Noua*, vltima quæque minatur. Rex, ab arce despectat incendia, & rapinas, conuictur: vrbi metuit, ne forte, debilibus ea parte, moenibus, hostis adfiliat. Illud verchatur in primis, ne qua in vrbe coniuratio foret inita, quæ *Thomam* propius admouisset. Ergo, arcem urbemque, dispositis

n.) Loco iam dicto, p. 423, 54

o.) BONFINIUS inibi p. 425, 39.

positis stationibus, diligenter custodiri iubet, quando, ad repellendum hostem, neque animus iam sufficiebat, neque copia. Et satis omnino tunc fuit, urbem, pronam semper ad seditionem, continuisse in obsequio. Confirmato regno, perpetuus, nisi auocaret bellum, *Buda* WLADISLAUS diuersabatur. Adfixerat interim, anno MCCCCXLI. urbem, grauis, & omnem ætatem sexumque, depascens (p.) pestilentia. Cuius demum fœditatem, pax, inter *Wladislaum*, & *Elisabetham*, anno MCCCCXLIII. *Bude* inita, absterfit quodammodo. Atque, visa res ea est tanto memorabilior, quod regina, nihil dubitarit, *Budam* accedere, & de concordia, cum rege, præsens agere. Coaluit ergo pax, haud iniquis conditionibus; sed, cuius fructu, vidua nequiuit perfrui: quippe quæ, *Laurinum*, suæ tunc ditioris oppidum, redux, triduo post, iniecta vulgo, veneni suspitione, misere exstincta est. Agitati postea sunt publici conuentus, *Buda* (q.) alibique, moderante WLADISLAO; sed eo, nullus tristior, quam quo induci se passus est rex, & proceres, ad pacem, quam *Szegedini*, nuper cum *Amurathe* inierat, rescindendam. Certe enim, ita successit expeditio, vt habeat, quod hodieque luceat Hungaria. Neque enim reuisit amplius *Budam* WLADISLAUS, ad *Warnam*, ab hoste, acerrimo in prælio, obtritus. Cladem, memoriales versus, an epitaphium regis, loquuntur:

Romulide Carnas, ego Warnam clade notauit:

Discite mortales, non temerare fidem!

Me nisi Pontifices, iussissent rumpere fœdus,

Non serret Scythicum Pannonis ora iugum.

§. XII.

Fato meliore, in ea clade, seruatus IOHANNES Coruinus, *Budam* postea, cum Hungaria vniuersa, conseruauit: quinimo, reparator vtriusque dici meruit. Dignæ sunt ad interserendum tabula (r.), quibus Ordines, e senatus consulto, *Budam*, præfectura *Emerici de Hedervára*, exemptam, IOHANNI tradebant, quod & faciemus sane; partim, vt de sollicitudine Ordinum constet, qua *Budam* volebant custoditam; partim, vt transcribantur eorum nomina ad posteritatem, quorum id curis, publico in comitio, elaboratum fuit. Sic autem habent: Nos IOHANNES de Hunnyad, Regni Hungariæ Gubernator; *Dionysius*, Cardinalis *Strigoniensis*, & *Iohannes*, *Báchiensis* & *Colociensis* Ecclesiarum Archiepiscopi; *Andreas*, *Quinqueecclesiensis*; *Petrus*, *Vácziensis*, Ecclesiarum Episcopi; *Ladislaus*, *Agriensis*; *Nicolaus*, *Nitricensis*; & *Raphael Hertzeg*, *Bosnensis*, Ecclesiarum electi; *Nicolaus Bodó*, Præpositus Ecclesiæ *Al-*

p.) Decade eadem, lib. v.ii p. 469, 11.

q.) Ibidem lin. 47.

r.) Accepimus eas, ex Tabulario gentis

HEDERVARIANÆ, quod iam, successione iure, in potestate est Comitum VICSEV.

pestilentia,
urbem depascens:

pax, inter
Wladislaum, &
Elisabetham, hic
conciliata:

Poloni, ad
Warnam,
occasus.

Fit Buda,
Iohannis
Coruini
gubernatoris, sedes:

de eruditione
ei, cum potestate,
Buda, insignes,
ad posteritatem,
Ordinum Tabula.

beregaleusis; *Petrus*, Pécs-Varadiensis, & *Sigismundus*, Sexardienfis, Ecclesiarum Abbates; Comes *Ladislaus de Gára*, prædicti Regni Hungariae Palatinus; Comes *Ladislaus de Palócz*, Iudex Curiae Regiae; *Nicolaus de Ujlak*, & *Emericus de Pelseócz*, Vajvodæ Transilvani; *Iohannes de Perén*, Tauernicorum; & *Emericus*, filius Vajvodæ de *Marczal*, Ianitorum; nec non *Simon de Palócz*, Agazonum Magistri; *Georgius de Rozgon*, Comes Posoniensis; *Sigismundus Groff*, Segniae, Weglae, & Modrullæ Comes; *Georgius de Korbauia*; *Iohannes & Thomas de Zelk*; *Ladislaus Thytós*, de Báthmonostora; *Iohannes* filius *Desseö*, Bani de Gára prædicta; *Iohannes de Koroghi*; *Iohannes & Osualdus*, de dicta *Rozgony*; *Ladislaus* de dicta *Pelseócz*; *Stephanus Bicskele de Fetuavár*; *Ladislaus de Néczpall*; *Paulus de Perén*; *Akatius Csupor*; *Ladislaus Farkas de Lábattan*; *Emericus de Debre*; *Nicolaus de Emökwe*; *Osualdus de Buchan*; *Iohannes de Zob*; *Barnabas Chire*; *Georgius & Stephanus Soos*; *Paulus & Ladislaus de Dombó*; *Georgius Zerechen de Mezshejnyö*; *Ladislaus de Sepes*; & *Benedictus de Thirócz*; item *Petrus de Nagytárkány*; *Stephanus de Bocka*: *Nicolaus de Zibancz*, & *Petrus Porkoláb de Zempliniensi*; *Petrus Zopa*, *Nicolaus de Hajsz*, *Emericus Ugron*, & *Cosmas de Thür*, de *Simigiensi*; *Iohannes de Kálló*, *Benedictus de Pazon*, *Matthias de Kercz*, & *Michael de Temenye*, de *Zabolchenfi*; *Ladislaus Hervad*, *Georgius de Baya*, *Michael de Doboka*, *Nicolaus Nyaktalan*, de *Baranyensi*; *Stephanus Perduc*, *Michael Barocz*, *Andreas de Achia*, & *Dominicus de Bél*, de *Veszprimiensi*; *Andreas Bodó*, *Iohannes de Solyag*, *Nicolaus de eadem*, & *Georgius de Kéerde*, de *Tholnensi*; *Nicolaus Zép*, *Michael Zaaz*, *Valentinus Literatus*, & *Petrus Magnus de Bege*, de *Castriferrei*; *Dominicus Harasztos*, *Barnabas de Eölyeth*, *Thomas de eadem*, & alter *Thomas de Janka*, de *Békiesiensi*; *Thomas de Keresztúr*, *Georgius de Bala*; *Ladislaus Bajus*, & *Iohannes Thybolth*, de *Borsodiensi*; *Petrus de Almás*, *Matthaus de Baraczka*, *Michael de Thételen*, & *Ladislaus de dicta Almás*, de *Albenfi*; *Iohannes Vágközy*, *Kolos de Néma*, *Ladislaus de Radvány*, & *Emericus Literatus*, de *Komaromiensi*; *Petrus de Balso*, *Andreas de Lonya*, *Nicolaus de Beregh*, & *Priuardus de Ullaz*, de *Beregh*; *Petrus de Majkócz*, *Georgius Faragó* de eadem, *Ioannes Figli*, *Vitus*, & *Osualdus* de eadem, de *Verócze*; *Sebastianus de Koromzó*, *Benedictus de Alap*, *Albertus de Barony*, & *Dominicus de Euyse*, de *Laurenfi*; *Paulus de Csernek*, *Ladislaus de Lezan*, *Nicolaus de Lanicza*, & *Iohannes de Jakowlecz*, de *Posega*; *Georgius Thombold* de *Stharos*, *Andreas de Hanya* & *Georgius de Vajda*, de *Simigiensi*; *Thomas de Salgó*, *Andreas Kakas de Delne*, de *Saaros*; *Sandrinus de Balogh*, *Nicolaus de Deménd*, *Georg Fig*, *Suvla de Kaza*, & *Ladislaus de Gyarmath*, de *Hontensi*; *Sandrinus Cikó* de *Pomocz*, *Stephanus de Chib*, & *Magister Iacobus*, Decanus & *Canonicus Ecclesiae Budensis*, de *Pilisiensi*; *Stephanus Macha*, *Osualdus* de eadem, *Sigismundus*, de

de *Zenthgyörgy*, & *Iohannes de Sárköz*, de *Thorontal*; *Nicolaus Rekchj* & *Iohannes de Dorman*, de *Hevesiensi*; *Honorabilis Dominus Præpositus Ecclesiae S. Laurentii*, *Ladislaus de Nagyvölgye*, de *Bodrogh*; *Paulus Ispán*, *Ioannes Septelj*, *Ladislaus Sárofi*, & *Britius Sárközy*, de *Zaránd*; *Iohannes de Zaláncz*, *Georgius Sulyog*, *Casparus de Felegyház*, & *Iohannes Thordás*, de *Bácsiensi*; *Georgius de Zékely*, *Iacobus de Darócz*, *Sandrinus de Rhéde*, & *Michael de Lengyel*, de *Neogradiensi*; *Isaak de Kátha*, *Antonius de Irsa*, *Nicolaus Borsovay*, & *Nicolaus de Dobos*, de *Pestbiensi*; *Ladislaus Egedi*, *Thomas Thobád*, *Nicolaus de Mera*, & *Iohannes de Dobza*, de *Abauváriensi*; *Fabianus de Filgevár*, *Ladislaus de Bezéncz*, *Valentinus Bornemisza*, & *Nicolaus Litteratus*, de *Valkó*; *Ladislaus Veres*, *Ladislaus de Stricze*, *Ladislaus de Iske*, & *Adamus Litteratus*, de *Ungh*; *Benedictus de Hadas*, de *Liptó*; *Salomon de Baragyán*, de *Barsieni*; *Gregorius de Majthe*, de *Threnesiensi*; *Ioannes de Zobonya*, & alter *Iohannes de Emeke*, de *Nitriensi*; *Nicolaus de Vág*, & alter *Nicolaus de Zrak*, de *Soproniensi*; *Nicolaus de Ifaka*, & *Ladislaus de Beöth*, de *Bihariensi* Comitatus; item de regno *Slauoniae*, *Georgius*, filius *Simonis*, alter *Georgius*, filius *Ivan*, *Ioannes*, filius *Viti*, *Petrus de Fizesd*, alter *Petrus de Zénaharaszet*, & *Georgius de Magalócz*, electi nuncii ad præsentem conuentum nostrum, per vniuersitatem Nobilium Comitatum prædictorum transmissi, totum Corpus ac Idemnitatem Regnicolarum repræsentantes; NOTVM FACIMVS, præsentium per tenorem, quibus incumbit, vniuersis: quod Nobis in ipsa nostra conuentione hic Budæ celebrata constitutis, de & super his, quæ quieti & tranquillo statui ipsius Regni Nostri Hungariae, vtilia & commoda essent, tractantibus, cum inter hæc, de & super facto huius castri Budensis, quod condam *Magnificus Dominus Laurentius de Hedervára*, Regni Nostri Hungariae Palatinus, vsque ad exitum nimirum vitæ suæ, ex nostra benevolentia, & collatione, tenuit, quodque eodem decedente, *Magnificus Emericus*, filius eiusdem, pridem *Banus Machouiensis*, hucusque conseruarit, mentis nostræ curas discussilemus; quia in serie Generalis Decreti Regnicolarum, anni proxime præteriti expressum est, & declaratum, vt. Gubernator huius Regni, Castra & Ciuitates, Regales & Reginales, intrandi, in eisdemque standi, pausandi & morandi, liberam habeat facultatem: idcirco, tum huiusmodi institutioni, & decreto, satisfacere volentes, tumque aliis respectibus, vt puta, pro tutiori conseruatione eiusdem castri, vnamiter, & sana deliberatione voluimus & sanximus, vt ipsum Castrum Budense, manibus prædicti Domini *IOHANNIS* Gubernatoris, dari debeat & assignari, per ipsum, vsque Nostri, seu huius Regni, liberum placitum, Nobis, & huic regno, fideliter conseruandum. Cum itaque Nos, hac de causa, ipsum *Emericum Banum*, in nostri medium venire, & accessiri fecissemus, eidemque, vt dictum castrum Budense, in manus dicti *Domini Gubernatoris*, dare & assignare debeat, stri-

Stiffime commiffissemus; mox idem *Emericus Banus*, Noſtræ communitatis præſcripto & voluntati ſe obtemperaturum, ipſum caſtrum Budenſe, in manus eiusdem Domini Gubernatoris, dedit, remiſit, & aſſignauit, tenendum & conſeruandum; ideo, Nos, de vnanimi arbitrio, & voluntate, ac Noſtri, & totius Regni, ac Regnicolarum nominibus & perſonis, ipſum *Emericum Banum*, ſuper reſtitutione & reſignatione ipſius caſtri Budenſis, reddidimus & commiſimus, immo reddimus & committimus, quietum & expeditum, & omnibus modis abſolutum, harum Noſtrarum litterarum, ſigillis, Regni, atque Noſtro, ſcilicet *Gubernatoris*, nec non nonnullorum noſtrorum appenſionibus, conſignatum, vigore & teſtimonio litterarum mediante. Datum *Buda* prædicta feria quarta proxima poſt feſtum Exaltationis S. Crucis, Anno Domini MCCCCXLVII. *Hactenus tabula.* Adparet hinc luculenter, non modo Gubernatoris & Ordinum ſollicitudo, quam ſolenter *Buda* conſeruandæ impendere; ſed regiminis etiam, & adminiſtrandæ Hungariæ, cum fuit ſine rege, habitus ratioque. Alioquin, mirere, pauciſſimas familiarum, quas recensent tabulæ, ſuperare hodie. quod equidem, perpetuis, cum *Turca*, frequentibus cum *Bohemis*, & *Auſtris*, bellis, non dubitarim imputare. Si enim, etiam ſecundis præliis adteruntur copiæ; quid dicas? de iis dimicationibus, quibus, integros exercitus noſtros, ad internecionem deletos, lugemus hodieque. Sed in iter redeamus.

§. XIII.

POſtea, ſæpe IOHANNES, cum ad clauum reipublicæ gubernator ſederet, *Budam* reuiſit, ſæpe hic, cum proceribus, in commune conſuluit; dum poſitis ſacibus, Viennæ, LADISLAO poſthumo, Hungariam, & eius moderandæ poteſtatem, redderet. Vix inierat dignitatem, cum debellato *Dracula*, *Walachiæ* *Wajwoda*, *pacataque* *provincia*, *Budam* ouans rediit, inquit BONFINIUS (s.). quod & tunc factum, quando *Styriam*, & *Carinthiam*, infeſtis armis, euerruit. Iterum hiſtoricus (t.): *Ne plus a quo ſenire uideretur, populata, waſtataque* *provincia*, *ingenti præda onuſtus, ouansque* *Budam* rediit. Sed, non belli modo, verum pacis etiam ſtudiis, *Budam*, *Coruinus* illuſtrabat. Duos circiter annos, legas inibi, in regno quieuit, vt ciuiles lites dirimeret, optimatum cauſas componeret. Interim, ius omnibus æque dixit, iudiciis integerrime præfuit, multas, a foro procul, controuerſias diremit. Hæc vero ille, cum alibi, tum *Budæ* in primis, factitabat. LADISLAUS poſthumus, Hungaris, a *Friderico* *Caſare* redditus, adiit is quidem, ſemel iterumque, *Budam*; non tam, vt decoris quidpiam, vrbi, ex præſentia compararet, quam vt *Ulrici*, *Comitis* *Ciliæ*, lubrici obſecundaret. Inſidiabatur is *Coruino*, ſicu-

s.) Decade eadem, Lib. vii. p. 469, | t.) Ibidem lina. 47.
11.

ſicuti diximus (u.) alibi. Ergo, inducendum putabat regem, ad patrandum facinus. Id vero, difficile perpetratu erat, extra Hungariam. Proinde, huc, cum rege puero, descendendum rebatur. Et quidem, prior aduentus, quem in annum MCCCCLIII. reuicit BONFINIUS, haud quidquam noxæ habuit, ob *Coruini* ſagacitatem, & in declinandis inſidiis, exactam prudentiam. *Ladislavus*, inquit, cum honoriffi-
centiffima aulicorum turba, *Budam* venit, quem *Ulricus* Comes, ceterique principes, longo ordine, ſequuti ſunt. Anno igitur ætatis tertio decimo, ſalutis vero quadrageſimo tertio, ſupra milleſimum, ac Idibus Februarii, *Budam* ingreſſus eſt, ingenti plauſu, ac fauſtis adclama-
tionibus, exceptus. Quid ageret *Coruinus*, qui tunc inferioris Hungariæ partes, luſtrabat, reſeſcebatque, per hiberna, exercitum? audito regis aduentu, nec rogatis ſalutis conductus litteris, cum valido equitatu, principibusque uiris aliquot, & ipſe, *Budam* adcurrit, benigne quidem a rege habitus; ſed inuiſus tamen *Ulrico*, amulo iniquiſſimo. Subſtitit aliquot (v.) meſes *Buda*, LADISLAUS, neque egit aliud, fremente licet *Comite*, præterquam, quod *Coruino* probabatur. Incunte demum vere, cum crebri adferrent nuntii, *Mahomedem*, cum centum quinquaginta milibus, ad expugnandam *Albam* *Gracam*, aduentare, venationis obtentu, deſerta *Buda*, vna cum *Ulrico*, fuga euaſit: iam ante, *Coruino*, ad ſines, & *Belgradum*, in primis, tutandum, dimiſſo. Neque amplius, niſi mortuo, poſt deſenſam *Albam*, *Iohanne*, rex *Budam* reuiſit. Tum vero, *Ulrici* ſuaſu, *Vien-*
na proſectus, & frequenti procerum, magnaue crucigerorum manu, ſtipatus, claſſem conſcendit, *Budam*que, ſecundo anne, deſluxit. Vix hic dies aliquot acti; conſilio atque libidine *Comitis* raptatus, eadem illa claſſe, *Futakum*, *Baciensis* *provinciae* oppidum; hinc, celebrato Ordinum conuentu, *Belgradum* nauigauit. Tenebat arcem, eadem, qua pater, poteſtate, *Ladislavus* *Coruinus*, quem, cum dolo circumuenire, & conſtrato maleficio (x.) e medio tollere, *Ulricus* parat, ipſe, a *Ladislao* interimitur. Funèſta ea res, cum genti *Coruini-*
nae, tum *Buda* quoque, accidit. Rex enim, ſe de vita ſimul periclitari ratus, flexo, per *Temeruarum* itinere, *Budam* rediit. Huc, ubi ventum eſt, *Coruini* filios, *Ladislavum*, & *Matthiam*, regem ſequutos, cum neceſſariis, in vincula coniecit. Et *Matthie* quidem, diuturniores carceris ſqualores, deſtinati; in *Ladislavum*, capitalis ſententia, inſtigantibus regem æmulis, lata eſt. Igitur, traditus prætori, triduo poſt, ad ſupplicium, inclinante iam ſole, rapitur. Recitabimus tragœdiam, ſacundia inſigni relatam a BONFINIO (y.) *Tertio die*,
Ladis-

Dd 2

Ladis-

u.) In hæſtria Comitatus Moſonienſis. Parte Speciali Membro I. Sect. I. ad Oppidum *Köptény*.

v.) Meſes ſuiſſe quatuor, neque tamen integros, inde cognoſcas, quod cum Idibus Februarii ſubierit regiam, aequam obſideretur, a *Turca*, *Alba*,

quod Idibus Iunii euenit, *Budam*, iugens, præ meo, deſeruerit.

x.) Vide BONFINIUM, Dec. III. Lib. viii. p. 495, 31.

y.) Ibidem p. 498, 21. GERHARDVS DE ROO, Hiſt. Auſtr. Lib. vi. p. 227. edit. Oenipontanæ, A. MDCCII. fol.

primo, ſi-
no noxa:

poſtea cur-
tu funeſto:

caſes, La-
diſlai Cor-
uini, fune-
ſtae vrbanæ:

quid ex iis
condiſcat?

Iohannis
Coruini
auſiones,
Budæ edi-
ta:

Ladislavus
poſthumus,
Budam a-
dit:

Ladislavus capitali supplicio multandus, praetori traditur, & inclinante iam sole, praelato pullo lugubrique vexillo, in plateam, venientis post tergum manibus, educitur, quae ante Sigismundi palatia, late diffunditur, demissis crinibus, arduo capite, & aurea veste, quam fortasse a rege acceperat, incedens, ad necem prodit: huc & illuc, gemebundam plebem impavidus, inspicit. Cum ad locum, morti praestitutum, processisset, lictorem, crines colligere, iubet: mox pauca, pro sui purgatione locutus, & genua flectere iussus, paruit: nullumque trepidationis unquam indicium praetulit. Praeco, qui damnatorum facinora, ex more publicat, nihil aliud, impetrato silentio, enunciauit, nisi: reges tales poenas, a perfidis infidelibusque suis, exigere oportere. Lictor, a praetore, gladium in cervicem formosissimi iuuenis, fringere iussus, commiseratione ac metu, iuxta correptus, ictus tres intulit, & nondum caput absciderat; immo, ne lethali quidem vulnere laesus erat. Constante, generosus ille iuuenis, tria in cervice vulnera, exceperat; sed, quum ad tertium procubisset, mox vi magna erectus, deorum hominumque iustitiam adpellat, se non ultra a lictore petendum, exclamat: quartum lictori, ex lege, ictum interdictum: miraculum, pro laeso innocentia numine, intercessisse. Adhaec nonnulli proceres, qui e Sigismundi palatio, praesidente rege spectabant, & Ladislavum necem anhelabant, lictorem increpant, ense, cervicem repetere inibent. Quare, vix quinto ictu obtruncatur infelix, annos natus, quatuor de triginta. Hic, viri fortissimi, & paternarum virtutum, praecleari imitatoris, exitus fuit: vti indignus Corvini meritis, de republica Christiana; ita, regi ipsi infautus foedusque. Cadaver, in sacello Corporis Christi, ubi laesa Maiestatis reos, condi moris erat, extra urbis pomeria, sepultum, ut neci, vel ex ipso funere, praesidium pararetur. Patum a tumultu res abfuit, frendente multitudine. Sed, necessarii Corvini, vna capti, postera nocte, pertuso carcere, euaserant, quod, extra modum, animum regis perturbavit, atque abeundi hinc consilium, suggessit. Ergo, Matthiam Corvini, & Paullum Madarasz, quos euadendi facultas defecerat, rex secum Viennam, indeque Pragam abducit; numquam postea reuisurus Budam, quam Corvini sanguine, iniquo usus consilio, respererat.

§. XIV.

ANNUM, facinori superiit LADISLAVS. Anne vero, porrecto veneno, quod (z.) volunt non plane nulli, enectus? Non credo. Fidem, in contrariam partem mihi fecit, incognitum, quod sciam, historicis, diploma WLADISLAVI. quo error omnis, siue profectus a malevolentia, siue subnatus ex suspitione, nescio, aduersus quam, honestissimae vitae, regis adolescentis & sponsi, amantiam, tunc contra Georgium Podiebradium, denique, eius uxorem, Iohannam,

a) Breuiter, sed accurate rem distulit, BOHYSLAVS BALBINVS, Epi-

tome Rerum Bohemic. Lib. v. Cap. III. p. 510. seq.

nam, penitus depellitur. Bohemice id perscriptum est, nobiscum autem, a FRIDERICO WILHELMO A SOMMERSBERG, (a.) beneuole communicatum. Ita vero habet: *My WLADSLAW, z Bozie Milosli, Král Czesky, Markrabie Morawsky, Lucemburské a Slazské Knieze, a Lužický Markrabie, &c. Oznamugem tiemto Listem wsslem, zie Slysšewššie rziecki niekterych Lidy, Kterziz prawie, Zeby Naryamiesšie Kniezie Pán LADISLAW, Vbersky a Czesky Král, Vgecz naš mly, skrze Otrawenie Smrt wzal, a Zloboto swieta ššiel. Pokud naydelé mohlišme, na to sine se ptali, abichom, mohli znamenie niektere prawdy tee wieczy mieti a zwiedieti. Y Kazalšme w Prjtomnošti mnohých Pánow, y Rytierzšwa, Hrob geho otowrzieti. A tu smie y snimi widieli, Tielo rziezeneho Krále, Vgeze naššeho, celé, nespadašé, any kterého Znamenie takoweho magjce, gestoby mohlo domieno byti, zieby trawen byl. Protoz aby temu wierzino bylo, czoz tuto piššem, kazalšme pieczyeti naššie Kralowškau tento List zapieczyeti. Dan w Praze, w Pátek den Swatého Walentina, Leta, od Narozenie Bozieho, Tššicieho, Cztyřšieho Sedemdesateho drubého, Kralowštwie naššeho, Leta prwnieho. Reddam haec Bohemica, latine: NOS WLADISLAVS Dei Gratia, Rex Bohemia, Marchio Moravia, Dux Lucemburgi, Silesia & Lusatia. &c. Notum facimus, histe litteris, omnibus: quod cum sermones hominum nonnullorum audiuissimus, dicentium, Serenissimum Principem, Dominum LADISLAVM, Hungariae & Bohemia Regem, Consanguineum nostrum dilectum, veneno ex hac vita sublatum esse; quam potuimus adcuratissime id Nos inquisuisse, utrum possemus de eius rei veritate, indicia quadam cognoscere. Iussimus itaque, in praesentia multorum optimatum atque nobilitatis, sepulchrum eius aperiri. Hic vero, vna cum ipsis, vidimus corpus memorati regis, Consanguinei Nostri, integrum neque collapsum, sed nec habens indicia quidpiam, quod in suspitionem inducere posset quemquam, veneno interentum esse. Vt igitur, his, quae hic scribimus, fides adhiberi queat, mandauimus, litteras praesentes sigillo nostro communiri. Datum Praze, feria quinta S. Valentini, Anno a Natiuitate Dei, MCCCC-LXXII. Regni Nostri primo. Ita WLADISLAVI tabulae, omnem veneni suspitionem remouent a LADISLAVO, pestilenti, uti adserit laudatus Balbinus, vlcere, e viuis sublato. Sed, regeres forte, tardum fuisse experimentum WLADISLAVI: quippe quod, annis XV. post, sit institutum, quam LADISLAVS (b.) fati concessit. Verum, idem ipsum rem omnem adprobat. Venenum certe, siue haustum, siue commestum, ita se momento insinuauisset, intimis venis & medullis, ut post exhalatum spiritum, non cessasset in sanicem vertere corpus, cetera validum, & naturae conuenienter adtemperatum. Quid? quod annis, post hanc WLADISLAVI diligentiam CXVII. eodem illo documento, profligatam veneni suspitionem fuisse, BALBINVS (c.) memoret. Certe, inquit, cum*

D d 3

anno

a) Doctissimo, Senatorii Ordinis, apud Vratislauenſes, viro, nobis amicissimo.

ix. Octob. non xviii. vti vult HAGECVS. Male ergo BONFINVS. quem lege, Decad. III. Lib. VIII. p. 500, 49.

b) Mortuus est nempe, A. mcccclviii. die

c.) Loco citato.

anno MDXC. Praga, in Metropolitana Ecclesia, regum corpora leuarentur, alioque loco, a Cesare RVDOLPHO II. preparato conderentur, LADISLAI Regis corpus, incorruptum, repertum est, & a multis hominum millibus spectatum. quod ipsum, qui videre, Weleslauinus, & Pontanus, confirmant. Libuit hæc memorauisse, quia scriptoribus nostris incognitum.

§. XV.

Budam
quo habitu
induerit
satum La-
dislai:

MORTE LADISLAI, vacuefacta regia Budensis, singulari numinis prouidentia, MATTHIAM Coruinum, ex captiuo, regem accepit. Quod, dum procurante Michaeli Szilagyio, fit, Budam, contrariæ factionis proceres; Szilagyius, Pestum insident. Ad bellum ciuile, res spectare videbatur; nisi prudentia Michaelis, insigni contemperata seueritate, euicisset optimates, ut arce relicta, pedibus irent in suam sententiam. Narrauimus historiam in rebus Pestiensibus; ut necesse haud sit, heic telam eandem retexere. Dicamus (d.) potius, qua pompa, quibusque ritibus redditus a Georgio Podiebradio, Hungaris, regiam Budensem, MATTHIAS subierit. Fuit in eius comitatu, insignis, procerum, militumque manus. Hi, simul cum nouo rege, Buda adpropinquarunt, omnes pontifices, optimatesque ac nobiles, qui conuenerant, item, prætor urbanus, cum singulis ordinibus magistratuum, cuncta præterea sacerdotum collegia, solemni pompa, deos & sacra ferentes, obuiam, prodeunt, & sacros rhythmos concinunt. Occurrit etiam populus uniuersus, ut summo plausu, atque lætis adclamationibus, nouum & exoptatum regem, exciperent. Quin, & Iudeorum turba, in occursum prodierat, Veteris Testamenti tabulas præferens, & inter primos, salutato rege, maiorum priuilegia, sibi confirmari, supplex rogabat. Ad portas vrbs, a ciuibus, sub umbella, rex excipitur, & antequam in urbem admitteretur, exoratus a prætore, libertatem, leges, sanctiones, decreta senatus, & ceteras immunitates, a regibus impetratas, se, numquam violaturum, interposito iureiurando, pollicetur. Idem, antequam arcem subiret, uniuersis regni optimatibus, pontificibusque, promisit. Admissus in urbem, recta, in Basilicam D. Genitricis, ducitur. Quum, pone prætorium urbanum, lentis passibus, pompam duceret, supplicantibus noxiis, quos olim quæstor in vincula coniecerat, ut omnibus, fausta felixque esset regis præsentia, patefacto carcere, libertati indulget. Ut in templum venit, IESU CHRISTO, O. M. ac D. Virgini, sub cuius tutela degit Hungaria, gratias egit, seque iura sacra, inuiolata seruaturum, solemni pioque ritu adfirmat. Itum hinc est in regiam, tanto, per compita, omnis ætatis, sexus atque ordinum plausu, ut vix se ipsam, vrbs, regiaque, præ lætitia, caperet.

d) BOFFINIVM sequemur, Decade III. Lib. IX. p. 512, 43. Adde, Passadectus Triumphales, FRANCISCI MODII L. C.

Brugensis, Tom. I. Lib. II. §. XV. fol. 44. B. Vltimur editione Francofurt. A. MDLXXVI. fol.

peret. Ducta hinc regnandi exordia, eo tunc quidem feliciora, quod Dionysius, Strigoniensis metropolita; Iohannes Varadicus; Michael Szilagy; Sebastianus Rosgon; Ladislaus Canisai; Petrus Zokoly, & amicorum patris, reliqui, numquam a latere adolescentis regis, discedebant. Ergo, quam biennio ante, Coruinorum cædes, & captiuitas, funestauerat, Budam; eiusdem nunc gentis, iubar, mira factorum conuersione, illustrauit. Credidisses, sanguinolentam Ladislai necem, quæ, prono, in occasum sole, rubore cælum infecerat, diem hunc, vrbi non minus, quam uniuersæ Hungaria, serenum faustumque, prænuiciauisse.

regimini
eius encor-
dia:

non serua-
runt omni-
ne.

§. XVI.

PERPETUA hinc MATTHIAE sedes, Buda fuit; neque, nisi tunc interrupta, cum militiæ esse regem oportuit. Id vero, & frequenter euenisse, & durauisse quandoque diutius, obuium fit, bella, & expeditiones Coruini, Austriacas, Bohemicas, Turcicas, reliquasque, animo recolenti. Illud, in confesso est apud omnes, MATTHIAM fuisse, qui Budam, ad prisca Romanorum fastus imitationem, ædificiis non minus, quam alio adparatu regio, vnus omnium maxime percoluerit. Si vacabat a bello, aut decernendum forte erat, in hostium aliquem, Buda fuit commune totius Hungariæ buleuterium. Sexies hic concelebrata fuisse (e.) comitia, editæ tunc sanctiones, loquantur. Siue autem bello distineretur Rex, siue perfrueretur pace, de Buda sua ornanda, cogitationem numquam deposuit. post nuptias in primis Beatricis, quæ MATTHIAM omnino quidem, magnificentia amantem, sed nondum penitus moribus Italicis innutritum, eo perduxit, ut, & lautius viueret postea, & splendidius fastosiusque ædificaret. Sed, quia nuptiarum Beatricis inieciimus mentionem, haud ab re futurum existimamus, si eam quoque pompam, compendio retulerimus. eo quod pertinet ad vrbs celebritatem. Accepta apud Albam regina, posteaque diademate redimita, Budam, consummandis nuptiarum solemnibus, destinata, perducta est, pompa, supra, quam reiris, spectatissima. Præcessere equestres turmae, regem reginamque, armis & equis, instructissima. Has, principes viri, horumque legati, demensis ordinibus, adparatu autem, ad stuporem vsque, magnifico, excipiebant. Turbarum aliquid, a Venetis datum: quippe qui, proximum a Rege locum, in processione, cum reliquorum iniuria, occupauerant: quibus, in ordinem redigendis, Gabriel episcopus, a rege submissus, ægre quidem, obtinuit tamen, ut se principum legatis coadunarent. Sequebantur, e vestigio, nouem adolescentes, Regi a cubiculi ministerio, superbissime vestiti, & equis vecti generosis-

Buda, per-
petua. inde
Matthiae
sedes:

excolis ur-
bem & re-
giam:

facit totius
regni bu-
leuterium:

nuptiarum
cum Bea-
trice so-
lemnia:

pompa or-
do:

fimis.

e.) Puta, anno MCCCCLXXII. quibus Andria II. Ludouici I. & Sigismundi decreta rata habuit. Anno MCCCCLXXI. A.

MCCCCLXXIV. quibus ipse haud interfuit. Anno MCCCCLXXI. item MCCCCLXXV. & MCCCCLXXVI.

simis. Arma his, auro argentoque distincta, phaleræ acui pictæ, & interstinctæ gemmis. Subibat mox alter, totidem ephchorum ordo, priori haud quidquam, siue fastu concedens, siue equorum generositate. Ipsi enim non solum, sed caballi etiam, auro, argento, & gemmis, renituere. Tunc Rex, albo equo, libratis, ex arte, passibus, vehabatur. Aurea ei fræna, ephippium, phaleræ, & acinaces, fuerunt. Vestis, ingentis pretii, ad modum germanicum (f.) facta. Post regem, armiger gradiebatur, inusitata molis equo insidens, atque auro, & gemmis, ita onusto, ut quatuor millibus aureorum Hungaricorum, is vnicus, aestimaretur. Præter regia arma, duo is scuta præferbat, Regis forte, & Reginæ insignibus, conspicua. Intermissis qualicumque spatio, REGINA succedebat, albo æquo, & ipsa, vecta. Amiciebatur palla bombycina lutea, coronam, vnionibus scitissime distinctam, capite gerens. quæ res, inuitati prorsus spectaculi fuit, eoque iucundioris, quod LYNONEM (g) referre visa est. Nimirum:

*Sic ego, quæ Diuum incedo regina, Iouisque
Et soror & coniux.*

Nam, cum octo seiuges, auratosque currus, in proximo comitatu haberet, eques, *Budam* inuchi maluit. Ventum fuit, fastoso hoc ordine, in vrbis conspectum. Hic vero, occursans, festiue instructa, multitudo, Regem Reginamque, iam dudum præstolabatur. Primi, qui regi obuiabant, *Iudei* fuerunt. Ducebat hos, eques quidam, uti, præcipuæ apud suos dignitatis, ita, & senio grauis, & adpectu. Pone, filius suus equitabat: strictum vterque ensim argenteum manu ferens, de quo bursa pendeat, decem argenti pondo, continens. Excepere hos, equites viginti quatuor, puniceis singuli vestimentis amicti, atque Struthionum plumis cristati. Tandem, ducenti pedites ibant, vexillum ferentes rubeum, cuius insigne, bubonis pedem, quinque spiculis confixum, tiamam item Iudaicam, atque duas stellas, singulas auro depictas, habebat. Omnibus his, Ephodo intectum caput fuit. qui ritu suo, carmen modulati, legis Mosaicæ tabulas, magna veneratione, præferbant. Reliqua *Christianorum* celebritas, sub signis & ipsa prodierat, tanta lætitiæ significatione, ut plaudentium vocibus, æra complerentur. Iam pene ad moenia vrbis adequitauerat Rex, cum *Christophori*, Ducis Bauariæ, familiares, infestis hastis, spectante Rege, ac Regina, concurrunt, atque equis proturbati, humi procumbunt. Ingratum id spectaculum *Beatrici*, fuisse aiunt; quando pari luc-

f.) Profecto, an sic verisimile, nescio, ut veste Germanica, amicti veller, MARTIÆ, vel nomina Germanici, osor accerrimus. Si fecit tamen, vxori fecisse, putandus est.

g.) BONINIVS, plures, e BEATRICE, Deas effingit: *Spectosa ei frons*, inquit, *elata*

supercilia, fugiata tempora, item erubescens vtriusque, mala, cum colorum hilaritate, nisi modestia, ac vis venustate, tantum rara gratia componat, ut forma habituque Venerem, Dianam pudicitiam, & sapientia eloquentiaque Palladem, ex omni parte, referret. Dec. IV. Lib. IV. p. 584, 20.

successu, alii alios in ea palæstra, excipiebant. Interim, in vrbem ceptum erat ingredi. Infinita hic religiosorum hominum multitudo, cum *Reliquiis Sanctorum*, in vicina portis area, sponsis occurrebat, eosque submississime consalutatos, in ædem B. V. MARIÆ, deducebat. Hic vero demum, *hymnus Ambrosianus*, magna omnium lætitia, editisque suauissimis symphoniis, concinebatur. Cerimonia peracta, MATTHIAS, BEATRICEM, manu molliter adprehensam, e templo eduxit, atque conscens equis, regiam, seruatim iisdem pompæ ordinibus, subiit: principibus, & horum legatis, pro porta arcis, cum honorificentissima præfatione, in hospitia dimissis. Denique prætorium ingressus, Reginam in eam ædium partem, vbi instructa eam conclauia expectabant, deducit. Personabant interim compita, perpetuis plausibus:

Hymen, o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe!

S. XVII.

Dies hic, & qui sequutus est, quieti dabatur. Tum vero, regales instrui epulæ, saltationes atque spectacula edi. Prolixum foret non modo; sed etiam extra modum impeditum, in ea magnificentia, opum, atque luxus, ostentatione, singula, oratione complecti. Paucis rem exsequemur; ut adpareat, qua solemnitate quibusque cerimoniis, prisca illi reges, sacra nuptialia, peregerint. Inuitatis, pro more, principibus, & qui horum vice aderant, legatis, dies festi inierunt. Coenaculum, vbi epulæ dabantur, magnificentum erat palatium, & dignum Regis MATTHIÆ splendore. Vestiebatur totum Atalici & holoserici rubris aulæis, non modo auro, sed & gemmis, arte summa, illulis. Sed, vtamur MARTINI STELLÆ (h.) verbis, qui nuptialem hanc pompam, spectator ipse, in litteras retulit. *Mensa*, inquit, *hic stabat, orbicularis, ante quam de pariete, tapes, totus aureus, pendeat, mensa latitudinem adæquans. Supra mensam expansa tria erant, ex villosis holoserico, longa tapetia, in quorum vno, regine insignia, ad duorum scutorum similitudinem, auro & perlis, intertexta erant, duabus coronis, supra impendentibus; sed in reliquis duobus, eodem modo expressa insignia Regis, conspiciantur.* In hac mensa, Rex, & Regina, accubuerunt. Ad dextram, regis Neapolitani filius, Archiepiscopus, duces, & alii regis oratores; deinde Ferrariensis, & Venetorum legati. Verum ad (i.) sinistram, proximus Regina sedebat, Christophorus, dux Bauariæ, & ab eo, Palatini, & Saxonis, Electorum, item, Ludouici, & Ottonis, Bauaria principum consularii. Satis, ad celebritatem mensæ regis. Postea, adparatum reliquum describit, abacos, vasa & conuiualem supellectilem, aliam.

Tom. III.

Ee

In

h.) Exstat inter THYROCZI appendices, p. 337. seqq. Adi & *Pandæus Triumphantis*, supra citatus, Tomo I, Lib. v. §. XIV. fol. 216. B. vbi exscriptum

leges BONINIVS locum Dec. IV. Lib. IV. p. 584.

i.) Ergo hinc quoque, more vsus Hungarico, dextram *Beatricæ* tenuit MARTIÆ.

In medio cenaculo, ante regiam mensam: abacus, circa lapideam columnam erat quadratus, distinctus octo gradibus: in quorum primo, fercula maluina, & Regis, atque Reginae pocula, & aliorum magnatum vina, reponebantur, ad usum regalis mensae. Reliqui septem gradus, in omnes partes circumcirca lagenas, cantharos, trullas, & pocula continebant, atque haec omnia maxima, ex auro & argento artificiose splendideque calata. In infimo etiam gradu, duo stabant ex argento facti monocerotes, quorum vnus maximus; alter mediocris erat: & vber in fronte, veru, gemina istius animalis cornua efferebat. Ante mensam, in pavimento fons erat, affabre, & singulari artificio, ex argenti trecentis libris, formatus, tanta altitudine, quantum vir procerus, vix equare posset: & iuxta fontem, quinque argentea canistra. Item, totum argenteum dolium, pendebat in sublimi suspensum, cum multis fistulis, & epistomis. Præter ista, superfuerunt adhuc octo abaci, & cum fontem, pannaria, & monocerotes adnumerat; fuerunt in omnibus abacis, vasa argentea noningenta & octoginta; præter pocula, quorum in mensis tunc usus erat. Conuiuium Deorum, his tantis apparatibus, instrui potuisset, crederes. Testimonio hæc sint, quam cito, quamque opulentus sit factus MATTHIAS, homo nouus, & qui præter vnus patris, si quæ superabat, nihil auitæ habuit opulentiae. Aliter profecto, quam id de Agathocle, Syracusanorum rege, memoriæ proditum est:

Fama est fictilibus coenasse Agathoclea regem
Atque Abacum Samio saepe onerasse luto.

Nempe sigulus eum fuisset iuuenis, καταδικαστὴς τοῦ βασιλέως καὶ τοῦ πλούτου, καὶ τοῦ καπιλίου; relicta rota, argilla, & fumo, vti habet POLYBIUS (k.) in regem Syracusanorum, indulgente fortuna, euaserat. quam ille bonitatem eius, reuerenter adeo habuit, vt, fictili supellectile, pauperiem recordatus pristinam, lubens, in conuiuiis, vteretur. Hinc illud Poetae fluxit:

Fortunam reuerenter habe, quicumque repente
Diues ab exili, progrediare loco.

Sed, redeamus ad nuptiale conuiuium. Cum Regis atque Reginae cibis adferretur, precedebant ante cibum, HINCO, Georgii Podiebradii Bohemiae regis filius: & iuxta eum Bosnae rex: & ad huius latus dux, Silesiae; sed cibum deseriebant Vngarici reguli, barones. Reliqua etiam fercula, quæ conuictoribus mensa regalis proponebantur, iidem barones adportabant. Prorsus ex more hodierno, quem spectauimus ipsi, solemnibus iis epulis, quas inaugurata ELISABETHA, anno MDCCXIV. decimo quinto Calendas Novembres, CAROLVS Cæsar, Pisonii dederat. Pergit STELLA: Ante ea fercula, quæ regis Neapolitani filius habiturus erat, quatuor ante ibant, Germanici & Bohemici barones; sic ante aliorum Italicorum & Venetorum cibos, Hungarici quatuor barones; & ante
Chri-

k.) Historiarum Lib. xv. p. 1003. edit. Ia. Cœpi GRONOVII, Amstelod. Anno

MDCCXV. forma cœ.

Christophori Bauariae principis victum, dux Nicolaus, & Hungarici barones; vt etiam postremo, ante legatorum Germaniae principum cibos, quatuor iterum Hungarici barones præcesserunt. Eodem modo, qui ante mensam regalem, legatis, tum Italis, tum Germanis ministrarunt, in proponendo & remouendo cibo, & in aliis necessariis ad conuiuium officiis, erant omnes, vel comitum, vel baronum, primorum equitum, dignitate conspicui. Nescio, an seculum, quod viuimus, extra modum fastidiosum, plus comitatis, elegantiae, maiestatisque dare possit? vbi reges, & horum filios, mensæ ministrasse videas. Suus, & conuiuarum reliquis, honos habitus est. Nam, & ad reliquos octo abacos, infra regiam mensam, octo erant alia collocata & instructa mensæ: ad singulos abacos, singula mensæ, in quibus primum gynaeceum consuebat, & in eo, mater regis; tum Neapolitani regis, & legatorum ministri; & deinde Gubernator, Comes magnus, & alii Hungariae reguli & episcopi. quibus omnibus, octo reliquæ mensæ, complebantur. At enim vero, quia comes conuiuii, saltatio est, neque eam abesse passus est MATTHIAS. Cum mensæ remotæ essent, saltationi, in eodem cenaculo, dabatur locus. Et prima chorea Electorum, & principum Germaniae consulariis, ex ordine tribuebantur: deinde Christophoro, duci Bauariae: tertias, Rex & Regina ducebat: & post regem, filius Neapolitani regis, cum sorore sponsa, illo chorea genere, quod, Der Zeuner dicitur, quarto loco saltabat. Et cum quinto, Magnus Comes; & sexto dux Limpachius, saltationem absoluisset, finis tum istius rei fuit: & Rex in conclauē, sed Regina in gynaeceum secessit. vbi legatis principum, qui eam eousque deduxerant, gratias egit, & abeundi fecit potestatem. Multum profecto moderationis! quam vtinam æmularentur nostræ ætatis homines, si nolunt se abstinere saltationibus. Tanta est enim earum hodie in nuptiis licentia, vt cum sub vespertinum crepusculum, inierit, noctes integras, etiam brumales, in matutinum vsque extrahantur: magna, sicuti propalam est, castigati moris, quin & bonæ valetudinis, ne quid dicamus amplius, iactura.

§. XVIII.

Hæc, quadriduo, ante concelebratas nuptias edita fuere. Dies reliqui, ludis equestribus partim, partim oblectamentis, ea principum dignis celebritate, exacti sunt. Vtrorumque STELLA meminit: Die Saturni proximo, inquit, qui Quatember erat, venit paullo post lucem, Watzel a Sternah; baro, inuitaturus, principum & imperii legatos, qui etiam comparuerunt. & postquam cum rege, in eadem mensa, cepissent, ex eodem patinis, cibum, dimissi a rege, in hospitium reuerterunt. Sed vespere, dux Bauariae, CHRISTOPHORVS, & HINCO, Munsterbergensis, in ludum equestrem prodibant, vterque, vno equite stipatus. Et primum duces concurrerant; ac tametsi dux CHRISTOPHORVS, Munsterbergensis ducis scutum, & partem lorice, perrupisset; tamen,
concursum
equestris:

ambo de equis deiectioni, humi procubuerunt. Secundo, post Duces, Iohannes a Stein eques, Christophori, ducis, socius, cum Bobemo, Hunconis ducis socio, cum factus esset concursus, iacuerunt ambo in terra prostrati. Moris tunc erat, trucibus his spectaculis (l.) virtutis de se opinionem facere. Eodem vespere, principes ducesque, & qui honestandæ solemnitati aderant, legati principum ac prouinciarum, ad ipsa nuptiarum solemnia, per Watzlauum a Stenah, inuitati sunt. Dies Dominicus fuit, quo in aulam, frequentes, & alter, altero cultus fastosius, mane confluxere. Iterum Venetorum legatos, ambitio ridiculos fecit. Nam, cum palatium, digressio cerimoniarum magistro, ab his, qui conuenerant, oppleretur, ceperatque, pro se quisque, destinatam sibi sedem, iamque sponsum Regem, singuli opperirentur; illi, diatam ingressi, locum occupauere, vltra, quam decuisset, sublimem. quod, apud hos bilem mouit, cachinnos apud alios. Paratis, ad deducendam pompam, omnibus, Rex, ex suo conclauis, in magnum illud cœnaculum ingressus, salutatur omnes ordine, & primo loco principes, ac principum legatos, quo facto exierunt omnes, & conscenderunt equos: ut etiam Rex & Regina. Sic igitur, magna solemnitate, & singulari rerum omnium luxu, in templum D. Marix, processerunt: ubi Regem, proxime antegressi duces, & regis Neapolitani Oratores; & ante hos, Electorum & principum Germaniæ legati; & deinde Veneti, & alii, ordinem a Marchallo acceptum, retinebant. Ante fores templi, de equis descendunt, & eodem ordine, in templum, ad summam aram perrexerunt. ubi duo erant sedilia, ex aduerso posita, & aureis, pretiosissimis puluibus, & auleis exornata: in quorum vno, ad dextram Rex; in altero Regina stabat, amicta cyclade rubra aurea, maximi pretii, & supra eam palla: & in capite, regio insigni, margaritarum, & auri, & gemmarum plenissimo. Supra Regem & Reginam, erat calum portatile, ut vocant, sublatum in sublime, expansum aureum integumentum, quod sex bacillis, sex duces sustinebant. GABRIEL vero episcopus, aquam lastralem, consecratam primum, postea spargebat. Hic, deductorum ad aram sponsi, sponsæque, ritus fuit: more iterum Hungarico, institutus, quando, sinistram regis (m.) obtinebat regina: nisi id mauiis, maiestati, qua præpolluit maritus, adtribuere. Succedebat cerimonia sacra. De qua STELLA: Rex Reginam, manu complexus, ad aram, vna secum adducit, & postquam episcopus, iuratam inter eos matrimonii fidem, summa cum cerimonia, confirmasset, ad suum vterque redit sedile. Et cum mater Regis, & item regis Neapolitani filius, nouis sponsis, optassent salutem, atque his vicissim egissent gratias, coeptum est sacrum fieri, magna dignitate

l.) Vide, citatas supra, Pandectas Triumphales, FRANCISCI MODII, Præfatione Tomi II. Lib. I. vbi prolixè docet, Hungaros *Hastiludis*, uti vocant, sub HENRICO AVGVSTO, Hunno-mastyge, occasionem dedisse, ea pugna, qua ad internecionem fuerant casi: nisi fabulæ sint aduentorum, quæ de ex-

ordis hastiludiorum narrantur. qua de re diximus alibi.
m.) Moris est, nimirum, apud Hungaros, gentinos illos, & tenaces instituti patris, ut dextram ipsi obtineant, sinistram feminis relinquunt, qui tamen, aduersis exterorum elegantis, apud lautiores, exolestere, sensim incipi-

tate & religione. In quo paullo ante benedictionem, Rex iterum Reginam, manu comprehendens, & ante aram constituens, cum ea, in genua procumbit: & cum salutem, multis verbis, iis episcopus esset precatus, erecti ad sedes suas redeunt: & libro Euangeliorum, atque pace, quam vocant, circumlatis, totoque sacro confecto, discedunt e templo, & in aulam, ut a Marchallo dispositi erant, ordinate redeunt, proximeque ante regis conclauis, desiliunt ab equis, & cum Rege, atque Regina, in nouum magnum ingrediuntur conclauis. Vides, quanta adtentione, peracta sint singula. ut desinant omnino, barbariem obiectare nostris, elegantes scilicet homines. Datum inde est legatis, Ludouici Ducis Bauariæ, cognomento diuitis, temporis quidpiam, quos, vbi, pro more, audiuit Rex, instructum opipare conuiuium inuit, eadem prorsus pompa, & discumbentium ordine, quem supra, dies pronubus, obtinuerat. Fercula tum duodecim, conquistissima, adponebantur, & postea, cum mensa fuisset sublata, & manus, Rex, atque Regina, lauisent, & surrexissent de mensa, ceperunt, principum legatis dona, que a suis acceperant, offerre Regina, quibus illa singulis, quomodo gratias, pro pulcherrimis, & gratissimis muneribus, agi vellet, interpreti suo, Georgio a Steyn, explicauit. Quam hæc erat adstricta lautities, ferculis duodecim, regis diem nuptialem, honestari! Vix quisquam est hodie, futuro melior digniorque, quin, fere congeminet numerum. Quæ prandium consequuta sunt, illa fuerunt: Dum hæc sunt, duo equites adueniunt, qui ante conspectum Regis ac Regina, hastilibus congressi, de equis ambo decidunt. Sed postero die, qui Luna erat, dux Limpachius, & Iohannis ab Hag, frater germanus, eodem equestris ludi genere conflixerunt, eodem successu: & Rex, atque Regina, in aurea traba, quam niueus equus ducebat, cum ludicris illos concursus spectassent, postea, per omnes vrbes vicis, circum currebant, insequentibus aliis, quam plurimis trabis. En morem hodiernum! trabis, per compita, oberrandi, ne Hungaris quidem, iam tum Corvini ætate, incognitum. Reliquam nuptiarum, luctus occupauit, morte Pantratii, Transiluanix reguli, conciliatus: dum ipsis Calendis Ianuarii, anno MCCCCLXXVII. instaurarentur iterum repotia, editoque epulo atque choreis, tota ea solemnitas, terminaretur.

§. XIX.

FVsius hæc, quam forte nonnullis placuerit, narrauimus. At, fuit omnino operæ pretium, excussisse nuptiarum ista solemnia, scrupulosius, ut reprimeremus in memoriam posteritati, quibus ritibus, quaque pompa, nuptias suas, Reges Hungariæ, consueuerint concelebrare. Buda profecto, numquam postea, celebritatem, huic similem, vidit amplius. Diximus supra tractatum, a Beatrice, ad elegantiorum cultum, MATTHIAM, tamen, nihil ei ad maiestatem defuerit hucusque, vixille postea, exquisitius, ædificasseque cura adtentiore. Neque id BOXFENIVS, egregius CORVINI aduentator, potuit

diffinulare. Nulla, inquit, domi gemmata pocula, nec chrysendata, myrrhinae, nullis atria auleis vestita: nullus, vel si quis, raro videbatur, & ipse quoque incultus & rudis adparatus: sordida, in quadrata mensa, mappa: cultus omnis, ad equos, & castra translatus: ibi aurum, gemmas, & argentum gestare, mos erat: item, excolere comas, gemmea ferta gestare, habitu lautissimo uti, qui trabes Romanas exsuperet, ceteras parum artes curare. Postquam autem Regina aduenerat, mensas, atque viuendi modum, excoluit; fastidita domorum humilitate, magnificas coenationes, exulta triclinia, aurata cubicula, introduxit, Regem a popularitate auocauit; ianitores foribus adposuit adfidos, intercepti faciles aditus regiam maiestatem, ad seruandum longe ambitiosius, decorum, adiecit; statis Regem diebus, in auditorium prodire, actus dicere, monuit; Scythicis, Italicis mores, inseruit; & latinis quoque epulis, oblectauit; variis, quibus olim carebat, artes, eximiosque artifices, ex Italia, magno sumtu, euocauit. reliqua. Adeo, ad vnius reginae modum, non rex tantum, sed vniuersa etiam Hungaria, breui se composuit. Habuit ea peregrinitas, odium & inuidiam, dum consuescentibus paulatim Hungariae, ciuitate quasi donata est. Buda certe suum florem, huic conuersioni debuit: quippe quam, nouo quasi habitu, MATTHIAS postea induit. Ceterum, difficilius (n.) emollos fuisse ciuium nostrorum mores, ex historico discas. Hungari enim, politicae culturae, ac deliciarum expertes, haec omnia aegre ferre; infanos damnare sumtus; regiam maiestatem quotidie inculcare; quod pecunias ludibrio haberet; vestigalia, ad meliores vsus instituta, in res futiles, vanasque erogaret, a priscorum regum parsimonia & frugalitate, descisceret, patrios seueros mores, exueret, aboleret antiquos ritus, & ad lutinas, immo Gotalanicas delicias, effeminatosque mores, plane transfugeret. Mussitare quoque, nimis vxorium, & externos, non modo aurum, sed principis indulgentia, vniuersum quotidie regnum populari: multa quoque obloqui, & in malam partem accipere. At, diuus ille princeps, omnium bonarum artium parens, & fautor ingeniorum, Hungaricos vulgo mores damnare, rusticitatem Scythicam, & incultam vitam, publice taxare, inhumanos passim ritus abominari, vrbantatem sensim introducere, proceres, cum nobilitate, ad politicum cultum hortari, iubere domos, pro facultate, magnificas erigere, viuere multo ciuilius, ac sese mitius, cum peregrinitate, gerere, quam ante, praeter omnium opinionem abominabantur. Ad haec ergo omnia, in primis exemplo suo, omnes inuitauit. Tanti tunc erat Hungaros nostros, ad peregrini moris elegantiam, aduefecisse. Ac, damnosa omnino, toti Hungariae fuit, MATTHIAE ista mollities; quando, & ipse euasit remissior, & gentem, peregrinis deliciis innutritam, salutis publicae fecit incuriosam.

qua hinc
Buda in-
uentione:

Hungaro-
rum, in
aditum a
rege pere-
grinitatem,
murmura:

Coruini
excelsus
auibus:

mala, qua
extera de-
licia in
Hungariorum
innocentia
runt.

§. XX.

n.) Vide BONFINIUM Decade IV. Lib. VII. p. 631, 22.

§. XX.

Iam, qualem post se Budam reliquerit, MATTHIAS, videamus. Nemo eius imaginem, BONFINIO expressit melius: quippe qui, diutius apud CORVINVM egit, ac forte, ciuitate etiam donatus est. Itaque, praesens spectauit omnia, quaedam etiam suis lemmatis, illustrauit: ad eam rem magnis praemiis conductus, vt res MATTHIAE, auerteret in maius, & ad posteros propagaret. Budensem arcem, inquit ille, vbi praeter magnifica Sigismundi aedificia nihil spectatione dignum erat, excolere adorsus est: retractiorem aulam, nimis exornauit: quippe qui, a Danubii parte, aedulam statuit hydraulicisque organis, item sacro fonte duplici, marmoreo, & argenteo decorauit: collegium adiecit honestissimum sacerdotum: supra, Bibliothecam statuit, mira vtriusque linguae foecunditate completam: cultus quoque librorum luxuriosissimus. Ante hanc cubiculum est, in abside curuatum, vbi caelum vniuersum suspicere licet, qua spectat ad Austrum. Palatia erexit, haud parum a Romano luxu, differentia, vbi laxa triclinia, procoetia, cubiculaque superbissima, item laquearia, vbique varia & aurata, multa insignium varietate distincta: postes insuper, emblemate conspicui, insignesque camini, in quorum fastigiis quadrigae, ac multa Romanorum stemmata, sunt sculpta. infra, hypothecae, thesaurique; ad solis exortum variae coenationes & cubicula, quo altioribus scalis, & ambulacro sane subitur. Bulceterium hic, & diata. Cum ultra processeris, variae mansiones, in excelsam absidem conuexae: hybernacula, aetiuaeque laque multa: item heliocamini, & auratae zetae. praeter haec, alta, abditaque secreta, argentei lecti, argenteaeque cathedrae. Ad occasum, vetustum opus, nondum instauratum; in media area, veteri porticu, circumuenta, quam duplicia coronant ambulacra: quorum supremum, nouoque palatio praepositum, qua ad summa triclinia conscenditur, duodecim, signiferi orbis sideribus, insigne, non sine admiratione suspicitur; tessellata vermiculataque vbique pavimenta teruntur, nonnulla encaustica sunt: caldariae passim, frigidariaeque cellae: hypocausta in tricliniis mammatis tegulis obtecta, quae non modo colorum pulchritudine, sed animalium confictorum varietate, conspicua. In subdualibus, e conspectu pedestres tres statuae, ex alto non inermes, adeuntibus obiciuntur. Galeatus in medio MATTHIAS constitutus, hasta clypeoque innitens, cogitabundus: a dextra PATER, & subtristis a laeva Ladislaus. In medio subdualium fons aeneus, marmoreo lacu, circumuentus, cui Pallas galeata, subcinctaque imminet. Ad aulae huius aditum in anteriore subduali, quod multo laxius est, hinc & hinc, duae constitutae, ex arc, statuae nude, clypeo, securi, enseque, iuxta minantes; ad basim circumsculpta sunt trophaea. In hac igitur quadrata area, ante Sigismundi atria constituta: vetus, a latere palatium, instaurare co-

Qualem
post se Mat-
thias reli-
querit Budam?

Bonfinii
verbis ex-
ponitur:

perat,

perat, quod, si præstare potuisset, plurimum de superba vetustate referebat. Geminas huic scalas adiecerat, porphyreo marmore, æneisque candelabris insignes. Ex eodem lapide, geminas huic ianuas, superstruxerat, quas ænei postes, & affabre facti, Herculeisque laboribus admirabiles, & non minus a tergo, quam a fronte, spectabiles, exornabant, quibus illud *Antonii Bonfinii* Epigramma mandauit incidi.

ATRIA CVM STATVIS, DVCTIS EX AERE, FORESQUE,
CORVINI REFERVNT PRINCIPIS INGENIVM.
MATTHIAM PARTOS TOT POST EX HOSTE TRIVMPHOS,
VIRTVS, AES, MARMOR, SCRIPTA, PERIRE VETANT.

Contignationes huic infano sumptu destinarat, quibus laquearia aurigantes per æthera planetas, continerent, erratilesque cursus, miro suspectu, referrent. In fronte, subgrundis rectorum triglyphos subicere decreuerat, & qua posset arte, conspicuum opus efficere. In fontem regie, per octo fere stadia, pixidatis tubis, fistulisque plumbeis, aquam subduxerat. *Sigismundi* ambulacrum, quod totam fere arcem ambibat, ne pari quidem sumptu, prosequi cepit. Ille, æternitatis destinatione, hic temporaria, in ambulacro, mora, ædificauit. Laxos longosque ibi tractus instituit: specularia quoque multa, item atrium murorum minis impositum, ex lignario opere confectum, vbi triclinium, cubiculum, præterea apodyterium: & paullo retractius, lucubratorium, graphiariumque locum, perfecit; sed inuentum vesanam ruinam in Danubium minari videbatur. Extra arcem, in proxima conualle, horti subiacent amoenissimi, marmoreaque villa. Huius propylæum, columnis tessellatis, embrycatisque circumdatum, quæ ænea candelabra sustinent. Triumphales sunt villæ postes, & triclinium cubiculumque, cum laqueariis & fenestris, vsque adeo spectabile, vt lautissimam antiquitatem propius accederet. Qua spectat in hortos, porticus subest. In hortis labyrinthus, ex arboribus confitis, institutus. Insuper auaritia, e peregrinis nostratibusque auibus: quæ ferrea retia coercebant. In auariis quoque arbusta, fructiferæque arbores, & nemus, item xysti, per ordinem digesti, variisque arborum generibus circumuallati. Insuper cryptoporticus, prata, lithostrata, piscinæ. Turres quoque cœnaculis ac pergulis obductæ, in quibus cœnationes, cum vitreis specularibus, vsque adeo iucundæ, vt nihil putes amoenius. Argentatis villa regulis contacta. Quia & in vltiore Danubii regione, in *Pestano* agro, ad primum lapidem, suburbanum habuit, ne minore quidem amœnitate, delectabile, vbi a curis animam relaxare mos erat. Item, in *Budensi* agro, alterum sibi erat suburbanum, ad tertium lapidem, vbi siluestrium ferarum, amplissima sane viuaria spectabantur. magna quoque hic cicurum copia. Hæc

BONFI-

BONFINIVS (o.) quæ integra dare maluimus, quam interpolata, vt in promptu sit, vnde condiscat lector, cum regis *Coruini* magnificentiam, tum habitum quoque *Buda*, nulli tunc regiarum urbium, quæ tota erant Europa, de gloria concedentem.

§. XXI.

Subit mirari, cum in enarrandis operibus, *MATTHIAE*, tam diligenter versatus sit *Bonfinius*, non descripsisse Bibliothecam *Coruini*nam, pro eo, ac meruerat. quod negligentiam tribui oporteat, an in scribendo, fatietati, ambigo. *NICOLAVS OLAVVS* (p.) celeberrimum tota Hungaria, nomen, eius nobis memoriam adseruauit: *BUDA*, inquit, præter situm atque architecturam tam regiam, tum corpore *DIVI IOHANNIS ELEMOSINARII*, insignis fuit, tum ob Bibliothecas, *MATTHIAE CORVINI Regis*, memorabilis, & admiranda. Qua iter ad stationem ex latere interioris Bibliotheca, ad sacellum *D. Iohannis*, perforatum, vnde Rex sacrum audire consuevit, dua obuia sunt ades concaemerata; quarum altera, voluminibus *Græcis*, partim e medio *Græciæ*, partim ex aliis orientis regionibus, per regum, non minori cura, quam labore, eo congestis referta erat; altera interior, continebat codices totius lingue *latina*, a primis rudimentis, ad arcem vsque omnium scientiarum, per capsulas, & localamenta, ordine quosque suo, distinctos. Tegebatur, horum quodlibet, velum sericeum, coloribus auroque variegatum, cum indice disciplina, & professionis, in quas libri erant discreti. Maxima voluminum pars, constabat membranis, colligata serico, umbilicis, fibulisque argenteis, auro lucidis. Audini a maioribus, *MATTHIAM Regem*, dum viueret, aluisse semper ad triginta seruos amanuenses, pingendi peritos; quorum ego plerosque, illo mortuo, noueram. Horum erant opera, omnes fere, & *Græci* & *Latini* codices conscripti. Præfectus his, *FELIX RAGVSINVS DALMATA*, & ipse iam senex, mihi cognitus, qui non modo *Græce* & *Latine*, sed *Chaldaice* & *Arabice* doctus; præterea, in ipsa quoque pictura exercitatus, sedulo aduertebat, ne quis error, in describendis libris committeretur. Præter has, & alia dua erant bibliothecæ, in locis diuersis arcis, sed prioribus inferiores. quas omnes *Turca*, post *LEODOVICI* regis, ad campum *Moháts*, interitum, qui anno *MDXXVI. d. XXIX. Augusti*, contigit, *BUDA*, *Septembris sequentis octaua die*, postea capta, partim dilacerauit, partim in alios usus, argento detracto, dissipauit. Proh execrandum facinus. Superabant tamen reliquæ, tenues ex quidem, & habitæ pessime; sed dignæ tamen visæ, quas *LEOPOLDVS M. Lambecio* administro, aditum vero *Comite Leslao*, legato *Cæsareo*, præstruente, inuiseret: cuius instituti mentionem, infra (q.) habebimus. Ceterum, nequit omnino, Bibliotheca sine scribarum esse ministris.

Tom. III.

F f

niste-

o.) Decade IV. Lib. VII. p. 631, 36.

Cap. V. §. II. p. 9.

p.) In ADPARATV nostro, ad Historiam Hungariæ, Decadis I. Monumento I.

q.) Periodo Urbis Budensis Barbaricæ §. LVI.

Parcior ei
Bibliotheca
Budensis
mentio:

describitur
ea ex Oia
ho:

nisterio, Augusta potissimum, ubi nunc indices sunt cendendi, nunc exscribendi libri, rariores, & quos nullo vsquam pretio, possis comparare; praestandae item operae aliae, illis cognitae, qui sacraria haec sapientiae, haud a limine, salutarunt. Sed, dubito tamen, omnes fere, Latinos, iuxta & Gracos, recenti horum manu, descriptos fuisse. Codices profecto *Coruiniani*, qui sunt in Augusta Vindobonensi, a clade superstites, curiosius a nobis, praemonstrante GENTILOTTO, Bibliothecae tunc praefecto, ante haec quatuor lustra, excussi, plerique omnes, Graeci & Latini, multum canae illius referunt antiquitatis; suntque ideo maiori in pretio, quia prisca manu exarati. Nam, in codicibus quidem, quos manu scriptos dicimus, non tam characteris elegantiam, quam aetatem, & quae hinc pendet, fidem auctoritatemque, spectamus. Ceterum, fere id ex *Olabi* hac descriptione confeceris, iam tum aetate WLADISLAI, qua efflorescere coeperat *Nicolaus*, multum, de copia, elegantia, & adparatu, Bibliothecae *Coruinianae* reliquo, detractum fuisse. Quod & primum fuit evenire, post *MATTHIAE* fata, quando, *Beatrix*, & ducis *Iohannis*, diuersissima studia, regios thesauros, pessumdere. Quidquid eius sit, gratiam iniit apud posteros, *Olabus*, quod umbram hanc, incomparabilis thesauri, ad nos usque propagavit.

§. XXII.

Copiosus, rem omnem, exsequutus est, *NALDVS NALDVS*, *Florentinus*, in epistola, de laudibus Augustae Bibliothecae, ad *MATTHIAM Coruinum*, Regem Serenissimum, quam eo minus dubitamus, in *MANTISSA* ad urbem, luci publicae exponere, quo certum est magis, latuisse eam hucusque, vna cum *Quatuor Libris Carminum* de re eadem. Neque poterat *MATTHIAS*, profecto, inquam, non poterat, seu de gente nostra vniuersa, seu de regia sua, mereri, exquisitius, quam Bibliotheca posita, viris cruditis, in regnum, regalibus praemiis, illectis, atque litterarum amore, etiam strepentibus armis, non in sacros modo viros, sed omnium quoque ordinum homines, propagato, meritus est. Ingeniorum sane cultus, felici adeo prouentu, hac *Coruini* aetate increbuerat, ut, si fata voluissent, superstitem relinquere *MATTHIAM*, breui ex Hungaria Italiam facturus speraretur, quae vnica tunc, reuiuiscens litteris, & ingenijs valuit, & qui haec aluerunt, principibus viris. Apud nos, *Iohannes Vitaeus*, *Ianus Pannonius*, *Nicolaus Balthori*, *Vrbanus Döczy*, viri sacri, ad eam eruditionis famam pertigerant, ut, non Italos tantum aequare, sed prisca etiam illa, doctissimorum hominum nomina, aemulari posse viderentur. Adeo verum est illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Nemo autem non *MATTHIAM*, vti bellicosissimum, ita sapientissimum regem, optimo suo merito, praedicabat. Quin & *Buda*, ea conciliata

ceptis eius
praesula
aetate, de
profecere.

Naldi Naldi,
de laudibus
Bibliothecae
Budensis, ad
Matthiam,
epistola &
Carminum
Libri IV.

Matthiae,
de litteris,
& per hanc,
de Hungaria,
bene
merita:

ingenio-
rum, eius
aetate, pro-
uentus:

liata per orbem, existimatio fuit, ut, qui codices veteres, Gracos Latinosque, penitus volebant cognoscere, huc aduolarent, tamquam ad sacrarium, antiquae illius litteraturae. qui demum, ad conuictus regios, ac fere contubernia, admissi, atque donis exculti, latissime, dum redibant ad suos, regis laudes diffundebant, celebrabant *Budam*, vindicabantque gentem *Hungaricam*, a barbarici, atque crudelitatis, quod obiciebatur, crimine. Tanti erat, admisisse in regiam, *Musas*, cum suo *Apolline*.

Buda cer-
lebritas, huius
studii con-
siliata:

*In freta prorumpens, septena per ostia magno
Gurgite, dum fluctus Ister turbabit amarus,
Dum patriis Latia Musis memorabile Lingua
Viuat opus, nullo diui periturus in auro
MATTHIAE durabit honos: nec nominis unquam
Deficient monumenta sacri (r.)*

Alioquin, diuersorium, tota *CORVINI* aetate, *Budam* dixisses, ducum, principum, & clarissimorum quorumque virorum, qui frequentabant regiam, obseruabant Regem, & tamquam in exemplar belli & pacis virtutum, intuebantur, ab eoque in vtramque partem, praecpta sumebant. Hi demum, quidquid, siue domi habebant rerum inusitata- rum, siue e transmarinis accipiebant, *MATTHIAM* iis honestandum, existimabant; non tam, ut referrent, lautissimo hospiti, gratiam; quam, ut testarentur, quanti faciant regem, tot & tantarum virtutum exemplis conspicuum. Ergo, hi veteres libros, illi arma, animalia exotica isti, militabant: singuli, ea destinatione, ut his donis, ingenium regium, numquam non solers, & audum rerum insolentium, alerent sustentarentque. Tunc primum *Buda*, leonum gregem, plures enim fuisse aiunt, mirata est, quem *MATTHIAE*, *Florentini* dono miscrant. Eleganti rem poemate quod ille Hungariae, *IANVS PANNONIVS (s.)* prosequutus est:

excerarum
dona:

leones a
Florenti-
nis missi:

*Non Tibi MATTHIA, Rex inuictissime frustra
Gens Masyleum misit Hetrusca pecus.
Mallarum fecit par conuenientia rerum
Hac merito possunt, ut Tibi dona dari.
Tu princeps hominum, princeps leo, nempe serarum,
Nobilis ipse iuba, pulcher (t.) es ipse coma.
Vnguis ille ferox, gladio Tu fortis & hasta,
Parcere Tu videtis, parcere & ille solet
Quid? quod idem ducibus, clarum est insigne BOEMIS;
Grande noui sceptri, scilicet, omen habes.*

Iani Pan-
nonii de
epigram-
matibus:

Ff 2

Vl.

1.) *CORTISIVS*, de *Laudibus Matthiae*, in
Appendicibus *ROBINI* p. 913.
2.) In *Poematibus* p. m. 253.
3.) *Lego* his, viuis quati descriptum co-

loribus *MATTHIAM* apud historicum,
Decade IV. Lib. VIII. p. 653, 10. quem
nos locum infra dabimus, cum *MATTHIAM*
leona *CORVINI*, spectandam sileamus.

Vtini hi versus, indicium faciunt, sub idem tempus, dona hæc accepisse MATTHIAM, cum diadema Bohemicum, indulgente summo Pontifice, suum, commoto bello, facere nitentur. Monstratum nobis est, eorum viuarium, non prorsus, in obsidione, desolatum. ea, nimirum regione, qua fuit turris hydragoga, perpetuo muro, regia, per montis latus, connexa. Sed iidem isti leones, mortuo Vienna rege, haud sine omine, ad eundem emortualem diem, interiere. *Leones quoque*, inquit BONFINIVS (u.) *qui Buda detinebantur, omnes eo, quo Rex, die, interiere.* Res profecto miranda, si absuit, in necandis veneno bestiis, maleficium, quæque facile persuadere poterat Hungaris, *leonem*, in CORVINO, occubuisse, nulli postea metuumum.

interiunt
rege mor-
tuo.

§. XXIII.

T Ametsi vero, ad summum gloriæ culmen, Budam euexit MATTHIAS, versatusque est inter medios ciues, dum hic agebat, propemodum, quam pro Regis maiestate, familiaris; tamen, eo non raro, præcipitis iræ, & acerbitatis processit, vt leuissimas quasque offensas, non dubitaret, minis capitalibus prosequi. Exstat eius, ad ciues Budenses, epistola, laconica certe nimium, sed minarum plena, quæ apud BALBINVM (v.) sic habet:

Matthias
in ciues be-
nignitas:

ex-
citantia:

eius exem-
plar, laconica
epistola, expres-
sum:

MATTHIAS, DEI GRATIA HUNGARORVM REX.

Bonum mane Ciues! Ad Regem omnes
Si non venietis, capita perdetis. Budæ.

REX.

Adco, summis etiam ingeniis, vitii quædam admixta est contagio. Nempe, *similis est leonini fremitus, regis indignatio; estque quasi leonis rugitus, regis terror*, vt inquit SALOMO (x.), regum sapientissimus. Quidquid eius sit: amisso MATTHIA, amittere simul decus Buda coepit, cum tota vniuersim Hungaria, Nos ei, cum ipsi nequimus, pro eo, ac dignum est, MARVLLI versibus parentemus.

mortuo
Coruino
Buda decre-
menta: epi-
taphia, a
dicitur ei po-
sita:

*Legibus imperioque aucto, bellique domique
Vix reliquis laudi iam locus ullus erat.
At postquam Aonidum studia accessere benigna,
Vtterius dixi, nil dare cura potest.
Vtterius das ipse tamen, crescenteque passim
Plebe noua, e proprio, tecta domosque paras.
Sic ope, sancte Tua, Patria Pater vndique leges
Crescunt regna, artes, plebs noua, tecta noua.*

Et

x.) Ibidem p. 650, 32.

v.) Epitome Rerum Bohemicarum Lib. v.
Cap. xi. p. 563.

x.) Proverbiorum Cap. xix. versu 12. &
xx, 2.

Et TITI VESPASIANI STROZZAE carmine:

*Quas Tua non adiit, Rex inuictissime gentes
Gloria? MATTHIAM, qua tacitura dies?
Lata nouam mundo natura fauentibus astris
Addidit in lucem, Te veniente decus.
Nec fors, nec ratio, nec mentis inuidus ardor,
Nec pars virtutis defuit vlla Tibi
Protulit antiquos, regni, Te principe fines
Pannonis: arctois, gens dominata plagis.
Te Geta, Te Dacus tremuere, acerque Boernus
Horruit, et vires ora Liburnia tuas.
Efferat, quid bello posses, Germania sensit,
Nec vis conatus vlla morata tuos.
Vt calum ornarent animo maiora parantem,
Fatales terris, Te rapere Dea.*

Denique, breui illo, sed verbosissimum quodque carmen, exsuperante TYBALDAKI disticho:

*Hic iacet insignis MATTHIAS, quem docuere,
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.*

Hæc (y.) instaurando MATTHIAE honori, quem recordatio rerum, a rege fortissimo, præclare gestarum, animo suggessit, adscripsisse placuit.

§. XXIV.

D VM MATTHIA, rebus humanis exempto, diuersissimis studiis, quæ in eligendum regem nouum, impendenda erant, Hungari inter se colliduntur, Budam factione optimatum iactantam, annales meminerunt. Agitabantur in campis Râkos, comitia, vbi, dum IOHANNIS Coruini; *Beatricis* reginæ; *Casaris*, & *Bohemorum* legati, diadema, pro suo quisque principe, ambientes, audiuntur, *Coruinus*, arcem *Budensem*, cum valido præsidio, occupat. Infederat illic, post funebrem pompam, *Beatrix*. Sed, cum vires adolescentis non minus, quam ingenium, ad intempertiuam prouum tyrannidem, metueret, sponte sua, an procerum suafu, regiam deseruit, inque *Vrbani* quæstoris ædes, habitatum concessit. Ergo, rerum in arce potitus *Iohannes*, vt factionem, quam pro se in comitiis habebat, in sententia obfirmaret, arcem, quam potest, adtentissime custodit, vtque popularis videretur, *Petrum*, Archiepiscopum Colocensem, a patre, *Beatricis* rogatu, sexennio, laxiore custodia detentum, liberum esse iubet. Addiderat *Iohanni* permultum spiritus, *Sigismundi* Quinquecclesiensis episcopi, & *Laurentii*, ducis Uylakensis, accessio. Venerant hi, cum exercitu, in *Pesthanos* agros, dubii adhuc

Quibus, post
Coruini
facta, ma-
li, adstiterit
sit urbi:

Ff 3

huc

y.) Exstant, in laudatis Poematibus, IANI PANNONI p. 288. seq.

huc, quas, in rege eligendo, partes sequerentur. Itaque, eorum quisque fauorem aucupari, utque secum facerent, rogare, amplexari. Res, Iohanni tunc bene successit. Noctu enim, cum metropoli, in Sigismundi, & Laurentii, castra venit, effecitque, ut in partes suas penitus concederent. Postero die, urbem & ipsi, uti Beatricem consalutarent, mox & arcem, apud Iohannem coenaturi, subeunt. Accendit ea res aduersam partem, quae tunc, dimissis comitiis, & obtenta regis eligendi potestate, Pesti, in D. Genitricis Basilica, consultabat. Itaque, sollicitare Sigismundum, Laurentium, & qui cum eis faciebant, reliquos, inque sententiam suam pertrahere. Neque ii, a senatu se abstinuerunt; sed, quod pars aduersa, in rege designando, inconsultis iis, longius, iam processerat; miseratio item IOHANNIS, & patris, de se bene merita, animis obuersionentur; soluto senatu, cum Petro Colocensē, Budam, ad Coruinum, clam redeunt, eiusque languentes partes, quomodocumque instaurant, exercitum, qui septem millium fuisse perhibetur, in citeriorem amnis ripam, transducunt, atque, urbis, quam procerum aliqui tutabantur, simul occupandae, consilium suscipiunt. Audita hac aduersariorum audacia, hi, qui Pestini, comitiorum specie, superabant, Budam, quam possunt ocyllime, adcurrunt, ac, ne Coruiniā factioni, quidquam viderentur concedere, arcem obsidendam expugnandamque ante statuunt, quam latius vires propagarent Coruini asseclae. Negotium, inquit BONFINIVS (z.), Stephano Bátori, Kinisioque Paulo, & Bertholdo, viro impigro, clarissimis, disciplinae militaris, imperatoribus, datum. Hinc expugnandi tormenta munitissima; illinc propugnacula; pari utrinque ingenio comparantur. Pro Bátoro, Drach (a.) Bertoldus, vicem gessit. Nempe, ex vrbe non minus, quam extus, arx oppugnanda erat. Atque, vergebat sane res ad bellum civile; cum instructas ad concurrendum acies, bonorum virorum intercessio, diremit; sed euentu haud quidem alio, quam quod, conciliatis induciis, de concordia, mutuo fancienda, in aede D. Sigismundi, quae pro arce fuit, frustra consultaretur. Ter enim, quaterue, ibidem habito colloquio, profici haud potuit, ut pax solida fieret. Arci, & vrbi, id saluti cessit, quod, crescente aduersariorum, & robore, & numero, Coruinus, arce, cum thesauris decedere statuit: ne intra moenia conclusus, vltima quaeque experiri cogeret. Atque, excessit sane, sed inauspicato, quando, non thesauros modo omnes, quos pater, & magnos coraserat, & inusitata rerum pretiosissimarum, copia, vltra, quam id credi possit, inluxerat, prodegit; sed, in pessimam quoque, se, & sequaces suos, fortunam induit. Prælio, namque ad Sarnizum, superatus, quidquid secum habebat opum, victores diripere. Victores, inquit, (b.) castris potiti, & praeda cupiditate pellecti, in carros & impedimenta, relicto hoste, se conuerterunt: hi regias vestes, aurea & gemma-

z.) Dec. iv. Lib. ix. p. 667, 44.

a.) Lege, Bertholdus Drágffy, seu, more Hungarico, Drágffy Berthóth.

b.) BONFINIVS, ibidem p. 667, 45.

gemmata vasa: illi ceteri, uti fors obtulerat, pro se quisque in preciosa, multiplicisque supellectilis rapinas irruerant. Diripiuntur, per tot annos congesti, magna parte, thesauri, & pro velut libidine, diuiduntur. Currus autem multi, preciosioribus rebus onerati, in proximis Sigismundi oppidis adseruati. Quin & finitima rusticorum manus, in pradam aequae conuersa, quacumque impedimenta, in pagos & nemora propinqua, confugerant, caesis actoribus, omnia diripiunt. Et amici quoque, ditandi occasionem nacti, ut sibi potius, quam hosti, paganaeque multitudini, proficerent, iuxta diripere. Proinde, maxima CORVINO iactura, eo die illata; quin, plus, quam centies mille nummum aureorum amisit. Calamitosa eo die parva victoria, quia nullus alius, quam Hungarorum sanguis, effusus est, & publici thesauri, impedimenta, priuata libidine direpta. Ad hunc modum Buda, thesauris regis, exinanita fuit. Scilicet:

Quidquid in altum

Fortuna tulit; ruitura leuat.

Modicis rebus, longius auum est. (c.)

§. XXV.

PROFLIGATO Coruino, felicioribus consiliis, Bude, res agi coeptae sunt. Enim vero, WLADISLAVS, tacita plerorumque optimum consensione, iam tum, in Pestano comitio, designatus, nunc demum, pro concione, apud aedem D. Georgii, propalam rex declarabatur. tanto populi applausu, uti eo die, tota Buda, nihil aliud, quam faustissimum WLADISLAI nomen, resonaret: insuper, ante priuatas aedes Beatricis, felix, toto die, facta est acclamatio, magni plausus editi, & in signum publicae laetitiae, missilia, cum pecunia, sparsa. Honestauit postea, viduam rege Budam, WLADISLAVS, cum solemnī pompa, deductus, ante inaugurationem, urbem arceque, intraret. Cum enim, nouum principem, adpropinquare, rumor esset, ciuitas, eius confecta expectatione, tota, editis publicae laetitiae signis, in occursum effunditur. Ad quartum ab vrbe lapidem, proceres & antistites; urbani magistratus, & delectae ciuium cohortes, vltra veteris Buda suburbia, processere. Primo omnium, Iudeorum manus regi occurrebat, tabulas Mosaicæ legis præferens, rogabatque, pro more, supplex, uti vetera regum priuilegia, Rex nouus, rata haberet, intemerataque. Et sacras quidem tabulas, haud irreuerenter WLADISLAVS habuit; immunitatem, quam haberent, seruaturum se, liberaliter spondit. Inde prouectus, omnes magistratuum ordines, & collegia sacerdotum, antistitesque, numinum simulacra præferentes, obuios habuit. Sacrum hi carmen, magna laetitiae significatione, modulabantur. In hac adplaudentium celebritate, Buda noue, sensim adpropinquatum est. Ad portam urbis, sub purpurea, fimbriataque umbel-

Wladislaus Budae rex declaratur:

via in urbem ingressus:

c.) SENECA, Agamemnonē, versu 106.

arce, ex vrbe, obsidenda consilium:

infelix, Iohannis Coruini, ex arce, demigratio:

diripiuntur Matthie thesauri.

umbella, regalibus circumfluitantibus armis, a supremo admittitur magistratu. Curiam postea, inter festiuas adclamantium voces, præteruectus, supplicem noxiorum multitudinem, impunitate donauit. In arcem mox, & regiam, a *Blasio*, qui ei præerat, obsequentissime traditam, deducitur. quod, pridie eius diei, quo *D. Laurentii* solennia celebrantur, factum esse in annalibus (*d.*) legimus. Perturbaerunt, hanc *Budæ* felicitatem ingruentia, hinc, atque illinc, bella. *Maximilianus* citeriorem, vltiorem Hungariam, *Albertus* frater, infestis armis, inuaserat. Vtrique, de rapiendo ad se diademate, quo iam inauguratus fuerat *Wladislaus*, consilium. In primis, *Budam*, sibi *Maximilianus*, destinabat, post *Albam* vi captam; vt metropoli potitus, simul, rerum summam ad se pertraheret. *Capta Alba*, inquit *Boneinius* (*e.*), statim *Cæsar*, ad *Budam oppugnandam*, animum cogitationemque omnem, intendit. quam, si subito adgressus esset, nullo tunc presidio, & munitione firmatam, & vicinæ in primis vrbs calamitate perterritam, haud cuiquam dubitandum videbatur, quin in potestatem, & imperium, nullo negotio, redacturus fuisset. Verum, quo minus id faceret, moram militum seditio, adtulit. qui ipsum exercitum eo adducentem, sequi noluerunt. Ac fuit hoc sane vrbi salutare. *Báthory* enim, & *Kinisy*, summi duces, a rege tunc absente, ad vrbs munendam submissi, vniuersa, ex finitimis pagis, in vrbs, rustica turba, compulsa, & vino, frumento, armentis, ceterisque eius generis, com meatibus, celeriter ac studiose comportatis, & mœnibus, ciuium opera, diu noctuque laborantium, redintegratis, eo rem breui adduxerunt, vt *Cæsaris* impetum, suis ipsorum viribus, sustineri posse, confiderent. nedum, si rex se adiunxisset, qui, cum validissimo *Bohemorum* exercitu, *Pisonium* iam tum accito, propediem adfuturus nunciabatur. Quod & ita euenit; sed dum demum, vbi destinatione sua exciderat iam *Maximilianus*.

§. XXVI.

GEMINO hoc discrimine, post *Matthiæ* fata, exempta *Buda*, primis *Wladislai* comitiis, locum dedit. Cum enim, bello, hinc *Germanico*, illinc *Polonico*, mascule profligato, pax vtrouque parta fuisset; *Turcicum* supererat, eo maiori virium contentione, prudentiaque, administrandum, quo iniquiore ferocia, finibus peruasis, regionem hostis infestabat; comitia, ad *Calendas Februarias* anni *MCCCCXCII.* rex *Budam*, indixit. Exstant eius comitii decreta (*f.*) articulis, si regni *Slauoniae* sanctiones demas, centum & octo, de-

d.) Vide *BONINIUM*, loc. cit. p. 674. 55.

e.) Decade v. Lib. 1. p. 689. 3.

f.) Decretum *Wladislai* primum, siue *Maius* vocant nostri. Vide *Corpus Iuræ Hung.* p. 174. seqq. auctum postea anno *MCCCCXV.* nouis additioni-

bus, itidem *Buda* perscriptis, publico in comitio. Adde anni *MCCCCXIII.* comitia, *Buda* habita. Reliqua, in campis *Rákos*, agitata, a *Wladislao* fuisse, ex Decretorum prologis, & epilogis, constat.

descripta. Longum foret, vel in compendium mittere, leges, quæ tunc perlatæ sunt. Consultum fuit, & belli & pacis studiis: vt, cum foris bellandum esset, domi, ex legum præscripto, viueretur, tribueretur suum cuique, nulli, siue a rege, siue a popularibus, fieret iniuria: in propulsandum autem hostem, vnanimi virium contentione, incumberetur ab omnibus. Dissidii quidpiam, *Beatricis* cum Rege, sponsalia edidere. Nam, cum *Petrus*, metropolita *Colocstensis*, de iis concelebrandis, publice ad senatum retulisset, ab vniuersa concione, reclamatum est: eo quod, regem omnes, fecundam virginem ducere oportere; & regno Hungarico, nihil sterilitate reginæ, incommodius accidere posse, adsererent. Ergo, dimisso comitio, *Beatrix*, cum neque per legatos, neque per nuncios, quid de sponsalibus suis, patres decreuissent, cognoscere potuit, ludificari se rata, *Strigonio*, *Veterem Budam*, vbi palatium, a *Matthia* excitatum, possidebat, accessit, eo quidem consilio, vt, quoad liceret, sibi, causæque suæ, velificaretur. *Budam* tamen nouam, ascendere verita est, ne, si inuito rege eo venisset, parum honeste cogeretur retrocedere. Interim, multi ad eam principes, quos ipsa sibi, promissis & muneribus, obstrinxerat, officii significandi gratia, commigrabant. Rex, vix adduci potuit, vt eam semel interuideret. Quam ob rem, delusam se videns dolensque, septimo post die, quam venerat, *Strigonium* rediit, & a patre *Ferdinando*, vti per legatum, quid de nuptiis sentiret *Wladislaus*, exploraret, maiorem in modum petiit. Atque aderat sane, ad *Calendas fere Iunii*, *Andreas Caraffa*, vir summo loco natus, qui id, omni adhibito artificio, præstaret; sed, qui tamen, diu pertentato regis animo, nihil effecit aliud, quam vt responsum ferret: se, quid de reginæ coniugio sentiat, proxime, per legatum, *Ferdinando* expositurum. Ea legatio, *Antonio*, *Nitriensi* episcopo, demandata fuit, qui salutato *Alexandro VI.* Pont. Max. Idibus *Octobris*, *Neapolim* peruenit. Sterilitatem reginæ, patres, ne consummaretur matrimonium, obtendebant; aliud, credo, ne id quoque scilicet, *Wladislaus* in animo habuit. Intercesserat ei, cum femina, intimior, quam pro vidua, familiaritas, forte, vt experimento addisceret, possetne, & sibi liberos, & regno successorem ex *Beatrice* procreare. Cum ergo a Pontifice Max. cui rem arcanam, aperuerat *Beatrix*, acrius id sibi, & cum censura ecclesiasticæ interminatione, exprobraretur; fastidire primum, mox auersari, denique prorsus respuere *Beatricem*, tamquam quæ pronubos amores, ceu insolens ac vitium pignus quoddam matrimonii, Pontifici propalasset. Habemus litteras, quibus *Wladislaus*, eam ob rem, seuerè corripiebatur, sic autem incunt: *Charissime Alexandri VI. in Christo Fili noster! sapius Maiestatem Tuam, de Venerabili fratrum nostrorum, Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalium consilio, tum litteris, tum per bonæ memoriæ Vrsum, episcopum &c. Nuncium Apostolicum ad Tuam Maiestatem, paterna monitione hortati sumus, vt Charissimam in Christo filiam nostram, Beatricem, de Aragonia, claræ memoriæ,*

TOM. III

Gg

MAT-

Beatricis,
ob matri-
monium
reginæ, tu-
quies:

Buda im-
minet Ma-
ximilia-
nus:

munitur a
Báthory,
& Kini-
sio.

Wladis-
laus comi-
tia Buda
celebrat:

Alexan-
dri VI. et
de re, se-
ueriores ad
regem lit-
teras.

MATTHIAE, Hungariae Regis, relictam; cum qua, ut ipsa adserit, matrimonium per verba de presenti, legitime contraxisti, ac carnali copula, consummasti, in uxorem traduceres. reliqua. Sed, frustra fuit, iusta hanc Pontificis (g.) monitio. Nos, ad urbem redeamus, ob mentionem Beatricis, tantisper relictam.

§. XXVII.

Wladislai
desiderii, Buda
de uxoria:

Felix iam Buda futura erat, nisi desiderem regem, gremio accepisset. WLADISLAVS enim vero, pacato foris, atque domi, regno, ad vitium usque, paci & otio deditus: uti gentem fere imbellem fecit; ita Budam, nuper, quasi Martis quoddam templum, conuertit in officinam, omnis generis libidinum: non, quod eis se traderet ipse; erat enim castigati moris quam studiosissimus; sed, quod nimia remissione animi, atque indulgentia, veternum Hungaris induceret. qua demum re fiebat, ut otia, quae cum rege molliter agebant, pro suo quisque ingenio, similitudinibus huius, atque apertis odiis, raptis & violentiis illi; isti, gulae, luxui, & abdomini, impenderent. Ita gens fortissima, vnus regis cessatione, propemodum desciuit, a nupera virtute bellica: ut verum sit illud, quod est in paroemia: *In molli carne, vermes nasci*; hoc est, vitiorum monstra, quae rempublicam exedunt, ad intima viscera. Alioquin, lubenter Buda residebat WLADISLAVS, neque digrediebatur hinc, nisi, vel animi causa, vel metu pestilentiae. Ac primo quidem, Leuchoniense, cum fratre Alberto, colloquium, regem hinc auocarat: iter inde, per Transiluaniam, & Hungariae inferioris fines, institutum a rege est (b.): Sigismundo, Quinqueecclensi, & Stephano, Syrmicensi, episcopis, cum Blasio, arcis praefecto, Buda relictis, ut se absente, regni caput, administrarent. Annus, ea regis peregrinatione, extractus fuit; ob bellum, quod aduersus Laurentium, ducem Uilakensem, frana tunc mordentem, Bertholdi Drassii ductu, gerendum fuerat. Rebus tandem, ex animi sententia, confectis, debellatoque Laurentio, per Batham, Sexardiam, Albamque Regalem, primis Aprilis diebus, Budam, WLADISLAVS reuertitur, atque Turcarum hic legatos reperit, decennales inducias poscentes. Dum rex ab urbe abfuit, atque Bacia potissimum diuersabatur, ostentum, prorsus inuisitatum, ac Buda nostrae ominosum creditum, de caelo adparuisse, BONFINIVS (i.) auctor est: *His diebus, inquit, mirificum, in caelo, ostentum adparuit. quod nos, ab iis, qui viderunt, auditum, nullo modo, praetermittendum duximus.* Nicolaus, Sigismundi questoris familiaris, Buda, ad regem, dominumque suum properans, in villa, cui Solita (lege Solth) nomen est, magna in aere luce, cum ingenti fragore,

lubenter
istis sedes
habuit:

ostentum
Buda bo-
vorificum:

g.) Leges BONFINIVM, Decade v. Lib. II. EXTREMO, p. 702. & Lib. III. p. 711. 43. ISTVANFFYVS, Lib. II. p. 23. & 24. & Lib. III. p. 44. I. LYDORICVS TYBERONEM, Lib. V. p. 122.

h.) BONFINIVS loco cit. Lib. III. p. 713, 22. ISTVANFFYVS, Lib. III. p. 33, 33. Enit hoc, anno MCCCXCIII.

i.) Decade v. Lib. v. p. 726, 10.

oculis auribusque suis obiecta, repente rei nouitate exterritus, in terram procubuit, suspiciensque inde in caelum, B. VIRGINIS speciem, cum filio, nimbo fulgentissimo circumfusam, per aera descendentem, & Budam versus cursum intendentem, vidit: idque statim, Bohemo cuidam, & uxori eius hostili, & auriga suo, venerabundus ostendit. Quod, ubi regi, & Sigismundo, retulit, magna utrumque admiratione adfecit. Is dies erat, qui Desipara virginis conceptioni dicatus est. quam postea semper Hungari religiosus coluerunt. Sed, regem, anno MCCCXCVI. pestilentia, vrbe iterum depulit. Ac primo quidem, in siluas Vertesias, prope Sambocum oppidum, longe lateque patentes, secessit, ibique, venando & aucupando, totam fere aetatem, transmisit. Postea, tempestate, ex inclinantis anni ingenio, detepescente, Csánadinum, Szegedinum, Bácsiam, inde, flexo itinere, superatoque Drauo, Veruciam, Babocsiam, Sopronium, cum exili comitatu, inuisens, vltimo, Pisonium accessit, habitoque isthic, Bohemorum, & Morauorum, comitio, Budam, quod remisisse illic pestilentiam, per nuncios didicerat, anno sequente, incolumis (k.) rediit.

pestilens in
urbem con-
tagio.

§. XXVIII.

Contagione sopita, nouis comitiis, anno MCCCXCVII. Buda frequentabatur. Ibi vero, palam, nuptiis Beatricis, rex nuncium misit, plane confessus: verba se ei dedisse, quorum obseruantissimus fuisset, si Beatrix quoque, stetit pactis conditionibus. Nunc, quando amissa Austria, ob clandestina, quae cum Maximiliano, sedulo conferebat, consilia, auctor esset; aetate, praeterca, ad senium vergente, atque ante iam effocta; nuptiis eius, nisi ita vellent Ordines, se irretire nolle. Placuit concilio, aperta haec regis mens, ac destinatio. quam, ne ignoraret regina, missis ad eam nunciis, Ordines efficiendum putauere. Tunc, & tributis illud genus, quod Dicam vocant Hungari, rogatis sententiis, instaurari rex cupiebat. Sed, comitio contraeunte, nec quidquam profecit; quinimmo, obmurmurationes Statuum audire coactus, multum a se, & populi, & procerum animos, alienauit. Proinde, re infecta, discessum est. At, BEATRIX, repudiarum nuptiarum sententia cognita, femineo furore, in WLADISLAVM debacchari, grauissimis eum probris, & execrationibus profcindere, dira omnia imprecari; quod se prolixis, & falsis pollicitationibus, periuriisque, deceptam, illufamque nefarie, toti orbi, deridendam propinasset: breui se, ex ingrati, & perfidi hominis regno, excessuram; videret ipse, ne periuri poenas, tunc ferret, cum nullus remedio locus superabit. Nempe:

Non ite-
rum comi-
tia Buda
celebran-
tur: quibus
rex Beatri-
cis nuptiis
renuncia-
uit:

femina
hinc con-
cepta in-
dignatio:

Vultus, citatus ira
Rigot: & caput feroci

vide iconi:

Gg 2

Qua-

k.) BONFINIVS loco cit. p. 731, 9. ISTVANFFYVS inibi p. 45, 22.

*Quatiens superba motu :
Regi minatur ultro.
Quis credat exsulantem ?
Flagrant genae rubentes,
Pallor fugat ruborem,
Nullum vagante forma
Seruat diu colorem.
Huc fert pedes & illuc,
Vt tygris orba gnatis,
Frenare nescit iras
Medea. non amores.
Nunc ira amorque, causam
Iunxere (l.)*

Ad hunc modum, feminae iniquitas, se ipsam perdidit: quippe quae, viuente adhuc MATTHIA, nunc Maximiliano, nunc Wladislao, se & regnum, occultis consiliis, deferre laborabat: iam, spreta ab utroque, & neglecta, solum cogebatur vertere. Adco, primus ille BEATRICE in Hungariam aduentus, non respondit emigrationi. Deas tunc, ex ea, BONFINIUS, plures sinxerat; nunc, SENECAE illo, adloquatur discedentem, oportet:

*Heus Tu malorum machinatrix facinorum!
Cui feminea nequitia, ad audendum omnia,
Virile robur, nulla fama memoria est.
Egredere, purga regna! letales simul
Tecum aufer herbas: libera ciues metu.
Alia sedens tellure, sollicita Deos (m.)*

Certe enim, poenas, cum intempertuæ ambitionis suæ, tum ingrati, aduersus maritum, atque huius filium, Iohannem, animi, dedisse visa est. *Nec multo post, rebus in Pannonia dispositis, neque conuento Wladislao, in Italiam concessit, ibique, uti est apud Iſtvanffyvm, occupato, a Gallis, Neapolitano regno, Friderici regis, patris sui, ac totius domus Atragonicæ, qua centum & amplius, annis, steterat, miseris ruinaeque interfuit, posteaque in arce Aenariæ insule, quam olim Pithecufas, nunc Isclam vocant, vitam (n.) cum morte commutauit.* Atque iste, feminae, sua ætate doctissimæ, & de vrbe, atque regia Budens, (si demas, inuictam peregrinitatem, & cum hac, nullum non genus illecebrarum;) præclare meritæ, exitus fuit. Neque enim, nisi, qua precibus, qua exemplo Itatorum, MATTHIAM induxisset, Buda ornandæ, tantum, & temporis, & impensæ daturum fuisse Regem, vulgo creditum. Profecto autem, haud impune abiit Wladislao, reginam, ad eum modum delulisse. Sunt, qui indignam rege egelantem,

ex Hungaria discessit, & mori

Wladislai pona.

l.) SENECA, Medea, versu 851.
m.) Loco citato, versu 266.

n.) Euenit hoc, anno MDCCLXXIII. adcoque altero, post excessum, ex Pannonia

rem, suorum odia, & filii Ludouici, funestissima fata, ab hoc, reiectæ Beatricis crimine, arcessant. Atque opinabantur sane multi, proinde futurum fuisse, improbis, aut pater, decessisset Wladislavs, quando filius LVDovicvs, sua, suorumque culpa, penitus perdidit Hungariam. Nos, felicem existimamus, quod ANNAM reliquerit, cuius nuptiis, salutem suam debet Hungaria. Alioquin, pessime OVIDIUS (o.):

*Iupiter ex alto, periuria ridet amantum,
Et iubet Aeolios irrita ferre notos,
Per Styga Iunoni falsum iurare solebat
Iupiter: exemplo, nunc fauet ipse suo.*

§. XXIX.

Vix comitium, quod nunc memorauimus, dissitum est, cum noua seditio, res Budensium perturbat, & patres, plebemque, veteribus similitudibus laborantes, committit. Tumultus a Christianis pueris, in vico Iudeorum, casu est excitatus, indecora nimis petulantia, in eorum ianuas insultantibus, ac vitrea fenestrarum specilla, temere lacerantibus. Quos, cum submouere Iudaei, pro viribus, instituisent, ingentem aduersus se, humilium hominum multitudinem, concitarunt. eorum maxime, qui re familiari impediti, facile, spe prædæ, & rapinarum, ad quodcunque flagitium, adducuntur. Quem tumultum, cum domo egressi familiares Agriensis, quoquo possent modo, sedare vellent, maiorem multo, incitatioemque fecerunt: quippe, irritatis plebis animis, quod Agriensis, imponendæ dicæ, vulgo auctor existimaretur, ac, superiore item anno, familiares eius, ad propulsandas Iudeorum iniurias missi, mortem, tribus Christianis adolescentibus, intulissent. Rixa, vsque ad noctem perducta, aliquorum regulorum intereussu, demum sedata, repressaque sunt rapinae. Illucescente autem die, multi, partim, superioris lucis, parum secunda pugna, incensi, partim spe certioris prædæ, illecti, Iudaicarum ædium oppugnationem, renouant, crescenteque, in horas, multitudine, in eorum tecta, valuis ianisque refractis, illapsi, supellectilem diripiunt, pignora asportant, vasis aureis, argenteisque, vestibus sericis, auroque intextis, manus iniiciunt. Alii, longe ab ædibus, quasi in statione locati, abeuntes cum præda homines, oportuniore consilio, adgressi, nouum, diuersis in partibus vrbis, tumultum, spoliandorum illorum causa, miscunt: & quod tumultum magis augebat, familiares procerum, qui regis, dominorumque suorum iussu, ad reprimendum tumultum, concurrerant, pariter, ad ædium populationem conuersi, iniurias, quas se abigere simulabant, vehementius inferebant. Quare, in tanta, totius vrbis, trepidatione, & vniuerso omnium prope periculo, rex, ad summum remedium deueniendum ratus, præfectum aulae, cum prætorianorum cohorte,

Sauitius Budensium in Iudæos:

praesentissimam supplicium iudæis:

Gg 3

im-

o.) De Arte, Lib. i. versu 623.

immittit. qui, cum vnum alterumue abreptum subito, inspectantibus ceteris, obtruncasset; reliquos omnes, facile imminentis supplicii terrore, continuit. Longius autem, in plebem, rex inuchi non est ausus, ne eius animos, in pontifices, tributorum, uti credebatur vulgo, auctores, incitaret acrius, atque ex seditione, seditionem multo atrociorum fereret. Adeo, prona, ad tumultuandum plebs *Budensium* fuit. quod eo plus habet admirationis, quia in regis, procerum atque antillitum, conspectu fiebat. Nempe, contemni iam rex coeperat, sufflantibus odium optimatibus: praesulibus autem, in plebe, eo minus fuit auctoritatis, quo magis conlabat, non tam eos, mysteriorum faciendorum, quam rei auctitandae cura, tangi. Verbo, in ruinam res Hungaricae, inclinabant, quam hi animorum motus, quodammodo praefagire, existimati sunt.

§. XXX.

Pacatiora annus sequens, MCCCCXCVIII. dedit, fecitque *Budam* hospitio, SIGISMUNDI, regis Poloniae, illustriorem. *Inter haec negotia*, inquit ISTVÁNFYVS (p.), Sigismundus, Wladislai germanus frater, cui Glogouium, & Opauiam dederat, iisdem fere conditionibus, quibus eas, antea Albertus habuerat, *Budam venit, ibique, per aliquot menses, cum rege fratre, coniunctissime vixit, & utriusque Silesia, & Lusatia praefecturas gubernandas, obtinuit. quas, usque ad illud tempus, quo regnum Poloniae adeptus est, summa aequitate rexit, ac tutatus est.* Dolendum est omnino, nihil, de ea SIGISMUNDI, apud fratrem, diuersatione, scriptores, praeter nudam mentionem, in litteras retulisse. Credimus enim, menses illos, non abiisse regibus, sine oblectamentis, & quod est reliquum, augusti conuictus. Nihil inde gestum *Bude* est, valde memorandum, usque ad annum MDI. Tum vero WLADISLAVS, prope Quinquagenarius, ANNAM, Aquitanam, regii sanguinis virginem, uxorem duxerat. Itinere, ea, per *Salassos, & Allobroges, in Italiam facto, Venetias* accessit: ubi, a *Petro, Lauredano Duce*, senatuque Veneto, splendide ac magnifice excepta, muneribusque, regia dignis sponsa, exulta fuit. *Budam* deinde, emensis itineribus aduenit. Peractae sunt nuptiae, regali festiuoque luxu; sed quem nuspam, si factam ab ISTVÁNFYVO mentionem excipias, memorauerunt scriptores. Id, felicium nuptiarum indicio fuit; quod anno, nondum exacto, cognominem sibi filiam, regina enixa sit. cuius demum nuptiae, quas cum FERDINANDO I. celebrauerat, caeso, ad Mohacsium LVDOVICO II. perpetuitatem Hungariae, conciliauere. Vix autem lustrum, eo matrimonio, perfruitus est, WLADISLAVS, cum ANNA, edito in lucem Ludouico, ex partus doloribus, supremum diem *Bude* obiit. Meminit rem ISTVÁNFYVS (q.): *Cum regina vterum gerreret, puerum peperit, incredibili patris latitia, quem in gratiam, memoriam*

nuptia
Wladislai, cum
Anna
Aquitanica, Budae
celebrata:

mors reginae:

p.) Lib. iii. p. 45, 18.

q.) Lib. iv. p. 53, 14.

riamque consanguinei Galliae regis, Ludouicum, nominavit. *Diuersi ludis editi, ac simulacra praetiorum, & congregantium per ludicrum, armorum, magno adparatu, & pompa representata; concurrentibus undique ad spectacula, Polonis, & Bohemis, e vicinia, qui magna eorum pars fuere. Qua tamen gaudia, mors ipsius puerperae, grauissimis partus doloribus accelerata, paucos post dies, prout sunt rerum humanarum, varia incertaque vicissitudines, vehementer corruptit.* Sub idem tempus, pacis, in rege studia, otium interpretati Ordines, funestum illud diploma, in campis *Rakos* edidere, quo scuerissime cauebatur, ne WLADISLAVO, sine haerede mortuo, alienigenae reges crearentur. quam destinationem, tametsi interrupit, Ludouici natiuitas, haesit tamen, concepta semel regis auersatio, in animis Hungarorum.

§. XXXI.

Tunc vero demum, labascere res Hungariae coeperunt, quando, odium in regem, dissidia, inter Ordines, mutua, & luxus inauditus haecenus, in transuersum proceres agebant. *Palaestram tunc, omnis generis libidinum, Budam, non regiam, potuisses dicere. id quod, uti Hungariae vniuersum, ita vrbi exitium portendisse, nemo non prudens, augurabatur.* Audiuisse iuuat, SIGISMUNDVM HERBERSTEINVM, regis FERDINANDI, ad Hungaros, legatum, grauiter, mala Hungariae, describentem. MATTHIAS REX, inquit, *neque regio sanguine natus, neque vetusto ducum, aut principum stemmate clarus, non tamen nomine solum Rex fuit, sed ipsa re regem se praestitit: ac non modo Turcarum principi fortiter resistit, eiusque grauissimas impressiones iniectus sustinuit: verum, & ipsi Romanorum Imperatori, atque adeo, Bohemiae & Poloniae regibus, negotium fecit: denique, omnibus vicinis suis, terrori fuit. Quemadmodum autem huius Regis virtute, ac rebus praecclare gestis, Hungariae regnum ad summam potentiam, ipso viuente, peruenerat: ita, eo sublato, quasi mole sua laborans, inclinare coepit. Nam, qui ei successit, VLADISLAVS Bohemiae Rex, Casimiri Poloniae Regis filius primogenitus, princeps quidem pius, religiosus, & vitae inculpatae; sed, ad moderandam, tam bellicosam gentem, in tanti praesertim hostis vicinitate, minime sufficiens fuit. Etenim, tot rebus secundis, ferociore & insolentiores facti Hungari, benignitate & clementia regis, abutebantur ad licentiam, luxuriam, delidiam, fallum: quae vitia, eo tandem euasere, ut etiam rex ipse contemptui haberetur. Porro, VLADISLAVO defuncto, sub eius filio LVDOVICO, cum haec ipsa vitia, magis ac magis inualuere; tum, si qua reliqua fuit belli disciplina, ea tota est amissa. Nec potuit rex puer, his malis, ob aetatem mederi: nec alioqui ad eam, quam decebat grauitatem, educatus fuit. Primores regni, ac praecipue praetati, luxu pene incredibili diffuebant: & certabant, quasi emulatione quadam, tum inter se, tum cum*

Causa, occasus Hungariae Budaeque:

verbu Herbersteinii, describitur.

cum

„ cum Baronibus, ut alios, profusione, & splendore, vincerent. li-
 „ dem nobilitatem, partim beneficiis ac præmiis, partim etiam poten-
 „ tia, ac metu, sibi obnoxiam tenebant, ut plures affectatores habe-
 „ rent, ac eorum studiis, & acclamationibus, in publicis conuenti-
 „ bus, iuuarentur. Mirum dictu, qua pompa, quo apparatu, ac quibus
 „ equitum utriusque armaturæ, copiis, *Budam* sint ingressi, præci-
 „ nentibus tubicinibus, ad cuiusdam quasi triumphi speciem. Por-
 „ ro, in regiam cum irent, aut inde redirent, tanto deductorum, &
 „ stipatorum comitatu undique septi incedebant, ut vici & plateæ vix
 „ cateruam caperent. Cum vero prandendum esset, tota vrbe, ad
 „ ædes cuiusque, tubæ non aliter, atque in castris resonabant; & du-
 „ cebantur prandia, in multas horas, quæ somnus & quies excipie-
 „ bant: cum contra, quasi solitudo quædam esset circa regem; & fi-
 „ nes regni, interea destituti necessariis præsiidiis, impune ab hostibus
 „ vastarentur. Episcopatus, dignitates, & præcipua quæque officia,
 „ promiscue, non pro meritorum ratione, conferebantur: & quo plus
 „ potentia quisque obtinebat, hoc plus iuris habere credebatur. Ita-
 „ que, laborabat iustitia, & premebantur infirmiores: ac omni bo-
 „ no ordine sublato, atque euerso, subinde inueniebatur aliquid, quod
 „ reipublicæ, labem aliquam, cum vulgi detrimento, afferret: &c. De-
 „ nique, ea erat, in vniuersa Hungaria, omnium rerum inclinatio,
 „ vel potius confusio, ut quiuis, vel minimam experientiam habens,
 „ regnum hoc, tot malis obnoxium, etiamsi nullum vicinum haberet
 „ hostem, mox perire oportere, prospiceret, &c. Quod mihi tum
 „ præfagiebat animus, quodque metuebam, nihil proficientibus bonis
 „ ac fidis monitoribus, & consultoribus, ingenti nostro malo euenit:
 „ neque dum huius tragediæ finis est. Aula mansit, qualis erat:
 „ & nihil remissum est a pompa, fastu, insolentia, ac luxu, donec
 „ consideret. Ut non inepte, quidam ex aulicis tum dixerit, SE NVN-
 „ QVAM VIDISSE, VEL AVDISSE, REGNUM VLLVM, QVOD MAIORE, ATQVE
 „ HVNGARIA, GAUDIO ET TRIPVDIO, PERIRET. Hactenus (r.) *Herber-*
 „ *steinus*. Quid ergo mirum, cecidisse, cum Hungaria, *Budam?*

S. XXXII.

Excedit Bu-
da Wla-
dislaus,
metu pesti-
lentia:

Non est opus, reliquum *Wladislai* tempus, & quæ, per id,
 fata vrbe fuerint, recognoscere. Ruchant in deterius omnia:
 iterumque regem, pestilentia reformidatio, quæ anno MDX,
 late depopulabatur regionem, non vrbe tantum, sed *Hungaria* etiam,
 in *Bohemia* depulit. Inde, sedata morborum contagione, redux,
 magnis

r.) Lege, quæso, Lector beneuole! & re-
 lege, iterumque lege, & relege, la-
 ceat *Bongarsii*, præfationem, quam
 præmisit, *RERVM HVNGARICARVM*
SCRIPTORIBVS, editis cum M. Ioh.
Tuvróczy Chronico Hung. Fran-

cosurti, apud heredes *ANDREAE*
WICHELII, Francof. A. MDC. fol.
 qua vix vnquam legimus, de
 malis nostris, efficacius quidquam:
 vbi, & verba exstant *HERBERSTEI-*
NII.

magnis & diuturnis curis, vix effecit, ut mala vrbe, iuxta & regni,
 sanarentur: dum bellum rullicum, quod ad *Pestum* enarrauimus, re-
 gem, *Budamque*, in discrimen vocaret. Consequutum postea, cum
Maximiliano Cæsare, ictumque auspicato foedus, labantem regis au-
 ctoritatem, instauraturum credebatur. cuius ille tamen vsura, nequiu-
 diu perfrui: quippe, *Budam* redux, anno MDXVI. ætatis LX.
 III. Iduum Martii, fato suo functus. quod, quale fuerit, & in quam pe-
 riculosum temporis articulum, incidit, quamque dura regni exordia
 habuerit, *Lvdovicvs* puer, nusquam cognoscas melius, quam ex lu-
 gubribus eius litteris, quibus *SIGISMUNDO* patruo, *Polonia* regi, mor-
 tem patris nunciabat: scriptæ sunt enim, dolenter non minus, quam
 eleganti dictione. quas ideo, tamquam peculiare monumentum, ad
 eius temporis historiam illustrandam, non possumus non, tametsi pro-
 lixiores paullo sint, isthic interserere, ne intercidant penitus. Sunt
 autem istiusmodi: Nihil dubitamus Maiestatem Vestræ, prius, quam
 hæ litteræ nostræ ad eam peruenirent, de obitu, quondam Serenissimi
 Domini *Wladislai*, genitoris mei charissimi, piæ recordationis, cum ab
 aliis, tum a Maiestatis Vestræ, misso proxime, ad paternam ipsam Maiesta-
 tem oratore, qui eam, & expirantem vidit, & funebribus officiis,
 vsque ad sepulchrum, interfuit, factam esse certiore. Debebat,
 (fatemur ingenue) id a nobis ante alios fieri, & fuisset factum,
 nisi dilationi, grauiissima Regnorum nostrorum negotia, causam præ-
 buissent. quam, si Maiestas Vestræ, ut credimus, expendet, nihil am-
 bigimus, quin excusationi nostræ iustæ, locum sit datura. Incum-
 bebant confinibus nostris, & præsertim *Iayczæ*, grauiissima pericula,
 & quidem tanta, quanta numquam antea. His enim paucis ante
 diebus, commeatus qui ad ipsam inferebantur, ab hostibus interce-
 pti fuerant; his qui inferebant, partim captis, partim cæsis; nec
 erat amplius spes vlla, *Iayczæ* retinendæ, nisi noui commeatus, &
 noua præsidia, maiori, quam alias, manu, & copia, quam citissime im-
 ponerentur. Cuius rei gratia, paterna Maiestas, paulo ante mortem suam,
 Dominos primates regni, vocari ad se iusserat, de his auertendis pe-
 riculis consulturus. quæ res, licet agi, & sollicitè tractari cœpta fue-
 rit, prius tamen, quam absolueretur, paterna Maiestas, cura, tam ardui
 negotii, nobis relicta, viuendi finem fecit. Quanquam autem hæc
 res, per nos, Deo adiuuante, consilio pariter, & subsidio Dominorum
 consiliariorum nostrorum, nobiscum exillentium, eo deducta sit, ut
 & præsidia, & commeatus, non sine magnis laboribus & curis, com-
 parati, in itinere iam sint; non possumus tamen non, vehementer *Iayczæ*
 nostræ timere; tum propter inedia maxime, qua laborant, qui
 eam tenent, si modo teneant, nam non satis est nobis exploratum,
 in nostrane, an hostium potestate sit *Iaycza* constituta; tum etiam,
 quod sciamus, hæc præsidia & commeatus, sine conflictu, cuius
 exitus dubius est, imponi non posse. Dum igitur cum præfatis D.
 consiliaris nostris, circa huius rei expeditionem occupamur accura-

Tom. III.

H b

tius,

factum no-
strum, cum
Cæsare:
dies regis
supremus:

de eo, lu-
gubres Lu-
dovici ad
Sigismun-
dum Polo-
nia Regem
litteræ.

„ tius, dumque charissimi parentis nostri, tumulationi sedulo vacamus, facere commode non potuimus, ut Maiestati Vestrae, genitoris nostri amantissimi obitum, tempestive significaremus; de quo Maiestati Vestrae, per oratorem suum praefatum, ab ipso funere missum, nunciauimus; rati, Maiestatem Vestram, pro sua innata benignitate, non iniquo laturam animo, si per suum prius, quam per nostrum nuncium, haec eidem significarentur. Per quem quidem oratorem, illud quoque declarauimus, quod nos, futuri conuentus regnicolarum nostrorum celebrationem, ab inlstituto termino, ad festum *Beati Georgii Martyris*, nunc venturum, coegerit reuocare. Sed iam, quod nostri est propositi, paternum obitum scilicet, & quomodo contigerit, quidue postea, ad hunc luctum nostrum, aduersi accesserit, quam fieri potest, breuissime perstringemus. Tristia sunt Serenissime Rex! quae scribimus, & non nisi acerbo moerore prosequenda, atque adeo tristia, ut nec nos sine lacrymis ea scribere, nec Maiestas Vestra, sine ingenti dolore, vel legere, vel audire queat, quae licet iam, & legerit, & audiuerit, tamen, dolorem Maiestatis Vestrae, id quod non libenter facimus, cogimur, vel litteris nostris refricare. Orbati sumus ambo nos, patre pientissimo, Maiestas Vestra, fratre charissimo, & illo quidem unico, cuius defunctio, cui utriusque nostrum est acerba, nobis tamen tanto acerbior, quanto magis eius praesentia, eius ope, eius tutela, indigere videamur. Reliquit enim nos, in hac tenera & puerili aetate, ad talia regna gubernanda, quae etiam ab adultis, & bello exercitatus regibus, ob hostes, quibus paene circumdantur, ferocissimos, non sine difficultate magna sunt gubernata. In quo moerore, si est, aut esse potest aliquid, quod faciat ad nostrum dolorem leuandum; illud unum est, quod paterna Maiestas, ut in vita saepe antea fecerat, etiam in extremis, dum iam animam ageret, praesente Maiestatis Vestrae oratore, cuius supra meminimus, adstantibus huius regni, utriusque ordinis primatibus, expressa voce, sanaque mente, inter salutare actus suos, inter piis lachrymas, Maiestati Vestrae, & eius curae, atque tutela, nos commendauit, & per manus tradidit, utpote, illi fratri suo, quo nihil in vita charius habuerit, & cui orbitatem nostram, fortunasque nostras omnes, committere nunquam dubitauerit. Quae, cum paullo ante mortem, consilia, de auertendis, ut praemissum est, periculis, quae confinibus huius regni impendebant, agere cum dominis coepisset, podagricis primum fuit correpta doloribus; deinde, febre accedente, adeo vis morbi sensim inualuit, ut nulla ope seruari potuerit, quin diem obiret. Tulit autem, & aegritudinem suam, & mortem ipsam, eadem patientia, qua vitae molestias, & quaeque incommoda, ferre consueuerat. Et priusquam ad extrema perueniret, integris sensibus, sano, & vegeto mentis intellectu, ut piuum, & catholicum, ut religiosum decebat principem, confessionem absoluit. Eucharistiae Sacramentum, reuerenter, & deuotissime

„ sine

„ sine suscepit, permisit se vngi, orauit, dum potuit, continue; cessante linguae usu, audiuit orantes, & ita se ad exitum praeparauit, ita orauit, ita saluti consuluit, in omnibus, ut mori, quam viuere malle videretur, & exemplum, cum subditis, tum principibus relinqueret, bene moriendi. Deseruit autem vitam feliciter III. Idus Martii praeteriti, ad horam, post meridiem, septimam. cuius corpus pheretico compositum, & regali habitu, ut mos est, primo decoratum, insigni ac memorabili pompa, una cum ossibus Serenissimae Dominae Annae, genitricis nostrae charissimae, piis memoriae, ad Albam regalem, locum scilicet, & coronationis, & sepulturae regum Hungariae, comitantibus omnibus dominis & proceribus, honorifice est perductum: Budae tamen prius, iustis, quae utrique debebamus, rite persolutis; conditaeque sunt eorum corpora in Alba regali, XIV. Calend. Aprilis, eodem sepulchro, dignis exequiis, quibus etiam praefatus Maiestatis Vestrae orator interfuit, ibidem celebratis. Haec sunt, Serenissime Rex! quae nobis, de obitu paterna Maiestatis, scribenda videbantur. Quibus ita peractis, consiliiarii nostri, ex Alba, huc Budam, ad nos redierunt, tum, ut nos consolarentur, tum, ut ea, quae ad status nostri honorem & dignitatem, regnorumque nostrorum defensionem pertinent, ordinarent. Cumque, expeditis his, quae ad laeuae succursum pertinebant, de aliorum quoque confinium prouisione agere coepissemus, superuenerunt ad nos, tum ex subditis, ac exploratoribus nostris, tum ex vicinis nostris, nobis fauentibus, aduersissimae atque formidolosissimae nouitates, Imperatorem scilicet Turcorum, finitis bellis Asiaticis, res suas maritimas, ita composuisse, ut nihil ei timoris, aut curae amplius illic impendat. Illam vero expeditionem, quam in Zophy praeparare praedicabatur, non in ipsum Zophy, sed in nos esse paratam; usum autem astutum tyrannum ea fictione, ut conatus in nos sui, hostis nomine dissimulato, magis occultarentur, & ipse hoc pacto, paratior, nos incautos, atque imparatos, facilius, ac minori negotio, aggredieretur. Collegisse autem cum ferunt, validissimum exercitum, & iuxta Adrianopolim, castra metatum; eleuasse etiam multitudinem populorum, non partialiter, ut alias, sed viritim, cum securibus, ligonibus, fossoriis, terebris, & aliis, id genus rusticis armamentis, quae vel ad construendum, vel ad destruendum apta esse viderentur; & ita secum certa mente constituisse, ut omnes vires suas, undique contractas, in nos conuertat; & regna nostra, quam primum adoriatur, non ad faciendum leuem aliquem excursum, non ad rapinas, non ad obsidenda aliqua castra, sed ad occupandum regnum, instructus, ac accinctus; & in primis, ut, nisi consilia, ad alia confinia nostra inuadenda, postea mutauerit, duas Valachiae prouincias, inuadat, Moldauiam scilicet, & Transalpinam, eo consilio, ut deturbatis Voyevodis, prouincias ipsas, more Turcarum, ad officia, & praefecturas, partiatur. Et, quo facilius votis potiri queat, artem, &

H h 2

„ do-

„ dolum, viribus apposuit; proclamari enim, vt nobis dicitur, fecit, se
 „ popularibus Voyeuodarum subditis, dimidium census, & cuius-
 „ uis oneris partem, si sibi, Voyeuodis relictis, adhæserint, condo-
 „ naturum. Ratus, callidus Imperator, hoc astu, populares illos, dulcedi-
 „ ne promissionis suæ allectos, ad seditionem, contra eorum dominos,
 „ atque rebellionem, posse concitari. Quod, si fieret, quid esset Voye-
 „ uodis difficilium, quam vt foris contra Turcas, domi vero, contra
 „ suos Valachos, dimicarent? Quid posset etiam, & nobis, & Maie-
 „ stati Vestræ, perniciosius contingere, quam si prouincia illæ, quæ
 „ vtriusque nostrum regnis, veluti quædam antemuralia proposita
 „ sunt, perderentur; ex quibus, tam ad Maiestatis Vestræ, quam nostra
 „ ad regna, facillime possent hostes ipsi semper insultare. Præsentien-
 „ tes itaque Voyeuodæ, tam diros Imperatoris conatus, nobis suppli-
 „ cauerunt, vt eos, in his periculis constitutos, non deseramus, pro-
 „ mittentes se, viriliter & constanter, fideliterque, contra ipsos infide-
 „ les, pugnuros, si auxilio nostro, non fuerint destituti. quibus nos,
 „ omnem succursum polliciti sumus, & reuera, atque in effectum, nos
 „ succurrere volumus, pro viribus nostris. Sed Maiestas Vestra, conside-
 „ ret, quantulæ sunt vires nostræ, præ potentia, tanti, & tam crudelis
 „ tyranni; cuius vis & potentia, eo creuit, vt nisi Deus illum conte-
 „ rat, totus orbis Christianus, de illo reprimendo sit laboraturus.
 „ Quamobrem, moti periculorum, quæ nostris, & consequenter, toti
 „ Christianitati, certissima imminent, magnitudine, misimus ad sum-
 „ mum Pontificem nuncios, misimus ad Cæsaream Maiestatem, ad Im-
 „ perium, ad regnum nostrum Bohemix, ad Morauiam, & Silesiam,
 „ quibus omnibus, hanc Turcarum voluntatem significauimus, implo-
 „ rantes auxilium, quo tam nefandi, & perfidissimi hostis conatus,
 „ vel debilitari, vel frangi possint. Quoniam autem, nemo est morta-
 „ lium, in quo plus, quam in Maiestate Vestra, confidamus; eam, non
 „ solum vt patrum, sed vt patrem alterum, plurimum rogamus, ve-
 „ lit, quam fieri potest, citius, res suas Lythuanicas componere, &
 „ maturare reditum ad Poloniam, atque rebus nostris ita laborantibus,
 „ & in his periculis constitutis, intercedere & inuigilare; & ante omnia,
 „ Voyeuodæ Moldauix, præsidium ministrare, quo prouinciam suam
 „ retineat; cuius amissio, certissimum periculum regnis Maiestatis Ve-
 „ stræ non minus, quam nostris, est allatura. Cui nos quoque, vt
 „ præmissimus, suppetias quascunque poterimus, feremus, ac illius
 „ dominium, non secus ac regni nostri portionem, quantum in no-
 „ bis erit, defendendum curabimus; sed, cum ille succursus celerita-
 „ tem desideret; nam quicquid Turca facturus est, in vno, aut duo-
 „ bus ad summum mensibus, experietur; propterea, Maiestatem Vestram,
 „ iterum, atque iterum rogamus, quicquid, & ipsa circa succursum
 „ ipsius Voyeuodæ Moldauix, factura est, faciat præter moram, quæ in
 „ rebus tam arduis, sine periculo, committi non consueuerit. Quod
 „ reliquum est, optamus, vt Deus optimus maximus, Maiestatem Ve-
 „ stram,

„ stram, ad destructionem hostium suorum, nostrorumque, felicissime &
 „ diutissime conseruet. Datae Budæ, X. Aprilis, A. MDXVI. Regnorum
 „ nostrorum, Hungariæ nono, Bohemix similiter nono. Hæ sunt,
 „ LVDOVICI litteræ illæ multarum, eheu! sicuti videre est, prælagæ ca-
 „ lamitatum.

S. XXXIII.

Simul, LVDOVICVS puer, moderantibus, quos pater constituerat,
 ad clauum reipublicæ sedere cœpit, mali optimatum, & promi-
 scuæ passim multitudinis, per Hungariam, mores, prorsus pesti-
 mi euasere: *Buda*, in comœdorum theatrum, cynædorumque perfrugium,
 abiit. Nunc, quemadmodum, vrbs & arcis habitum, quo erat sua
 ætate, OLÁHVS, (s.) descriperit, memorandum est, vt constet apud
 posteros, & situ valuisse BVDAM, & ornamentis, ab arte, atque pretiosis-
 simarum rerum inusitata copia, adscitis. Recte Poeta, urbem, ob situm
 laudat, quando eam *Venetis* confert, atque *Florentiæ*.

Ludoui-
cus puer:aius tem-
pore, quæ
Budæ su-
ciat?

Venetia pelago, Buda monte, Florentia campo.

Nempe, quam *Venetis*, mare, cui sunt, molibus stupendis, inædifi-
 cata; campus, *Florentiæ*, amœnus iuxta & vber, & admirationem conciliant,
 & gratiam; id *BVDÆ*, montanam positionem, latissime despicientem,
 præstare assatim. Verum, *Oláhum* audiamus: *BUDA Regum Hun-
 garie est regia, que tota in saxo, ad altitudinem satis magnam enato,
 sita, & a septentrione in meridiem protensa, in fronte meridionali, arcem
 habet, non magno intervallo ab vrbe distans, egregie, omni munitionis
 genere, instructam. Adhuc, adificiis insignibus, artificiosis fornicibus, ta-
 bulatisque, auro & coloribus depictis, ad admirationem usque splendidam.*
 Et post descriptas Bibliothecas: *Ad orientem, BUDA Danubium respicit,
 radices vrbs alluentem; ultra quem, oppidi Pesthi, e regione siti, latam
 diffusamque planitiem, quæ in omnem partem, ad tria & ultra, nostratum
 miliaria patet. Eius planitiæ initium, quod hæret mœnibus fere oppidi,
 appellatur Rákos, qui campus designatus est electioni regum Hungariæ, &
 Palatinorum. Vterque enim, more veteri hic eligitur, in quo, alii etiam
 conuentus Hungarorum publici, aguntur. A meridie, obicitur altissima præ-
 ruptaque rupes, Diuo Gerharo, ex eo sacra, quod hinc biga alligatus,
 per quosdam Hungaros, in præcepis actus erat. Illa, de situ vrbs. Per-
 git: *In huius radice, a Danubii ripa, ad viginti fere passus recedente,
 scaturiunt therma, agris corporibus, præsertim pustulis, & tabo infectis,
 maxime salutare. Inter quas sunt & allæ, quæ Regiæ nominantur, ob
 Regis in his balneum, in quibus natæ possis. Occidentem versus, regii,
 & alii amœni sub mœnibus horti, in planitiæ visuntur. Supra, interstitio
 viginti passuum, vinea in montibus sunt constitæ, amœna visu spectacula.*
 Atque, hæc quidem opportunitates, vrbi fuere vicinæ.*

Hb 3

Ad

*) In ADPAPATY nostro, ad Historiam Hungariæ, Decadis 1. Monum. 1. p. 8, 9.

Ad septentrionem, Ferarium est regis, cui nomen est Nyék, emgens vallo, non tantum siluosum montem, sed prata etiam latissima, in ambitu, quatuor milliarium Hungarorum, feris variis abundans. Lateri huic adnectitur aula, magnificis exstructa adificiis. Supra, mons cernitur Diui Paulli, siluosus, monasterio Fratrum Eremitarum, & corpore Paulli Primi Eremitæ, clarus. Postea, quæ longius ab vrbe in septentriones abeunt, describit: Ad ipsam vero aquilonem, partim alii exsurgunt montes, frugiferi vitibus, in quorum radice, monasterium est Eremiticum, Diuæ Virgini sacrum, quam Albam MARIAM appellant; partim, Sicambriæ vrbe, de qua infra dicemus, reliquæ adhuc cernuntur. Introsus meridiem versus est oppidum, Vetus Buda, in quo fundata est Ecclesia Collegiata, Præpositura, & aliis Sacerdotiis insignis. Supra hoc oppidum, ex eodem tractu est Xenodochium Sancti Spiritus, in quo thermæ salubres erumpunt. Paulo longius, est aliud oppidum, Sanctæ Trinitatis, quod Hungarice Felhéviz vocatur, Collegiata Ecclesia, & thermis eleganti domo conclusis, pariter inclytum. Sunt & aliæ, in tribus aut quatuor locis, thermæ, omnes mirum in modum salubres. Aliquæ ex his, a ripa Danubii, vix decem absunt passibus, sub dio patentes, in quibus rustici, vinearumque cultores, lauari consuevere, capite & humeris tenus exstantes. Quod intuentibus, speciem quodammodo præbet picturæ resurrectionis generalis, in parietibus adium sacrarum pictæ. Sequitur vrbe habitus, & frequentia: Oppidum ipsum Budense, celebre est, Italis, Germanis, Polonis, & nostra hac ætate, Turcis quoque, mercatoribus eo confluentibus, veluti ad totius Hungariae emporium. Quacunque ex parte, oppidum & arcem, extrinsecus longe prospexeris, magnam capies ex situs amœnitate voluptatem: ut adificia, non ex materiis facta, sed insignem quandam videaris picturam conspiceret. Contra, si ex oppido, loca amœnissima illi subiecta despexeris, in maximam ducaris admirationem, sic vtroque oculi reficiuntur. Rupes ipsa, in qua consistit oppidum, excavata est, propter cellas vinarias, ut non minus sub qualibet domo operis, intra ipsius rupis viscera, quam adificii sub dio videas; qua ex causa, terra motus maxime illis formidantur. Ista, non erant silenda, ut constet palam, sensim, pristino flore orbatam Budam, iam tum, ante prælium Mohácsense, præcipitare coepisse in deterius: tamen, potuisset omnino perdurauisse, si ei, & reges contigissent feliciores, & tempora, Coruinianis illis, haud absimilia. Nunc, PERIODVM HUNGARICAM emensi, BARBARICAM illam, oppido tristem, de qua supra diximus, pari studio curaque, expendamus.



PERIODVS VRBIS SECVNDA, BARBARICA,

S I V E,

De Fatis Budæ Nouæ, sub Turcarum Tyrannide.

S Y N O P S I S.

Barbarica Periodus, cur ita dicta? eius præfationes: fastosa Solymani, ad Ludouicum littera: eius responsio, animi & fiducia plena. §. I.

Exordia, Barbaricæ vrbe Periodi, a clade Mohácsiana profecta: qua tunc fuerit vrbe perturbatio: metu hostis, deseritur ab incolis: inuisit Budam Solymanus: fædum illic spectaculum, e casorum capitibus, purpurati edunt: quibus tyrannus parentat: fortune Ludouici, visa eius imagine, indolet. §. II.

Arcem, decedens, quibus rebus spoliari, Solymanus: statuis: tormentis: columnis aeneis: eius, ad Budam mora, atque cladis editæ, magnitudo: exussisse urbem, unde constat? §. III.

Prima, a Turcis illata vrbe clades: insidetur a Iohanne de Zápolya: Francisci I. Gallorum regis legatum, inauguratus iam, hic audit: litterarum, quas adtulit ad Hungaros, argumentum: fædus cum Gallo, Clemen-

te Papa; Venetis & Florentinis, Budæ tunc initum. §. IV.

Ferdinandi, in Hungariam, aduentus: Iohannis, Budæ ositantia: imbellis pavor, atque abitus, fuga similis: clasfis amica defectio ad Ferdinandum: Ferdinandi, Budam aduentus: habita istic comitia: facti, ad inaugurationem, adparatus: noua comitia: Ferdinandus Viennam redit. §. V.

Quæ hinc vrbe regia fata fuerint? exsule Iohanne: Laskii ad Solymanum, eius nomine, legatio: huius historia, ex suis ipsius ephemeridibus, illustratur: legationis summa: Laskii, cum Ibraimo, colloquium. §. VI.

Eiusdem, cum Mustaffa congressus & sermones. §. VII.

Nouum, cum Aya Bassa, colloquium. §. VIII.

Alterum, cum Ibraimo, Laskii colloquium: eius, ad Ibraimum, allocutio: virilis, & excelsus Laskii animus. §. IX.

Ibrai-

Ibraimi responsum: quid regefferit Lasky? Ibraimi epilogus. §. X.

Laskyus, a Gritto adiutus: eius, cum Ibraimo disputatio. §. XI.

Legati, adeundi Solymani aviditas: ad aulam deducitur: eius, apud Imperatorem oratio: Solymani responso: gratia a Laskyo acta: consultationes, cum Ibraimo, reliqua: valedictio apud Imperatorem: eius responso: & insurandum: Laskii, peroratio. §. XII.

Ita federe, legatus Ferdinandi, Hobordancus, Constantinopolim aduenit: offenso barbaro: belli nuncium ad Ferdinandum refert: Solymani, in Hungariam expeditio: Iohannis occursum: Buda capitur: arx, a Nádasdio defersatur. §. XIII.

Eius virtus: Germanorum perfidia: oblectatur eis Nádasdyus: successu facto: arce & Nádasdyo, Turcis dedito: Germani, contra fidem datam, caesi: Nádasdii fata: cum Iohanne reconciliatio: an, Turcarum manus, remigio usus, euaserit, excutitur. §. XIV.

Biennio tantum urbe potitur Ferdinandus: captam eam, Iohanni reddit Solymanus: a Viennæ obsidione redux: Iohannem regem constituit: quo ritu, quibusque verbis:

reddit ei regni insignia: quomodo ea, in tyranni venerint potestatem. §. XV.

Iohannes, a Papa, ob Solymani clientelam, censura ecclesiastica notatur: eius, post abitum Solymani, res: comitia Budæ agitat: Palatinum creat: Hungaria mala, & horum origo. §. XVI.

Ferdinandi, in Iohannem, molitiones: Rogendorffius, aduersus Budam mouet: Strigonium occupat: ad Vilsgrádum: Vácziámque haberet, magno Budensium commodo: exorditur obsidionem: Iohannes suos ab obsidione Szigethi, auocat: ducum ad urbem aduentus. §. XVII.

Obsessorum eruptio: eius successus: frustraneus Casarianorum adsultus: res obsidentium, & obsessorum, difficiles: Stanislai Albenis Præpositi: in alendo Iohanne sollicitudo: eius preces, a Turca, suppetias exorantis: Mehmetis aduentus: discessus Rogendorffii: Iohannis in Turcas, humanitas: eorum cruenta excursio: captiuorum multitudo: Iohannis dolor inde conceptus. §. XVIII.

Iohannis, ea in obsidione, virilis animus: Budenses ciues mactat priuilegiis: Strigonium obsidet: conatu irrito: iteratus Solymani aduentus: Iohanni inutilis: pacis consilia suscipit: quibus ex

causis.

causis: induciis pactis, quid fedarit Budam: Grittus, Regni Hungaria gubernator: eius, in proceres sauities. §. XIX.

Iohannes Buda digreditur: relicti illic consiliariis: redit iterum: gemino vitæ periculo exemptus: Gritti, ob interfectum Cibacum, nex: inquiet, Solymano indennata: Iohannis responso: Laskii, ob eadem Cibaci captiuitas: quemadmodum eum consolatus sit Iohannes: dimittitur liber. §. XX.

Laskyus, in partes Ferdinandi transit: Iohannes iterum abijt Varadinum: episcopen eam, Georgio Monacho tradit: eius ortus & progressus: rex Budam redit, ibique residet diutius: Solymani, concepta in Iohannem, noua, ob pacis suspicionem, indignatio: Solymani ad eum epistola: Zápolyæ responso: callidum eius demulcendi consilium. §. XXI.

Repetit Budam Iohannes: Laskii, vlciscendarum iniuriarum, cupiditas: Iohanni noxia: sedat furorem barbarum, a Laskio, in se concitatum: Budam, nouis operibus munit: uxorem ducit: Isabellam, Sigismundi regis Polonia, filiam: nuptias Albæ regali: & Budæ, celebrat: motus Transiluanicos componit: filium suscipit, Budæ natum: moritur. §. XXII.

TOM. III.

Fata, quæ inde Budam manserint: Ferdinandi, ad reginam, legatio: eius admitteuda ad reginam, difficultas: legationis summa: Isabellæ responsum: belli aduersus eam initia. §. XXIII.

Velli in Hungariam profectio: Buda obsidetur: seditio castrensium: editæ a Germanis, populationes: militis, in castris desidia: Bánffii facinus: Velli, in eum animaduersio: Budæ obsidio soluitur. §. XXIV.

Legati Isabellæ Constantinopoli redeunt, promissis & donis onusti: Laskii, oratoris Ferdinandi, apud Portam, facta: adparatus in bellum Turcici, hiemis rigore impediuntur: Ferdinandi molitiones: summa belli, Rogendorffio commissa: Budæ obsidio decernitur: munitionum eius habitus: oppugnationis difficultas: pollicitationibus, cum regina, necquidquam agit Rogendorffius: adgressionum ratio: initia & successus: obsessorum solertia: Germanorum, in ruinas adsultus geminus: reprimatur ab obsessis, haud sine clade. §. XXV.

Budensium ferocia: in exiniendis cuniculis sagacitas: annona difficultas: ciuium aliquos, ad conspirationem adigit: eius historia. §. XXVI.

Calamitates inde sequuta: Turcarum suppetie adueniunt: nostrorum consilia: Rogendorffii

li

dorffii

dorsui, praeposterae destinationes: hostes, insulam Csepel insident: machinis & procurvationibus infestant Caesarianos: navali adgressione funduntur nostri: periculi magnitudo: tandem vincuntur hostes. §. XXVII.

Nihil felicius oppugnatio: Valentini Török eruptio: denunciatio ad Perenium, de Solymani aduentu: nequidquam apud Rogendorffium valuit: soluitur obsidio: ingenti nostrorum clade. §. XXVIII.

Schefæi, de eadem obsidione, carmen: Budensium mores, qui tunc fuerint? anticipis obsidionis tragœdia. §. XXIX.

Buda, sub potestate a Solymano mittitur: rei gesta series: Solymani, erga Isabellam, dolus malus: Chausorum, ad eam oratio: regium infantem, ad Solymannum mitti poscunt: Isabellæ sollicitudo: mittitur ad Solymannum infans, cum proceribus: accipitur a Turcis magnifice: Solymani, in eum benignitas: Schefæi, rei gesta narratio. §. XXX.

Urbs sensim a Turcis infesta: Solymani edictum: urbe occupata, remittitur ad Reginam infans, non item proceres: repetit eos Isabella: Solymani responsum: Valentini Török custo-

dia: purpuratorum suggestiones, de perdenda Hungaria: Rasthenis, in eam rem, mite consilium: Solymani sententia, quam Regina denunciat: eamque diplomate, & iureiurando, adfirmat. §. XXXI.

Budam, hac rerum conversione, expilatam memorat Schefæus: clades bibliothecæ Coruinianæ: an huic tempestati adtribuenda. §. XXXII.

Reginæ discessus Buda: eius, de eliberando Valentino Török, cura: captiuitatis causa: Schefæi in eam rem versus Bethlenii sententia. §. XXXIII.

Quemadmodum urbis iacturam, tulerit Ferdinandus: Budæ obsidenda consilia: ab Italis suggesta: irrita redduntur a Germanis: quam ob rem: itur in expeditionem: profectio ratio: rumor, de Solymani aduentu, turbat nostrorum consilia: Pestum obsidendum decernitur: conatu irritato: Perenii captiuitas. §. XXXIV.

Qua hinc fuerint urbis fata: praefecti Budenses qui? Balis Epirota: Mehmetes Iahiogles: Halys Eunuchus: eius actus. §. XXXV.

Legationis Busbeckianæ historia Budensis: quemadmodum sit Budæ acceptus: sollicitudo, in quam, ex morbo praefecti, & medela ei

adit

adhibita, coniectus fuit: Turcae suspicaces: insigne, in rem consimilem, exemplum. §. XXXVI.

Ianitscharorum descriptio: perpotandi, apud Turcas, furtiua libido. §. XXXVII.

Buda, quo fuerit, ea aetate, habitus: eius causa. §. XXXVIII.

Res, quemadmodum, apud urbis praefectum gesta sit, a Busbeckio: honoris qualiscunque significatio, ei tributa. §. XXXIX.

Barbara feritatis spectaculum, Busbeckio reduci, editum. §. XL.

Toigenes, successor Halyo datus: eius ingenium atque facinora: Callonus: Rullhanes: Ibrahimus: Arslanes: eius fata: Mustapha, quibus rebus inclaruit: Thermas, & molas instruit: Reggephus, & Ferhates: necatur a suis. §. XLI.

Legatio, a Rudolpho, Constantinopolin missa: descriptio Budæ, ex eius historia petita. §. XLII.

Hafanes: vincitur ad Albarn regalem: actus eius reliqui: Solymannus: obsidionem tolerat: capitur a Pálffianis Hungaris. §. XLIII.

Budæ obsidenda adparatus: Tarta, vi capitur: & vicine arces alia: promouetur ad

Strigonium exercitus: ducum consilia, de expeditione ulteriori: profectio, Budam versus, ordo: traicitur Danubius: castra, ad Budam veterem, collocantur: capiuntur thermae. §. XLIV.

Matthias Archiducis aduentus in castris: adgressio partitionis: adfiliatum virtus: capitur urbs flumentana. §. XLV.

Qua hinc enata sunt nostris pericula. §. XLVI.

Mons S. Gerhardi, ab hoste desertus, occupatur a Pálffy: nostrorum adgressiones: eruptio hostium damnosa: cuniculis res geri caepa: Caesariani exercitus calamitates: disceditur ab obsidione. §. XLVII.

Turcarum, consequuta hinc ferocia: capto Solymano, Murates sufficitur: hominis indoles: noua Caesaris, de obsidenda Buda, destinatio: redditur irrita: Muratis, in Albensi pralio, interitus. §. XLVIII.

Decernitur Budæ obsidio, Matthiae, & Rollwurmii ductu: eius initium, ab expugnato ponte Pestienfi, ductum: urbs, quemadmodum fuerit infestata: praesidiariorum obstinatio: Hafanis, ad liberandam obsidione urbem, aduentus irritus: Matthias Archidux, ad castra accedit: Hungarorum,

li 2

felic

felix in hosticum procurso: detrimenta, ab erumpentibus hostibus, illata: culpa Rosswormii. §. XLIX.

Fiunt, eo euentu, animosiores Turca: hostiles suppetie funduntur: Matthiae Archiducis, solertia: celi iniurie, frangunt militem: praesidiariorum ferocia: ceduntur a nostris: haud tamen sine clade Caesarianorum. §. L.

Malignitas tempestatis, ad solvendam obsidionem, duces adigit: causae irritae laboris, quae? §. LI.

Qua postea urbis fortuna fuerit: Pestiensium impressiones: noua Rosswormii molitiones: profligantur Budenses, pugna ad Sárvizum commissa: Rosswormius, castra, inter Vácziám & Budam, metatur: adoriantur nostros Turcae; vnde atrox fit praelium: hostium clades: Budam tentare non sustinent Caesariani: Halys, urbis praefectus. §. LII.

Pesto, & Hatvano interceptis, Budae tranquillitas procurata: Botskaii, cum Mehmete Vezirio, in campis Rákos, congressus: Halys Budensis, in eo accipiendo, partes: qui tunc Budae fuerit habitus, verbis Bocacii docetur. §. LIII.

Descriptionis Bocacianae continuatio. §. LIV.

Budae incultus, barbarorum fordisbus adscribendus: percutitur fulmine: ingenti hominum & murorum strage: Halys praefecti, in pacis Sitwa-Torokiensis tractatione, aequitas: Caesarianos arbitros, aduersus criminationes Botskaianorum, defendat: lites, de finibus, cum Battyano componit. §. LV.

Sequentium temporum ingenium: fauit Budensibus: urbis incendia: clades ex grandine: itemque ex fulminis ictu: adfiguntur praesidiarii a spectris: Ianitscharorum seditio. §. LVI.

Budae, inter tot mala, securitas: eius causae: Leopoldi, aduersus Turcas felicitas: Budensis praefecti, in eum, diuerium: Szejdi-Amhetis iniquitas: cum Rákóczio iniure conflictatio: huius prepostera consilia: Szejdi-Amhetis, aduersus Rákóczium, expeditio: Rákóczii, cum Barczaió, expostulatio: pessime habet Amhetem: auctoris, in eam rem, epigramma: vincit Amhetem Rákóczius, vinciturque iterum. §. LVII.

Digressionis huius causa: victoria Transiluanica funesta fit. §. LVIII.

Ismael, post Amhetem, Budae praefectus: Budae obsidenda consilia Montecuculii, interuertuntur: eius rei causa:

NOVA

noua inde Budensibus felicitas. §. LIX.

Ismaelis praefecti inuolens, inimica Christianis: pacem sufflammat: quibus usus vastamentis: prauitas Ismaelis reliqua. §. LX.

Pax cum Turcis, nouam Budae securitatem parit: Leslaeus legatus, Constantinopolim missus, magnifice Budae accipitur: quod, Pauli Taffernerii S. I. verbis docetur: Thermae Budenses, quando sunt insalubres podagricis: subit urbem Leslaeus: Oratoris Casarei, cum praefecto Budensi, colloquium: Turcarum nobilissimos, prandio adparatissimo, accipit Leslaeus. §. LXI.

Redux a legatione, Budae iterum subsistit: urbis, sub idem tempus, habitus: Taffernerii oratione describitur: Bibliotheca Coruianae fors miseranda. §. LXII.

Taffernerii, de Lambecio, Bibliotheca Budensis reliquias rimante, importunum silentium: Lambecii, de habitu reliquiarum eiusdem Bibliothecae, commentatio: praefecti Budensis, erga rem Caesaris, propensio. §. LXIII.

Budensium inde fortuna laetior: Francisci I. Rákóczii, in hosticum impressio, praefectum Budensem, in vindictam prouocat: Caesaris, cir-

ca eam rem, prouidentia: nouarum rerum studia, caueri nequeunt: limitaneorum impressiones coercentur, Budensium in primis. §. LXIV.

Tököli factio, a Budensi praefecto, adiuta: eius Budam aduentus, & oratio: Turcarum, erga hominem, fauor: Buda, malorum Hungariae officina: itineris Tököliani malignitas. §. LXV.

Budensium, commoto iterum bello, iniquitas: praefecti, dum ad obsidendam Viennam iretur, aequitas: Vezirii, aduersus eum, accusationes: capite mulctatur: iure, an iniuria? Vezirii supplicium. §. LXVI.

Strigonio capto: Budae oppugnatio, Lotharingo mandatur: quibus cum copiis: cogit exercitum: Villegradum capit: Budensis, nostros, ad Strigonium inuadit: & reuocatur: Turca, ad Vácziám, ingenti clade adfecti. §. LXVII.

Pesto infesso, ducum, de belli summa variantes sententiae: Buda obsidenda statuitur: instruitur in Danubio pons: traiectus initium felix: Turcae, cum viginti mille equitibus, nostros adoriuntur: adgressionis ratio: in fugam coniciuntur a nostris: noua hostium, in nostros impressio: retunditur iterum: tertium in nostros inuehuntur Turcae: cum

clade repulsi: ultima adgressio fortiter propulsatur: casorum utrinque numerus: Lotharingi equus, glande, sine fessoris noxa, traicitur. §. LXXVIII.

Quid inde ceperint Caesariani: castra, in urbis conspectu ponunt: muros, urbis flumentanea, verberare incipiunt: clauditur ab exercitu urbs circumquaque: hostium strategema: Caesarianorum strages. §. LXXIX.

hostiantur adgressionum opera: decernitur adsultus: eius ratio, successus: expugnatur urbs flumentanea: exuritque, nostrum, iuxta & hostium facinore. §. LXX.

Crescunt inde animis, obsessores: suggestus, in monte S. Gerardi educuntur: haud sine mutua clade: instituuntur adgressiones duae: quibus duobus adtributa: Lotharingus, Seraskirium, aperto Marte, adoriri statuit: aciei nostratis facies: pugna ratio: Seraskirii commentum: irritum reddunt nostri: adoriuntur Seraskirium, inque fugam coniectum, cadunt: praeda paucitas. §. LXXI.

Ea victoria, nihil ad obsidionis summam profectum: adgressionis, ad portam Albaregalensem, difficultas: cuniculorum opera: inanes: alterius, ad portam Viennensem, adgressionis, habitus, nihil melior. §. LXXII.

Tertia, ad turrim flumentaneam adgressio: funesta eius exordia: praefecti Budensis moris: & successor: obsessorum pertinacia: calamitates oppugnantium: hostium eruptio: nostris noxia. §. LXXIII.

Decrescit, tot malis, exercitus: Electoris Bauari, in castra aduentus: eius adgressio: praefectum, de urbis deditione, admonet: eius responsum: accendit nostros, ad rem acrius gerendam: Seraskirii aduentus, metu perturbat castra: Lotharingi, in ea trepidatione, providentia: obsessorum eruptio, nostris, extra modum damnosa: iteratur, haud meliore obsidentium fortuna. §. LXXIV.

Fatigatur, a Seraskiero, noster exercitus: hostium, in nostros impressio: nostrorum, in reiciendis iis, virtus: Seraskierii abitus: quem frustra insequuntur nostri. §. LXXV.

Post depulsum Seraskierum, nihil melior oppugnationis fortuna: infelix adsultus: Wagneri querela: caussa obsidionis irrita: damni, quod inde factum, magnitudo: receptus ratio. §. LXXVI.

Turcarum ferocia, & iacta, in Germanos, conuitia: in reparanda urbe, & dealbandis muris, solertia: mordax praefecti iocus: anni sequentis fortuna: sollicitum, de Buda, reddit Sultanum. §. LXXVII.

Annus, Buda fatalis: Caesaris adparatus, & urbis expugnanda consilia: senatus bellici diuersa sententia: Imperatoris consultum: abit in expeditionem Lotharingus: exercitum lustrat: Buda obsidionem decernit: profectiois ratio. §. LXXVIII.

Urbs, obsideri caepa: metationum habitus: praefecti urbis industria: ad praesidarios adlocutio: sollicitudo reliqua: nostri, equitatum e castris dimittunt. §. LXXIX.

De adgressionum designatione, varia ducum sententia: Bauarus, arcem impetere statuit: hostium eruptio repressa: Erthensium Turcarum clades: Battyanius, fugientes Turcarum mulieres, cum thesauris, nauali subseffione, intercipit: praeda magnitudo. §. LXXX.

Bauari, in castra veniunt, equitatus, ad Sarvizium metatur: urbis flumentanae adgressio: adsultus in ruinas: nostri urbem inferam capiunt: militaria isthic opera exstantur: hostium, in operas, eruptio gemina. §. LXXXI.

Copia Sueuicæ, in castra veniunt: urbs, & moenia verberari caepa: templum S. Stephani, pila ignita percussum, flammam concipit: adfunt Brandenburgicorum auxiliares copia, lustrantur

a duce: accipiuntur in castra: earum laus: militaria opera & accessus: cuniculorum molitiones: cladem, stationario militi accelerant. §. LXXXII.

Ardor oppugnandi: damna, a suffossionibus accepta: hostium, in Brandenburgos, irruptio: in Caesarianos item: cali iniuria, operibus infecta: de aduentu hostium rumor. §. LXXXIII.

Bauaricæ adgressionis rationes: hostium eruptio, feliciter repressa: laboris obsidionalis difficultas: machinatorum occupatio: obuallant castra sua Bauari. §. LXXXIV.

Caesarianæ adgressionis successus, & adfiliendi consilia: adherent aliquantisper: decernitur, a Lotharingo, prima oppugnatio: eius ordo: init prokursio: primi eius successus: difficultates: succurrunt laborantibus volones: quo euentu: Starenbergianæ adgressionis facies: canitur receptui. §. LXXXV.

Cladis accepta magnitudo: an debeat Lotharingo adtribui? casorum hostium numerus. §. LXXXVI.

Sultani, de Buda sua, sollicitudo: Muftii, insana religio, & supplicationes: senatus consultum, ad praefectum Budensem missum. §. LXXXVII.

Nostro-

Nostrorum, in oppugnando, contentio: Brandenburgorum adfuitas: pyrii pulueris apotheca, in aera eliditur: quanto fragore, quoque euentu. §. LXXXVIII.

Lotharingi, ad eum casum adtentio: parum inde, ad summam rei, profectum: urbis praefectus, de urbe dedenda admonetur: litterarum sententia: barbari insolens responsum: exacuit obsidendi feruorem: cuniculorum damnose opera. §. LXXXIX.

Turcarum eruptiones in Caesarianos, & Brandenburgos: Brandenburgorum fortuna: Bauarorum labores: hostium immanitas: nostrorum contentio: infelix cuniculus: noua Bauarorum molitiones: cruentantur a praesidiariis. §. XC.

Cuniculorum malignitatem, aperta vi, emendant duces: adsultus generalis decernitur: quibus viribus: quoque ordine: subsidiariae cohortes: Brandenburgicorum, Bauarorum, & Hungarorum procinctus: duces oppugnationis qui? §. XCI.

Nostrorum silentium: Abdyum, periculi admonet, & ad resistendum armat: audito insultus signo, procurunt adgressores: eorum contentio: hostium pertinacia: nostrorum trepidatio, & fuga, sistitur, a Lotharingo: eni-

tuntur in ruinas: succenso cuniculo, eliduntur in aera: succedunt noui adgressores: eademque cuniculorum malignitate, pereunt: tertia oppugnatio, aequae infelix: quarta successus. §. XCII.

Brandenburgicorum, sinistra parte molestiae, & victoria: stationem, in ruinis moluntur: hostium, aduersus eam, instructi frustra ignes: Schönningi laus. §. XCIII.

Difficultates, quae Bauarum distimuerunt: procurfus laboriosa: & ob cuniculi insidias, infelix: alterius adgressionis fata, nihilo meliora: perrumpitur tandem: Electoris virtus: Hungarorum adsultus, extra modum difficilis: eorum fortitudo. §. XCIV.

Totius oppugnationis ratio: desideratorum numerus: nostrorum molitiones, hinc susceptae: fabrilium operarum utilitas: verberationis tormentaria, & cuniculorum successus. §. XCV.

Abdyus, deditiois iterum admonetur: mittit in castra obsides, Creitzio, in urbem ablegato: quid illic actum? redit Creitzius, labore irritato: continuatur oppugnatio. §. XCVI.

Bauarus, nouam castelli oppugnationem decernit: quibus causis: Caesarianorum suspetia, ab inuito Lotharingo

go

go missa: incurfus ratio: prorsus irrita: clades accepta: crescunt inde animis obsessi: nostrorum ardor congemminatur. §. XCVII.

Vezirii, adpropinquatio: acuit nostrorum prouidentiam: Lotharingi sententia: approbatur a senatu militari, suscipiturque eius exsequutio. §. XCVIII.

Oppugnatio, eodem tenore continuatur: ducum sollicitudo, in auerruncandis periculis: Vezirii, in adpropinquando cunctatio, nostris utilis: munitionum, circum castra, rationes: velitationes cum hoste. §. XCIX.

Venit in conspectum nostrorum Vezirius: pugnandi apud nostros ardor: Bauari, in eam rem, sententia: Lotharingi consultum, prorsus alienum a consilio. §. C.

Vezirii inquietus: nostrorum prouidentiam acuit: acie utrinque instructa, frustra se mouet Vezirius: reprimitur eruptio: transfuga Galli, de hostium destinatione, indicium: noua Turcarum molitiones: facta, in nostros impressio: quemadmodum accepti hostes: coniciuntur in fugam: Hungarorum, in insectando feruor: casorum numerus & prada: reliqui exercitus, ad depugnandum, ardor, a duce sedatur: Ba-

Tom. III.

uari procurfus inutilis: Dünewaldi virtus: & anceps periculum: receptui canit, casus Vezirius. §. CI.

Eius, concepta hinc indignatio: nostrorum, in castra reatus, triumpho similis: praesidiariorum obstinatio: inanis, de aduentu Tartarorum, rumor: oppugnandi feruor: Vezirii tentamina: nostrorum vigilantia: hostium, in aggeres impetus: perrumpunt per medias nostrorum stationes: seque, sed pauciores, intra mœnia iniiciunt: praesidiariorum, ex eo successu, letitia: Vezirii, frustranea molitiones, & abitus inglorius. §. CII.

Caesarianorum ingenti commodo: ducum, ad adsiliendum, ardor: Lotharingi sententia: Bauarorum damnosus adsultus: noua Vezirii, aduersus obsessores, tentamina: ex interceptis litteris, cognita: ducum solertiam accendant: hostium in nostrorum conspectum, aduentus, & abitus. §. CIII.

Noua inde, Caesarianis, rei porro fortiter gerenda, opportunitas: adest iterum iterumque Vezirius: praelio ancipiti reicitur. §. CIV.

Venit in castra, Scherffenbergianum agmen: insequendi Vezirii consilia, reprobat Lotharingus: ultimi, ad parandam adsultui viam, labores: militis alacritas, &

Kk

in

in comparandis adparatibus
ardor.

§. CV.

Designatur dies adgressioni de-
cretoriae: eius ordo legesque:
differtur, ad Bauari preces,
promulgatus adsultus: Strat-
manni Cancellarii, in castra
aduentus: non ab omnibus
aque acceptus: ultima, de
adsultu, mandata. §. CVI.

Fit, ad editum signum, decre-
toria adgressio: eius facies
verbis Wagneri describi-
tur. §. CVII.

Capta urbis fama, gaudio per-
fundit orbem Christianum:
Ducum, Budam subeun-
tium pietas, & providentia:
capta urbis, miseranda fa-
cies: captiuorum ferocia:
Csonkabégi felicitas: Ab-
dii, occasus, Priamcio confi-
milis. §. CVIII.

Turcarum luctus, ex perdita vr-
be conceptus: edita supplica-
tiones superstitiosa: Sultani
pietas: Caesarianorum, de
bello, eodem hoc autumno
prosequendo, consilia: infessa
Buda, diuiditur exercitus. §. CIX.

§. I.



Vgubrem vrbs periodum narrare exordi-
mur, BARBARICAM videlicet, quam ita vocamus, ob
tyrannidem Turcarum, a quibus sesqui seculo, vrbs,
captiua detinebatur. Praeluit vrbs huic calamitati, Bel-
gradis occasus: quippe quod, interceptum a tyranno, animum ei fecit
porro pergendi, vt insanas, & plenas sanguinolenti consilii destinatio-
nes, magno rerum Christianarum detrimento, exsequeretur. Dabimus,
impietissimi hominis epistolam (a.), fastus, crudelitatis, & conuicio-
rum in Deum, plenam, quam is, ad Ludouicum, Belgrado potitus,
exarauerat: vt constet lectoribus, cum qua bellua, quamque immani,
pro Christianitate, Ludouico, & Hungariae suae, dimicandum fuerit. Sic
vero habet: CAESAR Turcarum, Caesar Graecorum, & Serenissimus filius
Mahumethi, & Rex Samaritanorum, Rex Elamitarum, Rex Persiae, Rex
Moabitum, Rex Aegypti, & custos trium fluminum, Praepositus Parra-
disi terrestri, & Protector sepulchri crucifixi, a solis ortu, vsque ad oc-
casum, Rex Regum, & Dominus Dominorum, Princeps Principum
omnium, Nepos Dei Sabathoti, ac Mahumethi de Iordane, & Consiliarius
eorum, ac Persecutor Fidei Christiana. Serenissimo Principi, Domino LUDOUICO,
Regi Hungariae. BENSSEMUTHI, Princeps Turcarum salutem Te, &
nunc rescias, sicut praestat tempus nostrae amicitiae; quod in primo nostro
aduentu obtinimus terminos Tuos, & si desideras nobiscum bellum com-
mittere, quod intelleximus, nisi vt scias, quasi medietatem orbis subiug-
auimus potestati nostrae, sub nostro dominio. Et quia sic decreui, &
volo, a fine, vsque ad finem mundi terminos facere meo dominio: num-

quid

a.) Habeo eam, ex coeuis schedis depremtam, vna cum responsione Ludouici.

quid non occurrat Tibi in mentem, quod de gremiis meis tantum possum
mittere, quantum cum potentia Tua possum bellum committere; & teneo,
sicuti exposui Tuae magnitudinis, multa regna, quae sunt dominio meo &
meo potentatui subiugata. Sed respice tantum Tuum regnum, quasi
vnum stabulum, ad comparationem aliorum, quae subiugauimus. Sed iam
simpliciter loquendo, percusso & deleto Tuo exercitu, BVDAM, sine omni
timore, cum magna potentia obtinere volo, delere, & propter Tuam ordi-
nationem, isti Fidei Tuae, silentium imponere: item Tuum Deum iracun-
dum contra me, nolo timere, & pingues (b.) principes, seruos Tuos, in
iuga ponere volo, & fidem Tuam, quam Tecum vna tenent, volo in al-
to a Te auferre, quoadusque in craticulam, ad ignem ponendo, applica-
bo, & ad palos traham eos, & sic vos consumam, & non solum Te, sed
etiam alios, qui sunt cum imperio Tuo; quorum Tibi nomen intelligere
faciam, qui sicut Alemanni, quos sicuti Te, & plus quam Te, visitabo.
Aliud, quod intendo Tibi facere, & aliis, pro nunc Tibi scribere nolo.
Datum ex Belgrado, XX. Februarii, anno MDXXIV. Nisi illud sit,
bellum indicere, Deo viuo, & conuicia iacere in sanctissimum, quid
esse aliud oporteat, nescio. Senacheribum vincit (c.) & oris, & de-
stinationum malignitate. Ille enim, Hierosolymas sibi, & vrbes Iudae
reliquas, hic totum, quam late patuit, orbem, in rapinam, gentem
autem Christianorum vniuersam, ad rogos & furcas, destinabat: di-
gnus proinde, quem Senacheribi fata, praecipitassent in perniciem: nisi,
nostra id prauitas, & infinitum vitiorum genus, prohibuisset. LUDOUICVS
interim, ea respondit tyranno, quae, & impaudum eius ani-
mum testarentur, & fiduciam, in Deo seruatore. LUDOUICVS, Dei
Gratia, Rex Hungariae & Bohemiae, BENSSEMUTHI Turcarum Imperatori, salu-
tem dicit. Litteras Tuas, omnium minarum plenas, ab oratoribus Tuis acce-
pimus, ex quibus, qualem habeas animum, facile perspeximus. Neque Tibi
propterea ita debes placere, quod praeterita astate, violato foedere, quod cum
Tuo patre initum erat, & vsque adeo sub spe pacis, de qua potenda, Tui
oratores apud nos agebant, confines nostros inuaseris, Belgradumque, non
Tua virtute, sed meorum prodicione, non sine magno exercitus Tui detri-
mento, expugnaueris. Nam profecto, sicuti semper, ita tunc quoque,
quantum arma nostra valuissent, cognouisses; nisi Te, non veteris Impera-
toris, sed neo, hoc est, praedonis more, quam celerrime in Tuas sedes
recepisses. Quem ex gremio Tuo, contra nos missurus sis exercitum, vi-
debimus, & cui eum fortunae commissurus es. Vellem, consulisses res ge-
stas Tuorum maiorum, quorum sanguine, ab octoginta iam pene annis, re-
gna nostra, quoties signis collatis pugnare licuit, redundabant. Quod
praeterea, a fine, ad finem mundi, terminos domini prolatate decreuisti,
negatur a Te id fieri posse. Itali restant, Hispani, Germani, Galli,
Dani, Britanni, alique infiniti Christiani, Dei fortissimi populi, quorum,
si Tu arma experieris, maluisses certe non finibus mundi, sed terminis

Kk 2

Tuis

b.) Luxum pungit procerum Hungarorum.
c.) Lege de eo, in Deum & homines inu-

rio 4. Regum xviii. 13. seq. 2. Para-
lip. xxx. 1. Eliaz xxxvi. 1. seq.

Barbarica
Periodus,
vix ita di-
sta?

eius prae-
sentis:

Isabelle So-
lymanni,
ad Ludou-
icum, lit-
tera:

eius respon-
so, animi
& fiducia
plena.

Tuis contentus esse. Quantum vero ad fidem, & Deum nostrum crucifixum, humani generis Redemptorem adinet, cuius Tu cultum, velle Te extinguere scribis, facis id quidem, ut omnia, more Tuo, qui non satis esse putas, omnium mortalium, publicum Te hostem iudicari; sed ut grauius corruas, etiam ipsi Deo immortalis, more gigantum bellum paras. Reliqua pars epistolae, non est tanti, ut Tibi de illa respondeamus; mirum enim plena est, quod a vilissimo quoque fieri solet. Nam his nullus unquam bonus imperator certandum putauit. Hoc tamen ad omnia, responsum sufficiat, ut, quantum ad hominem pertinet, nos Tibi in omnibus; quantum vero ad Deum crucifixum nostrum, quem Tu contemnis, pro se abunde responsurum pollicemur. *BUDAPE, VI. Martii, A. MDXXIV.* Ista, tyranno *LVDOVICVS*, excelsiore sane animo, quam meliore successu. Utinam id egisset, atate non minus, quam viribus imbecillis rex, quod de *Hiskia*, conuiciis adhaerito, legas apud vatem *ESAIAM* (d.). Verum, fuere iam tum, ad praecipitem, & ineluctabilem casum, prona omnia; dum ad *Mohács*, quasi gurgite quodam sanguineo, res Hungaricae, cum rege, *Budaque*, absorberentur.

§. II.

ERgo, initia, vnde duxerit, *Barbarica* urbis *Periodus*, nemo, rerum Hungaricarum peritus, facile ignorauerit. *Mohácsiana* clades, uti exordia, sic & incrementa, ei calamitati, dedit. Saepè eam doluimus, at dedolere, profecto potuimus nondum. Nunc vero, cum de *Buda*, commentamur, eo, stragem illam querimus acerbius, quo magis constat inter omnes, quantum detrimenti, *Hungariae* istud caput, inde acceperit. Nondum fama, caesi regis, didita fuit proflus; cum *MARIA* regina, ad primum profligati exercitus nuntium, rata, quod erat, regem quoque, cum nobilitatis flore, occubuisse, vasa colligere, componere thesauros, atque urbe demigrare, constituit. Quo viso, ciues, *Itali*, potissimum & *Germani*, mercatores, salutem, & ipsi, fuga quaesiuere. Facile possis coniecere, quae tunc fuerit urbis facies, quam plena terroris, atque perturbationis. Breui sane, ad eum modum, inuauit, truculentissimi victoris metus, ut nemo non, etiam de abiectissima plebe, relicta *Buda*, tutiora perfugia, circumspiceret. Adpropinquabat interim *Solymanus*, atque dimissis, qui late regionem popularentur, abigerent, ritu pecorum, captiuam multitudinem, exercitibus, foeda post se, & crudelissime euastata, relinquebat omnia. Postea, castra ad *Danubium* posuit, atque ponte, inter duas vrbes, facto, transiit, *Budam* desertam, & incolis vacuum, inuisit, regiamque celeberrimam, aedificiorum elegantia & laxitate pulcherrimam, atque situ, & prospectu amoenissimo, insignem, collaudauit. Foedum erat spectaculum, quod *Buda* versante *Solymano*, purpurati edidere. Nihil eius meminit *IST-*

2) Cap. xxxvii. v. 1, 14. - - 19.

Exordia
Barbarica
urbis Perio-
dia, clade
Mohácsiana
na profusa

qua tunc
fuerit urbis
perturbatio

metu hostis
deseritur
ab incolis

inuisit Ba-
dam Soly-
manus

foedum illic
spectaculum,
e caesuris
corporeis
purpurati
edunt

VANFFYVS, sed nec alii, quod sciamus, scriptorum rerum nostratium. Ergo, recognoscendum erit ex *Iovio*, Episcopo *Nucerino* (e.) diligenti lautoque scriptore; ne iam quoque desit, iusta dolori materies, dum, eorum temporum clades, recordamur. Vrbe, inquit, regiamque potius *Solymanus*, ad *Danubium* posuit castra, inuisitque regiam arcem; ita tamen, ut in ea minime pernoctaret: quod antiqua *Ottomannorum* lege cautum sit, ut imperator, nusquam muris, sed suae tantum custodiae munimentis, confidat. Ibi, ad eum delata sunt, occisorum antistitem & procerum, cruenta septem capita, quibus, renidenti ore illuisse visus est: quum purpurati ea singula, ligneo in gradu collocata, simulante honore caussa, inclinata ceruice, & dextris ad pectus compositis, nominatim salutarent, *Papasque strenuos*, per iocum, adpellarent. Sed *Solymanus*, grauius ui fronte, cum singulorum nomina indicarentur, vehementer detestatus fuisse ferbatur, vnum, praeter ceteris, *Ladislauum Salcanium*, *Strigoniensem* antistitem potentissimum, obiecto foedae auaritiae probro; quod is regem suum, in tanta urgentis belli difficultate, aurum mutuo deposcentem, quum multa pondera, in eius thesauris laterent, adiuuare recusauisset. *Tomoreum*, porro stolidae temeritatis incusauit, quod vir, conficiendis sacris dicatus, alienae functionis munus, arroganter usurpasset. Ex aduerso, *Franciscum Peremium*, *Váradiensem* antistitem, nobilissimi generis virum, serae prudentiae nomine laudauit, quod imminenti publicae cladis nequaquam falsus vates, in consilio, non insulse dixisse didicisset, quum *Tomoreus*, de committenda pugna, importune decerneret, postquam eius fatali sententiae obstiti non posset; se prouidere, quid cucullatus imperator, postridie esset facturus. Eum namque, tanto ausu, nihil omnino aptius praestitutum, quam ut celeberrimum diem, *Christiani* Calendarii, fastis insereret, a caede, triginta milium *Hungarorum* martyrum, pro tuenda religione, a barbaris, iniquissima praelii conditione, concisorum. Eos enim, *Christiani* martyres (f.) vocant, qui pietatis causa pugnantes, vitro, egregiae morti se deuouent. Reliquos tyrones, audaculos adpellauit, & in his praesertim, *Georgium Sepusum*, *Transilvaniae* praefecti, germanum fratrem, & multa canicie, senium praeferentem; *Ambrosium Sárkányum*, nobilitate generis, opibus & dignitate, (g.) illustrem. Quum vero ei, *LVDOVICI* & *MARIAE* vxoris, simulacra ostenderentur, generoso ore dixit, se adolescentis regis calamitatem misereri, qui usque adeo, male sobrios, in re grauiissima, consiliarios nactus, pugnam, absurda ratione committere, properasset: & se, non ea de causa, ut ei adimeret regnum; sed, ut acceptas ab *Hungaris* cotu-

K k 3

tume-

e.) Libro Hist. xxviii. p. 164.

f.) Laxior hic est vocis significatio. MARTYRES sunt enim, Sancti, qui pro confessione CHRISTI, & eius religio-

ne, sanguinarium supplicium lubentes subeunt.

g.) Fuit nempe Comitatus Posonienis, Supremus Comes, & arcis Capitaneus, Regi *LVDOVICO*, vnice carus.

quibus ty-
rannus pa-
rentat

fortuna
Ludovici,
visa eius
imagine,
indoles.

„tumelias, ultore gladio vindicaret, in Pannoniam venisse, adfirma-
 „ret. Propterea, si pugnae discrimen euassisset, procul dubio, certi
 „tributi conditione imposita, ei Pannoniae regnum, redditurum:
 „quando, non sua, sed aliena culpa, cladem accepisset; & sibi glo-
 „riae futurum testaretur, si Sigismundi regis, socii sui, fratre geni-
 „tum, & tantis Austriae, clarissimae domui, adfinitatibus coniun-
 „ctum, conseruaret: tanta, clementissimi sermonis magnitudine, dis-
 „serens, vt haec animi sui decreta, MARIAE Reginae, quae Buda, Po-
 „sonium, belli metu profugerat, enunciari iuberet: sicuti nos, ab
 „his, qui interfuerunt, accepimus. Ad hunc modum, non caelis
 modo praesulibus proceribusque, sed regi etiam LYDOWICO, parenta-
 uit Solymanus.

§. III.

*Arce, de-
cedenti qui-
bus rebus
spoliatis,
Solyman-
nus:*

statuis:

tormentis:

*columnis
aeris:*

*eius ad Bu-
dam moras
atque clu-
dis edita,
magnitudo:*

ARCE degressus, Solymanus, nihil plus, ad victoriae suae mo-
nimentum suscipit, quam tres, priscae artificii, aeneas statuas,
quae in vestibulo regiae, a rege MATTHIA CORUINO, omnis vir-
tutis, atque elegantiae studioso, constitutae fuerunt. Haec, cla-
uigeri Herculis, citharocedique Apollinis, & pharetratae Diana, for-
mas referebant. quas pro tropaeo, Pannonicae victoriae monimen-
tum, Byzantii, in Hyppodromo, collocari iussit. Abduxit etiam
tria, inuistratae magnitudinis, operosique artificii, tormenta, quum
passim, ad ornamentum insignia, tum litteris, argento, sculptoria
arte, aeri incluso, essent admiranda. quae, Illyricae Bosnae regis fuisse,
dicebantur, in expugnatione Szabati oppidi ad Sauum, capta: atque
item, aeneas aliquot striati operis columnas, quae portarum epistylia,
sustinebant. Moratus est ad Budam, dies ferme viginti, quo spatio,
innatae suae genti sauitiae, indulgit. Nam diuersa, in proximas prouin-
cias, equitum agmina, praedatum fuerant emissa. quibus hinc, ad
Jaurinum vsque, illinc ad Tibiscum amnem, regio omnis, improvi-
sa atque horribili populatione, ita euastata fuit, vt, supra centum &
quinquaginta hominum milia, omnis aetatis & sexus, aut gladio ca-
sa, aut in seruitutem abducta, referantur. quas praedatorias manus,
postquam redeuntes in castra accepit, eodem, quo venerat, itinere,
victor, Byzantium redire coepit. Ex arcibus certe, quas hoc bello,
inter Drauum & Danubium, ceperat, praesidia deduxit; quod, &
hiems adpareret, & domesticis tumultibus, a quodam Calendero Celebio,
in Asia excitatis, domum reuocaretur. Ergo primum Adrianopolim,
deinde, cum victore exercitu, Byzantium reuersus est: vti habet Ist-
VANFFYVS (b.), atque eo potior IOVIVS (i.). Ex historia (k.) legationis
Hieronymi Laskii, quam is Constantinopoli, nomine IOHANNIS, obibat,
didi-

b.) Libro viii. extremo, p. 133.

i.) Libro xxviii. p. 266.

k.) Possidemus eam, Manuscriptam, qua

actus LASKII, quibus Solymanus
in bellum, aduersus FERDINANDUM
proliquit, simplici sermone, eoque
tino, expronantur.

didicimus, arcem quidem Solymanum reliquisse intactam, contra, ex-
ussisse urbem. lactanter, Ibrahimus Balla, ad Laskium: *Audiuius, exussisse vr-
bem, unde
constat?*
inquit, Tuum dominum, esse virum magni ingenii ac industria, & mul-
tis, hoc verum esse, iudiciis cognouimus; sed tunc obdormiuit, cum coro-
nari debuit: quia non quesiuit regnum a magno Domino nostro. Nam,
quicumque attingit Domini nostri manicam, per nullam potestatem mun-
di frangi potest. Quare Dominus tuus non cogitauit, videns ciuitatem
regalem, Budam, exustam, & domum Regis integram, quia breui ad
eam redire statuerit. Debuit hoc diu fecisse Dominus tuus, & non nunc,
sed antequam adhuc coronam capiti suo imponeret. Nunc, quia aliter
non potest, pressus ab Archiduce, querit gratiam, querit pacem; vbi si
non fuisset illi cum FERDINANDO bellum, certe nos ab illo, aliud, quam pa-
cem, expectabamus. Scimus, quia laborauit per RADICH apud CZAR
IVAN. reliqua. Ergo, vrbe exusta, intemerata mansit regia. quae qui-
dem, prima fuit clades, Buda, ab hoste inflicta. Grauitur animose-
que ad Bassam, LASKYVS quoque: Certum est, inquit, quod dicis, quia
Dominus meus singulari pollet industria, qui non se solus coronauit; sed
coronauerunt eum Domini Status regni, eo intuitu, vt ipse, per indu-
striam suam, per opes & vires suas, afflictus a vobis regno, subueniret:
actumque est hoc per longam electionem eorum, qui ius libertatemque
eligendi regis habent. Eamque ob consuetudinem, Dominus meus satis
habet, in electione & coronatione eorum, quorum in manibus, in dese-
ctu heredis, electio est priuilegiata. Ego tunc Vngaria non fui, cum
Imperator Turcarum, illam inuaserat, nec cum Dominus meus coronaretur.
Communis tamen vox est, quod Dominus Vester hoc moris habet,
vt domum inimicorum, modo in illa comedat, vel quiescat, vt saluam
semper relinquat. Dicunt alii, quia timore Budam reliquisset: alii refe-
runt, quod ob comitatus penuriam. Et ita, alia est, apud Vngaros opi-
nio, quam tu dicis. cetera (l.). Confici hinc potest, vrbe, incendio
deleta, cur intemeratam arcem reliquerit Solymanus.

§. IV.

ERGO, hi fructus, e barbarorum victoria, in urbem redundau-
re, vt primo eorum accessu, incendio foedaretur. Electus
in regem, IOHANNES, Budam, caput regni, occupandam ante re-
batur, quam facto diademate, quod Perennis commodauerat, redimi-
retur. Successit tunc destinatio: itum est enim, Tokaino, Budam,
quam, cum vacuam, miroque modo deformatam vidisset; cuius olim
claritudinis & splendoris, ipse gnarus erat; lacrymas dicitur minime
tenuisse. Nouum ergo principatum, occupata arce exorsus, eam ex-
purgatam, praesidio imposito, firmavit, ciuesque & incolas, qui in
Germa-

*Prima, a
Turcis il-
lata vrbi
clades:*

*infidetur a
Iohanne
de Zapo-
lya:*

l.) His istiusmodi colloquiis, tota ea hi-
storia, constat, digna sane, quae lu-
cem publicam aspiciant. Haec, sa-
tis ad gustum, infra, plura dabimus:

dum manu exaratum scriptum, in
ADPARATV nostro, ad Historiam Hun-
gariam, prodeat.

Germaniam, variasque regiones, profugerant, reuocauit, data spe, laxandi, ad certum tempus, tributis. Rebus, ad eum modum constitutis, *Albam*, ad capellenda, ritu patrio, scepra, profectus, rediit is quidem *Budam*, sed deferendam breui. Interea, dum hic, nouus rex, quid ad firmandum regiae dignitatis fastigium, in primis facto opus esset, praeposteris consiliis, disputat; a FRANCISCO I. Gallorum rege, *Antonius Rinco*, legatus, facto, per Dalmatas, Rhagusinos, Rhodopem, Haemumque, montes, itinere, ad urbem accessit. Litteras is, publice, ad Vngaros, priuatim etiam ad singulos, adtulit, Nonis Februarii, apud *S. Germanum*, in Laia datas, atque a *Robertto* scriba, editas. quibus ille, maximo se mcerore adfectum, commemorabat, trilli adlato nuncio, de Pannonico exercitu, ab infensissimo Christianae fidei hoste, Turcarum principe, profligato, magna cum nobilitatis strage, infelicissimo regis *LYDOVICI*, quod maxime molestum fuerat, fratris & consanguinei sui carissimi, casu. Sed, in tantis miseriis, haud parum spei, & consolationis sibi adferri, quod audiuerit *Hungaros*, principem, iis viribus, eaque animi moderatione, in regem suum cooptasse, cuius virtute, cum sedatis, si quae adhuc reslarent, seditionibus, res domesticas amplificare, tum a *Turcarum* incursionibus, & fines suos, & Christianam rempublicam, cuius firmissimum semper *Pannonia*, propugnaculum existerit, tueri facile queant. Se itaque, omni studio hortari, vt regi, populari suo, cuius virtutem, dudum perspectam habeant, per quietem potius, quam ignoto, ci- que extero, per discordiam parere, atque alterius quidem praesentia, & beneficiis, ornari, quam alterius absentis ministris, praedae esse malint. Ipsorum fidem, atque honorem, satis eos admonere, ne ad tanti momenti causam defendendam, animo potius defuisse, quam viribus caruisse, videri velint. Adeo, iam tum, artibus Gallicis, patuit *Hungaria*, eo spectantibus, vt principibus Aultriacis, inuidia conflaretur, acciderentur vires. Solemne tunc *Buda* foedus, inter regem vtrumque, percussum. De eodem *ISTVÁNEFYVS (m.)* Postea, ab eodem *Rincone*, foedus solemne, inter *IOHANNEM Pannonia*, & ipsum *Franciscum Gallia reges*, percussit: *CLEMENS Pontifex*, ac *Veneta*, & *Florentina respublica*, comprehenduntur, illudque, in eade *D. Virginis Matris*, qua *Germanica* adpellatur, a *Stephano Verböczio*, quem in praemium propugnatarum partium suarum, *Cancellarium suum nuper creauerat*, conceptis verbis, descripto, publicatur. Haec tunc, ab *IOHANNE*, *Buda* gesta sunt, auidius sane, quam prudentius.

§. V.

ANNO, qui sequutus est, MDXXVII. FERDINANDVS, valido stipatus exercitu, vti delatum sibi a *Palatino*, & qui cum eo faciebant, regiae dignitatis fastigium, depulso æmulo, occuparet;

(m.) Libro IX. p. 136, 38.

Franci-
sci I. Gal-
lorum regi
legatus,
inaugura-
tus iam,
hic auarit:

Litterarum,
quas adra-
lit ad Hun-
garos, ar-
gumentum:

factum omni
Gallico;
Clemente
Papa; Ve-
netis, &
Florenti-
nis, *Buda*
tunc ini-
tium.

Ferdinan-
di, in Hun-
gariam ad-
uentus:

paret; in *Hungariam*, venit, ad *Köptsenium*, a *Palatino*, & *Ordinibus*, acceptus. Adhuc *Buda* *IOHANNES* agebat, rerum suarum, quod procerum plerosque, cum vniuersa *Hungaria* superiore, *Transilvania* item, in obsequio habebat, securus prorsus. Militem certe, quem ad honestandam inaugurationis pompam, constituendasque res suas, coegerat, praepostero dimissum consilio, tum demum aduertit; quando retundendo *Ferdinando*, seruandaeque regiae, imparem se fore, cer-neret. Ergo, deferendam urbem statuit, & apertis campis subsistendum tantisper, dum, mandatis quaquauorsum dimissis, confluerent auxilia. Nec mora, traicit *Danubium*, positisque infra *Pestum*, ad *Gubacium* vicum, castris, lentis admodum successibus, ex procerum suppetiis, exercitum corradit. Adhuc classis amnica, *Danubium*, infra *Budam* insidebat, tentatura facinoris quidpiam, aduersus *Ferdinandeos*, si virum se praestitisset, *IOHANNES*, quem, cum labascere animo cernerent classarii, non vno indicio prodidere, in partes *Ferdinandi*, captata occasione, se transituros. Quod, cum *IOHANNES*, per certos exploratores cognouisset, in vtraque ripa *Danubii*, castella erigi, & tormentis muniri, quin amnem ipsum, inter *Budam* & *Pestum*, crassiore catena pracludi, iusserat, ne defectionis esset facultas. At enim, ea fuit triarcharum, *Iohannis Fulleresii*, & *Ambrosii Fogassii*, quos pollicitationibus inescaverat *Báthory Palatinus*, audacia, vt quamquam multi, ex *navalibus* locis, tormentorum pilis petiti, interirent; tamen contempto periculo, catena etiam sullamine illo, magna remigum vi, superato, aduerso flumine, *Comaromium* vsque, vbi tunc morabatur *Ferdinandus*, eniterentur. Classis accessione hac, animosior factus *Ferdinandus*, *Laurino*, & *Comaromio* inessis, *Tatam*, atque *Strigonium*, in fidem accipit, *Buda* iam iam adpropinquaturus; cum *IOHANNES*, copiis, quas tenues admodum habebat, diffusus, castra *Hatwanum*, hinc *Gyöngyösnum*, promouet. Nihil, ea demigratione, an fuga, *Ferdinando* nunciari potuit exoptatus. Igitur, vigesimo Augusti die, qui est, *D. Stephano*, primo *Hungariae* regi, dicatus, *Budam*, iustis passibus, contendit, eaque singulari felicitate, sine caede & vulnere, potitur. Simul, regni caput tenuit *Ferdinandus*, de sanando corpore vniuerso, cogitationem suscepit. Edicit, ea propter comitia, *Buda* concelebranda; inuitat, defectionis oblata venia, qui *IOHANNES* sequebantur, omnes: sin officium facere detrectarent, criminis laesae maiestatis, reos habitum iri; quin, vitae fortunarumque discrimen adituros, interminatur. Plures, quam sperarat, relicto *IOHANNES*, ex proceribus, confluxere. Quorum defectione audita, *IOHANNES*, *Gyöngyösnum*, vbi adhæserat aliquantisper, *Tokainum* versus, mouet, vt militem, ex *Transilvania*, & *Temesváriensi* prouincia, euocatum, in castra acciperet, fortunam, si posset, reparaturus. Sed, quod ea profectio, fugae, quam militari itineri, similior fuit, res *IOHANNIS* pessumdedit, planeque ad deferendas partes suas, *Hungarorum* plerosque, impulit. Nusquam enim ausus subsistere, in *Transilvaniam* se ab-

TOM. III.

LI

didit,

Iohannis,
Buda *occi-*
tantia:

imbellis *pu-*
er, atque
abitus, *se-*
ga *similis*:

classis *u-*
mnica *de-*
fectio, ad
Ferdinan-
dum:

Ferdinan-
di, *Budam*
aduentus:

habita *istis*
comitia:

didit, copiis, quas secum traxerat, in *Hungariae* finibus, per hiberna, ita dispositis, ut cogi possent, si foret necesse. FERDINANDVS interim, res, ad inaugurationis pompam, necessarias, *Budae*, comparat, eiusque solemnia, *Albam Regalem* promulgat. Quibus, rite, & more patrio, peractis (n.) *Budam* redit, nouoque edicto comitio, consulit in publicum. Exstant eius decreta, (o.) sanctionibus octo, designata, quarum pleraque eo adtinent, ut reuocarentur ad officium, sequaces *Zapolitani*, confirmarentur contra in fide, partes FERDINANDI amplexi. Tandem, relicto *Budae Stephano Bathorio*, Regni *Hungariae* Palatino, qui regnum, suo nomine, gubernaret, atque arce *Budensi*, fidei & custodiae *Thoma Nadasdii* tradita, FERDINANDVS *Viennam* rediit.

§. VI.

Spes erat postea, profligato, ad *Tokainum*, depulsoque in *Poloniam* *Iohanne*, perpetuam FERDINANDO, possessionem *Budae* futuram. quod tamen, hominum, an fatorum malignitate, aliter cecidit. Hospitabatur, apud *Tarnouium* in *Polonia*, IOHANNES, sic satis commode, & in magna procerum *Poloniae* celebritate: quippe qui, ad mitigandas exilii molestias, agminatim ad eum confluebant. In his, *Hieronymus Lasky* fuit, *Siradicensis* Palatinus, vir, uti animi irrequieti, ita, non minus bello, quam rebus quibusque aliis gerendis, ultra, quam reris, idoneus. Admissus, a IOHANNE, in familiaritatem, non prius desitit fatigare exulem, quam, euocandi in auxilium, *Solymani*, consilium, quod ille magna usus facundia, suggererat, penitus adprobaret. Id, ne haesceret temere, se, legationis labores, atque pericula, obiturum, excelsa animo spondit. Ergo, dimittitur *Constantinopolim* (p.) *Hieronymus*. Huc delatus, *Ludouicum Grittum* (q.), patronum nactus, tam se feliciter, *Ibrahim*, purpura-

m.) Mixere, diem coronationis FERDINANDI, dubium facere scriptores. Vide *Breuium Commentarium*, Rerum in Hung. &c. gestarum, ad A. MDCXXVII. p. 6.
n.) Cum id citant Hungari, *Decretum* I. vocant.
p.) «Fama est, SIGISMUNDVM, non modo euntem, non retentasse, sed iuvisse etiam diplomate, atque instruxisse etiam litteris, quibus, tamquam ciuem, familiaremque suum, extraordinaria & peculiaris legationis munus suscipientem, sibi que carissimum, purpuratis, & nonnullis Sarmatici etiam sanguinis, qui in aula *Solymani*, gratia valebant, commendabat. IOHANNES loco, postea eis. Ergo, non valis IOHANNIS, maleficio, constata ea legatio fuit. Certè, biennales *Polono* inducias, a *Lasky* fuisse comparatas, ephemerides eius loquuntur.

q.) De GRITTO, quis fuerit, ex Iovio, adscripsisse iuuabit, eo quod crebra eius recurret mentio. Fuit, inquit, ANDREAE, Venetorum principis filius, ideoque, praecelara eius nominis commendatione, insignis, & omnis elegantiae peritus: ab initio conuictu, secretioreque consuetudine, familiaris, tanta valebat gratia, ut IERAIMVM, ab ostro quodam sidere, SOLYMANVM genio, non obscure imperantem, eo, quo vellet, facile perduceret. GRITTVM siquidem, Byzantii natum, atque educatum, ideoque Turcicè vsque ad admirabilem facundiam, peritum lingua, generosi mores, & domestici apparatus splendor, summaque in omni re, agnoscendisque praesertim, & perite astimandis gemmis, quorum margaritas domi aleret, mirabiliter componere

ratorum principi, insinuauit, ut, & liberrimo ore agere, cum eo potuerit, neque cessarit ante, precibus cum fatigare, quam locum iis apud *Solymanum* faceret. Meminit, haud incuriose, eius legationis, *LASKYANVS* (r.), sed non exacte satis, ac fere, cum gentis *Hungaricae* ignominia: quando, tributa spondidisse, IOHANNEM *Solymano*, ait. quod aliter est profecto. Sunt in nostris cimeliis, legationis *Laskyanae*, ephemerides, quibus, quidquid colloquiorum ei, cum *Ibrahim*, & purpuratis reliquis, quin *Solymano* ipso, intercessit, magna perscriptum est adcuratione. Proinde, non putamus committendum, quin *Laskyanis* verbis, summa legationis eius capita, expromamus: maxime, quod constat inter omnes, foedus hoc *Solymanneum*, non minore clade, *Hungariam* adflixisse, quam erat *Mohatsiana* illa: compendio dicam; *BUDAM*, e *Christianorum* manibus elisit. Sed, ad legationem *Laskyanam* veniamus. Diserte, apud *Ibrahimum*, *Lasky*: Non me, inquit, misit huc Dominus meus, ad tangendam (s.) manicam Imperatoris, sed ad salutandum eum, & dandam illi manum, ad consiciendam cum illo talem pacem & considerationem, quae duraret, & vera esset. Dominus enim meus, cum adhuc minorem conditionem egisset, semper regibus suis suadebat, ut cum *Turcarum* Imperatoribus, amice pacificeque vincerent; sed, aliorum tum sententia, praeualebat; ubi nunc Dominus meus, Rex existens, quod Dominis & praedecessoribus suis suadebat, solus est facere pronus & paratus: videlicet, bonam amicitiam, atque certam considerationem. Hac ergo legationis *Laskyanae* summa, hoc caput fuit. Respondit *IBRAHIMVS*: Aduentum Tuum, aperiam magno Domino nostro, cuius ego sclauus sum, dicamque Tibi, quomodo de Te gratus fuerat, & dicam, quod venisti ad faciendam pacem, & amicitiam. Adco, ne barbarus quidem ille, aliud, de *Lasky* hac legatione, suspicabatur. Miscuere demum mutuo colloquium, iniectaue est mentio, copiarum *Ferdinandi*, cum acri *Hungarorum* obiurgatione. Dic mihi, inquit *Ibrahimus*, FERDINANDVS quot gentes habet? Audiuius, quia viginti quinque mille. Est ne hoc multum, contra Tuum Dominum, qui existens *Erdetyban*, (in *Transilvania*) faciebat in duplo maiorem exercitum. Sed verum est, quia potestas Domini nostri, attriuit & minorauit, vires *Vngaricas*. Certè, nos credebamus *Vngaros* praecipuos viros; sed non inuenimus eos bonos pugnatores, qui Regem suum, non a nobis, sed a parua aqua, liberare neglexerunt, & nos tali morte, nec infimum hominem nostrum, mori admitteremus. Regessit ad haec

L l 2

Las-

„dabant: vsque adeo, ut in eius
„hortos, quos apud *Petram* habebat,
„ex Italica disciplina, cultissimos,
„*SOLYMANVS*, ipse, oblectationis
„caussa, ab *Ibrahim*, perduceretur,
„atque eo secessu, iucundis sermo-
„nibus, tenacioris amicitiae gratiam
„aucuparet; inde, magno questu,
„vectigalibus atque portoris praefi-
„ceretur. Hic ille est, perniciet

Hungariae, eximius, si Diis placet!
procurator. IOHANNES, Libro XXVIII.
p. m. 282.

r.) Libri x. initio. Adde, *PAVILVM IO-
YIVM*, Lib. *Historiar.* sui temporis,
XXVIII. p. 274. seqq.

s.) Id voluisse *IBRAHIMVM*, ex adlocutio-
ne eius, ad *Lasky*, quam supra
dedimus, patet.

hinc hi-
storia, ex
suis ipsius
ephemeridi-
bus, illu-
stratur:

legationis
summa:

Lasky,
cum *Ibrai-
mo*, collo-
quium.

Laskyus, quod satis erat, collaudatoque exercitu Ferdinandi, quid Iohannes occipiturus esset, paucis exposuit. Hic, inquit Lasky, cepit, Ibrahimus, predicare potentiam Domini sui, & multa de illa iactare: cui ego me opponere nolui. Cumque iam tanti fecisset Dominum suum, & seipsum, dixit: Tarda iam hora est: alio tempore liberius tecum agam: bona nox! Tunc, impetrata, tradendarum, reliquis Bassis, litterarum Iohannis, facultate, audientia decessit Laskyus. Hæc, primi diei colloquia fuerunt, aliena ab angusto, seruilique animo.

S. VII.

Sequenti demum luce, cum Mustaffa, res erat Laskyo. Die XXIII. Decemb. inquit, vocatus ad Mustaffa Bassam, veni, ubi parua reuerentia mihi facta, qui exaudita salutatione mea, simplici, & non comita, dixit mihi: Tu fuisti heri apud Ibraim Bassam: omnia ille, quæ locutus es, nobis aliis Bassis, aperuit. Sed, dic tu mihi, quæ forsitan præ pudore, Ibraim Bassæ non dixisti: ad quid venisti huc ad Dominum nostrum? quia hic, nullus oratorum adfert aliquid ad Dominum nostrum, quod nobis prius non faceret cognitum: dicas igitur mihi, quid vult Dominus Tuus? Tunc Lasky, ad Mustaffam: Misit, inquam, me Dominus meus, huc, ad Imperatorem visitandum, & salutandum, cupiens cum illo, amicitiam & coniunctionem ætalem & perpetuam. Ad hæc Mustaffa: Nihil plus, inquit, tibi commissum, quam hoc est, quod dixisti: non portasti munera Domino meo? Verum ad Mustaffam, LASKY: Quando, tractabunt mecum de amicitia, & fœderibus, erunt alia, qua subiicerem; sed antequam sciam, an sit talis Domini mei affectio & voluntas, grata Imperatori, nihil aliud, nec agere, nec dicere possum. Munera nulla (t.) attuli, quia mihi nulla data sunt. Mustaffa Bassa, ad Lasky: Ergo tu, inquit, venisti querere amicitiam! Tu non venisti querere amicitiam, sed venisti querere gratiam, & commendare seruitia Domini tui Imperatori nostro; tarde tamen venisti, sique gratus apud nos esse voluisses, debuisti venire ante tui regis coronationem. Dic mihi, quo ausu Dominus tuus Budam intrauit, locum, per Imperatoris nostri equi vngulas calcatum, Domum Regiam relictam in integritate, propter reditum Domini nostri, quod si non fuisset in dorso nostro hycms, quaesivissemus istum tuum Dominum in Transilvania, & docuissimus illum aliud, quam amicitiam, cum nostro Domino, tractare: Lex nostra est, ubicunque caput Domini nostri quiescit, ubi semel caput equi sui intrat, hoc iam perpetuo spectare debet ad Dominum nostrum. Quare tuus Dominus leuipendit Imperatorem, cum sua amicitia? Prater, tu non venisti sicuti a seruitore; si non venisti cum tributo, non amplius loquere mecum. Lasky ad MUSTAFFA Bassam: Veni, inquam, hic credens me gratam rem, & Imperatori, & vobis

t.) Falsus est Iovius, Lib. Hist. xxviii. p. 275. quando, munera enim attulisse,

scribit, elegantia potius, quam præcio pietatis, gratiaque, præcipue vocibus futuris.

vobis ferre, portans vobis amicitiam & coniunctionis studium. Quid credis, quod fuso rege LUDOVICO & aliquibus occisis, iam regnum Hungariae nihil sit? Parumne huc porto, cum post acceptum a vobis damnum, non vindictam minor, sed pacem & amicitiam offero. Existimas, opinor, iam Vngaros, Valachos esse, faciam aliam regis & regni Vngariae rationem, quam Moldaunorum, qui serui Domini mei sunt. Dixisti, si non portem tributum, ut nihil plus agerem tecum; tributum non porto, & bene valeas. Mustaffa Bassa, ad LASKY: Dicemus, inquit, Domino nostro, quæ dixisti, postea poteris discedere, quia eo modo non admitteris ad magnum Dominum nostrum; sed quare tam diu celas, credis tu, quod nos nesciamus tui regis necessitatem: nonne Radul Vayvoda, omnia nostra scit negotia, quæ nobis, sicuti tributarius prescribit. Certumque est, quia tu venisti rogare auxilium contra Ferdinandum, & portas tributum, aut securitatem, fugiendi huc Domino tuo parere, quia Ferdinandi maior est potentia, quam vestra. Lasky, ad Mustaffa Bassam: De tributo locutus sum semel, quia Dominus meus, nec somniat de illo, & ita de illo silendum est. Sed, quod adinet auxilium contra Ferdinandum, suo tempore dicam; quia, omnes amicitia & coniunctiones, matura hominum providentia contrahuntur, non ob presentaneas tantum necessitates, sed etiam ob futuras. Securitatem autem Domino huc sugiendi, non veni parare, rogoque ne illam detis, cum non eam quaesierim; sed parare vellem, si possem, amorem inter Dominum tuum, & meum, & quod Dominus meus, loco patris Imperatorem deinceps iam haberet. Mustaffa Bassa, ad LASKY: Quomodo, loco Patris? sed dic mihi cuius es Tu? non es video Vngarus. LASKY, Polonus sum. Vbi didicilli Italice? Italia, respondit. Quid ibi fecisti? Fui & in studio ibi, & videndi gratia. Bassa dicit: Frater! multa studeisti, sed certe parum intelligis, Tu dixisti nunc verbum non sapientia, quia dixisti, quod Dominus tuus Imperatorem patris loco haberet. Vide, quia bonum est, loqui prius apud nos Bassas, quia si hoc Imperator audiret, nescio quid tecum faceret, certe non staret bene cum tuo capite. Nonne scis, quia magnus Dominus noster, primus est post diuinam potentiam, & uti vnus sol caelum vagatur, sic totius mundi Imperator, noster Dominus est, & Tu existens Bani Transilvaniae cursor, ausus es vocare magnum Dominum nostrum patrem, parui Domini tui. LASKY, ad Mustaffa Bassam: Diu, inquam, fecissem bene, si abiuissem, quia non audiuissem Dominum meum ita leuipendi, nec etiam me ipsum. Estne hoc malum, quod Rex Vngariae, qui scribebat Imperatori, amico & vicino dilecto, scriberet tamquam patri honorando. Si vos honorem non cupitis, culpa vestra est: nonne filiorum est patres, quadam singulari obseruantia prosequi? Cum itaque apud vos hoc male sonat, tollamus id ipsum; non sit alter alteri, nec pater, nec filius. Ergo, propter istam potentiam, quam assuecas, si hoc apud Imperatorem dicerem, male stare cum capite meo: credis tu forsitan, quod caput meum capra esset, vel quod Imperatoris

prudentia, ac humanitas, eadem ut tua esset. Non miror ego, quia potestatem tui Domini in tantum predicat, quia quilibet ita seruus & sclauus facere debet. Omnis etiam apud reges nostros subditus, semper maiorem Domini sui, quam alterius, potentiam facit. Galli praeserunt vires suas, omnibus aliis: Hispani, hoc ipsum de se asseuerant: Idem Alemanni: Idem Poloni, idem Vngari sentiunt de viribus suis; vestri Persae, multi vires suas faciunt; ita etiam & vos vestras. Dominus autem meus, nihil de se presumptuosus predicare permittit, sciens potentiam mundi, non in manibus esse vestris, sed stare illam in Diuina voluntate ac in suo iudicio. Quare, Tu Dominum meum Erdelibanum, quare me cursorem vocas. Sed verum est, sicut, mihi Dominus tuus (cum eius subditus non sim) Imperator non est, sed tuus; ita Dominus meus, rex mihi est, tibi autem non est. Curlorem me vocasti, si ob id, quia cum paucis aduenerim. Moris est apud nos, ut quando equum aliquem nostrum ad usum armatura impedit cauda, abscindimus illam breuissime, & ita equus est, eoque modo melius seruit; sic etiam, oratorem non facit longus equitatus, non equi, non vestes, non samuli; sed confidentia de illo Domini eius, & materia commissa. Male eo modo honorasti Dominum meum Regem, potuisti me ad hanc ignominiam non vocare. Mustaffa Bassa, ad LASKY: Rex, inquit, Tibi Dominus tuus sit, sed nobis non erit; quia non quaesuit a nobis licentiam regnandi. Tu tamen bene aduenisti, gratulor tibi, cursorem te vocari: quia ad Domium nostrum, non veniunt oratores absque muneribus; non quod munera poscimus; sed quia per munera maioritas honoratur Domini nostri. Certus sis, quia cum venisti absque muneribus, non videbis Imperatorem, nec ei osculaberis manum. LASKY, ad Mustaffa Bassam: Festinabam, inquit, huc, credens me acceptum fore, multaque damna ac discrimina veniendo huc, perpeffus sum, ita, ut me reuertendi summa urgeret necessitas. Cum tamen perpendebam, Ambassadam meam, non redii; sed huc in hac incommoditate mea venire constitui. Exspectabam a vobis honorem, expectabam munera; sed video, vos solos munera querere, quorum apud me nihil est; sique aliquid fuisset, ademptum esset, cum aliis meis rebus. Mustaffa Bassa, ad LASKY: Non propter munera, inquit, dantur dona Domino nostro; sed propter honorationem. Si itaque voluisti honorem, id est, videre Imperatorem nostrum, & osculari illi manum, debuisti portare munera; sed Dominus tuus fecit, non sicuti Rex, quia factus non est Rex. LASKY, ad Mustaffam: Munera non attuli, sed veni ad tuum Dominum orator, non portans res, sicuti asini faciunt; sed portans commissa fidei mea, verba transmandata, & id genus rerum: oratorem demonstrantium. Vocas Dominum meum, non regem: dixi tibi iam, quia tuus Dominus non mihi est Imperator, quia ego regem meum recognosco, & non alium; si etiam rex meus, tibi rex non est, sed mihi est. Mustaffa, ad LASKY: Bene, inquit, facit, qui Domini sui honorem tutatur ac obseruat. Quae tecum egi, cras sciet Imperator noster,

„ &

„ & bona nox! Frater! cum ista tua amicitia, quam portas, nescio quid habebis responsi; tamen non timeas, sis boni animi, quia in aduersis vir cognoscitur. Haec Laskyo, cum Mustaffa intercessit velitatio. ut cognosci inde queat, quantopere nomen tributi, IOHANNIS, idemque exsul, legatusque suus, abhorruerit. Est vero, cur mireris animi hanc in Laskyo excellentiam.

§. VIII.

NOua, eodem die, cum Aya Bassa, expositulatio fuit Laskyo. Tertius is, in purpuratorum numero fuerat; sed priori utroque, & prudentia inferior, & in rebus gerendis, adcuratio: acris tamen, & Turcicae potentiae, buccinator insignis. Arcta interim, Laskyo fuere omnia. Praeterquam enim, quod cursorum more, suo sumtu viuere cogebatur; datae ei sunt excubiae, quae aditu, exituque, prohiberent quosuis. Ergo, desperata ad exsequendum, res visa est, quam sibi, ex IOHANNIS voluntate, habuit propositam Laskyus. Atque, concidisset omnino spe, vix, alioquin praesentis animi, nisi cum Ludouici Gritti, cura atque consilium, sustentauisset. Id, quale tunc fuerit, ex Laskii confessione, fas est condiscere. Die XXVI. Decembris, inquit ibidem, in eadem constitutus miseria, huc venit ad me Dominus Ludouicus de Gritti, corruptis custodibus, & docuit, quomodo mirarentur aduentum meum, cum ista legatione; vbi solabatur me, & ut non curarem, quae fierent, rogabat. Constitutusque inter nos, ut litteras regias, quas illi miseram, monstraret Bassae, & quod quaereret licentiam audiendi commissionem regiam, cui non apperui singula, solummodo dixi: Dominus meus intellexit, hic te agere, & pollere hic apud Bassas gratia, quare, rogat, ut sis mihi consilio in ista porta, cuius ego consuetudinem nescio. Tamen, maius erit officium Domino meo, monstrando in transferendis praemiis ex Venetiis, quas singulis mensibus Christianissimus rex, Domino meo, vi confederationis, sub nomine auxilii, mittit Venetias, pro quolibet mense, scilicet XXX. millia coronarum dando. Haec pecuniae, propter bellum cum Ferdinando, per nullam aliam viam tutiorem, Vngariam conduci, quam per hanc, aut per Aragusam possunt; tamen tutior mihi ista videtur. Sed, postquam habueris licentiam, publice huc ad me veniendi, & sciueris, si hic pacem conficiam, tunc de praemiis hisce melius consulemus. Retulit mihi officium patris sui ducis, retulit illius reipublicae sollicitudinem, quam hic habuerunt apud Bassas, & medio sui, ac oratoris hic agentis, dixitque, Turcas, diu Vngariam, lapsa aetate inuasisse; nisi hoc modo, per ipsum & oratorem Venetorum, retraherentur; dixitque, non futuram alio modo pacem, quam per tributum conditionem. Cui ego, longis verbis, impossibilitatem exposui, nec me desuper habere mandatum, quia hoc nunquam cogitasset Dominus meus: rogavi demum, ut exploraret mentes hominum, &

„ mihi

Notandum, cum Aya Bassa, col. isquium.

„ mihi subiiceret. Si autem licentiam veniendi, & me visendi non haberet, ut scriberet, scriptaque arte aliqua transmitteret. Tanta aulae Turcicae, in rebus, quas maxime cupiebat, adtractandis, vastitia fuit, atque cunctatio.

§. IX.

PRolixum foret, & a proposito nostro dissentaneum, colloquiorum omnium, argumenta saltem, heic retentuisse. Illud tamen, quia ad foederis arcaniorem historiam, pernoscendam adtinet, quod *Laskyo*, die XXVIII. Ianuar. cum *Ibraimo* intercessit, silere neutiquam possum. Aduocatum ille *LASKYVM*, sic adfatus est: Affectionem Domini tui, & mutuam fraternitatem, inquit, coniunctionemque, grato excipio animo, & volo illi minoris esse loco fratris; sed, frater fratri, amicus amico, ita debet esse obnoxius, ut res vtriusque vnus sint, eadem voluntas, vnum studium, ac vnum consilium. Quare ego talem cupiens, cum tuo rege, habere fraternitatem, quae certa & constans maneret, & quae esset grossa, non tenuis, quae facile rumpitur. Dico Tibi, quia non mihi licet, nec possum eiusmodi inire fraternitatem, nisi prius sciuero omnia tui Domini negotia, & maxime, quid apud nostrum Imperatorem postulet, modo, quo illi se exhibeat; nam ego, plus Domino meo, quam patri, plus, quam soli debeo. Nam, si tuus Dominus taliter se Domino nostro exhibere nollet, quod illi esset honorificum, perpendere debebo, aliquid in vestris visceribus esse, quod tempore suo, contra nos repullularet, & hic mihi ignoscere debebit tuus Dominus, si fraternitatem non exceperim: *LASKY*, ad *Ibraim Bassam*: Considerare, inquit, potes, quia grossam vult tecum Dominus meus inire coniunctionem. Nam alios *Bassas*, uti oratores assueverunt, nec salutare, nec illis litteras, absque tua voluntate, offerre iussit; tu autem iussisti, ut eos inuiserem: ubi, cum ad *Mustaffa Bassam* venissem, indigne ab eo tractatus sum. Serenissimus Dominus meus Rex, non rex nominatus; ego cursor vocatus. Quid prodest ista tua humanitas, quam tu mihi exhibes, cum me solus honorifice excipis & audis; regem vero meum, & me admittis lenipendi: si scissem ego hoc, non iuissem ad illum certe. Nam ego non veni ad iurgia, nec ad contentiones, nec veni ad eum, ad quem me pridie promiseras, sed veni ad Te. Credo id per industriam abs te factum extitisse, aut in lenipendum Domino meo, vel certe, ut cognoscerem, quantum benignitas tua, ab illius distet inhumanitate. Omnia mihi perplacent, cum tecum ago, quia video, me loqui cum corde Domini sui. Agnosco acutiem industrie & virtutis tuae. Scio, quia scias mores hominum, & modos, scias, quid in mundo tractetur, qua sit curiarum regum, principumque diuersitas, cognosco. Haec tua prudentia, haec auctoritas, & lenitas, per totas regiones nostras, maximum nomen habet. Nunquam ego audiui *Mustaffa Bassae*, nunquam *Ayas Bassae* nomen: obque tales

Alterius, cum Ibraimo, Laskii colloquium:

eius, ad Ibraimum, adlocutio:

tuas praclaras dotes, rex meus Serenissimus, honore & fraternitate sua dignatur Te, & non alium quempiam. Nec miror, quia hanc coniunctionem inire nolueris, nisi certitudo, modo, quo erit Domino meo, cum Imperatore tuo, tibi prius foret cognita: si enim aliter faceres, & ego crederem te aliquid aduersi Domino tuo pensitare, qui te cum illius inimico coniungeres. Veni ad te, tanquam ad cardinem, qui fores amicitiae principum nostrorum, regeres & gubernares, permanendo in fideli obsequio Domino tuo, & regi meo in sincera & arcta fraternitate. Vbi Dominus meus hoc suum studium, & consilium, quod semper regibus suis, *VLADISLAVO*, & *LYDOVICO*, suadebat & consulebat, nunc solus cum Rex sit, exsequi cupit, videlicet, pacem, amicitiam, coniunctionem, ac considerationem, cum Imperatore tuo. Haecque ipsa finire & perficere, medio tui cupit & optat. *Ibraim Bassa*, ad *LASKY*: Frater mi! inquit, de magnis & diuersis rebus tractando, oportet grata, ingratis admiscere, stantibus praesertim ita rebus nostris, & vestris. *Mustaffa Bassa*, bonus vir est, antiquus huius Imperialis domus sclauus & secretarius: quilibet tamen more suo agit & viuit. Cum itaque Dominus tuus, hoc fraternitatis vinculo, me suum esse cupit, cumque, ut dicis, te huc in meam mitteret confidentiam, obsequere consilio meo, videbis, quia rectum consilium, & bonum me fratrem Domino tuo, cognosces. Rex tuus coronatus est, non ex regio sanguine existens, neque per successionem; sed electus & coronatus, per partem: habet inimicum *Ferdinandum*, qui potentior illo est, quem alia Vngarorum pars duxit in Vngariam. Et ut vere dicam, si aliam iustitiam non haberet, nisi eam, quia sororem habet regis *LYNOVICI*, (u.) potior eius iustitia apud Deum est, quam tui Domini. Nos autem regem *Ludouicum* occidimus, sedem eius regalem occupauimus, comedimus in ea, & dormiuimus. Regnum illud nostrum est. Quia illic dicunt, qui asserunt; Reges, propter coronam Reges esse. Non aurum, vel gemmae, imperant, sed ferrum, *Sablya*, qua conficitur obedientia. Itaque, semel *Sablya* quaesitum, *Sablya* teneri debet, utque occupatum ac potentia, non potest eripi, nisi aut alia potentia, aut tractatibus. Quare, consulo Tibi, ut Domino meo, quam maximum honorem faceres: nam illud regnum suum est; quia frustra tempus perdis. Scimus potentiam Domini tui; scimus, quomodo Vngariam expulauimus, quae nulla pecuniarum auxilia ferre potest; scimus maiorem Baronum, ad *Ferdinandum*, defectionem; scimus, quia tuus Dominus retrocedere coactus est, cum videret illius fortiorem exercitum: quare, accipiat tuus Dominus manicam Imperatoris nostri, recognoscat illum pro Domino, habebit regnum a nobis, habebit tale auxilium, quod non *Ferdinandum* solum, sed

Tom. III.

Mm

a) Mirere, hanc Ibraimae integritatem, sed pergo simul mirari, Lector! candorem *LASKY*, qui laud dubitavit, hanc in litteras referre. Ex vero au-

tem, & iusto, loquantur fuisse Turcam, patam est, necesse est simul euentu felici, coram orbe Chetillano.

„ & Ferdinandi amicos, quando tuus Dominus voluerit, vertemus
 „ in pulveres. Montes illorum, vngulis equorum nostrorum redu-
 „ cemus ad planitiem. Eo igitur modo, Domino tuo, certitudo
 „ regni facienda est, certitudo Imperatoris amicitiae, certitudo fra-
 „ ternitatis nostrae; ista conditione, status Domini tui stabilendus
 „ est. Vide! si non fuissent oratores Veneti, & filius (v.) illius rei-
 „ publicae Ducis, (ad quem etiam tu, scio, litteras attulisti) hac
 „ elapsa aetate, gustassemus, & Ferdinandum, & Dominum tuum;
 „ quia, non potest esse melior pro tertio, nisi quando duo dissident, com-
 „ moditas. Quid fuisset, cum ego cum Romania, & cum Ianitscharorum
 „ parte, per hanc Danubii partem iuissem contra Ferdinandum; & per
 „ aliam partem, socius meus *Ayas Bassa*, opposuisset se Domino tuo, du-
 „ ctis secum utique Moldavis, & aliquot millibus Tartarorum; uterque
 „ nostrum, superaret centum mille virorum numerum. Tartaros, in Po-
 „ loniam, rot mitteremus, quot sufficerent; sed nos, ad Venetorum,
 „ qui nostri sunt amici, postulationem, superfedimus hac aetate; non
 „ tamen dormivimus; si erit opus, veniemus brevi, inueniemus
 „ utrumque lassum, sine opibus; facilis erit cum eis tragocedia. Qua-
 „ re, consulo, postcas a Domino meo regnum, & roges, ut moram
 „ istam Domini tui, boni consideret. Dic, quia tuus Dominus, vult
 „ sub illius manica & umbra esse; promittas tributum, summam non
 „ nomines, quia ego hanc moderabor; si facies hoc, habebis
 „ omnia, quae volueris. Nam, si huic thesauro suo, quem habet Do-
 „ minus tuus, confidit, Frater! Frater! facile ex illo puteo aqua ex-
 „ trahitur, in quem non influit, chorda, quae assidue pulsatur, rumpitur.
 „ LASKY, ad Ibrahim Bassam: Sermonem, inquit, longum fecisti, &
 „ vix omnia memoria imprimere potui. Dixisti tamen in primis, regem
 „ meum, non per successionem, neque ex regio stemmate, sed per partem esse
 „ coronatum. Verum dicis, nullam Dominum meum habuisse successionem,
 „ quia non e regali domo esset; sed eius talis coronatio laudabilior est illi,
 „ quam per hereditatem; quoniam plerumque heredes praeuos, tyrannos atque
 „ ineptos, vidimus & audivimus; sed Dominus meus, in defectum regiae
 „ proles mascula, per longam electionem, tandem unanimi omnium applau-
 „ su, exaltatus, & coronatus est. Coronantur autem apud nos reges, a
 „ subditis, ut corona, fidelitatem & obedientiam suam testificentur. Re-
 „ gnum autem Vngariae, si per successionis lineam devotui debuisset, non alii,
 „ tali iure cederet, nisi Poloniae Regi, qui patruus LUDOVICI erat. Ta-
 „ men, Poloniae Rex, libertatem Vngaricam opprimere noluit; immo, mi-
 „ sit oratores suos ad coronationem, moderni Domini mei regis, congratu-
 „ lando illi. Nam semella apud nos, (*) sciti & apud vos, non hereditant.

Pro

v.) LUDOVICVS GRITVS, multarum po-
 stea calamitatum Transilvaniae, &
 Hungariae, auctor. quem nunc, ex
 Iovio, descripsimus.

*) Siue de POLONIA sua loquatur LASKY,

sive de HUNGARIA, falsus est utrobi-
 que. Quis enim nescit, ELISABE-
 THAM Poloniam, LUDOVICI I. ma-
 trem, eidem Hungariae regi, Polo-
 niam, successionis iure, fecisse pro-
 priam?

Pro tanto, & apud Deum, & apud homines, melior est nostra, quam
 FERDINANDI iustitia. Dixisti praeterea, quia Ferdinandum alia pars, &
 potior Baronum, traxit in Hungariam. Verum est, quod sunt aliqui, qui
 timent de male gestis poenam. Mox, post mortem Ludouici, ad Fer-
 dinandum sugerunt, qui regem defunctum male gubernabant, qui plus
 propria, quam communia amarunt. qui cum vestro Domino, pacem di-
 suadebant; isti metu severitatis Vngaricae, salutem sibi apud Ferdi-
 nandum quaesierunt, &c. Vos hic etiam habetis, transfugas Per-
 sas, nonne quilibet illorum, aut ob metum, aut ob lucrum venit: de
 hoc nobis nulla ratio est. Dixisti etiam, quia regem occidistis, Bu-
 dam occupastis, quod per hoc regnum vestrum esset. Si vos habere voluis-
 setis Budam, non ita illam relinquere debuissetis, sicuti reliquistis; sed
 ita, sicuti Cairum, sicuti Damascum, sicuti Rhodum: sed, comburen-
 do omnia, inde auferendo; nihil suorum ibi relinquendo, non praesidiis
 muniendo, non destructam aedificando, repenteque recedendo: quis est,
 qui non dicat, hoc vos metu fecisse. Per hanc talem occupationem, nihil
 magni factum est. Quia Buda, res est, quae facile capitur: nihil esset
 omnino turpius, quam ut propter hoc, Reges Hungariae deberent recognosce-
 re Imperatorem vestrum. Consilium autem tuum, quod das, honorificum
 est, non meo tamen, sed tuo Domino, cum suades, ut sub manicam &
 umbram Imperialem, rex se meus committat. Quid hoc? propter unam
 excursionem vestram, & aliquot in Serenio castellorum occupationem,
 iam rex Hungariae a vobis dependere deberet, iam vobis tributarius esse?
 qui inter Reges Christianos, tertius loco est, opibus autem & viribus pri-
 mus; qui antea, Imperatores vestros, & nostros, multoties rupit; qui
 Venetos tributarios sibi reddidit; qui Bohemia regnum; qui Austriam, &
 alias provincias, sine subiecerat ditioni. Is nunc deberet esse vester tri-
 butarius? tandem, fuit quondam, inter regem Matthiam, & Fridericum
 Imperatorem, contentio, resque Matthiae, peiorem habuere conditionem,
 quam nunc Domini mei habent; superauerat tamen MATTHIAS. Breui
 singula: quid hoc est, cum Ferdinandi exercitum, alterius sortis quam
 nostrum vidimus, quod consulto retrocedebamus, arte cum illo agentes,
 & cupientes equos illos magnos, diuturna fatigatione, homines vero, as-
 siduo armorum onere, emacerare atque debilitare: eamque ob rem, re-
 tro cedebamus. Actum ita saepius extitit apud antiquos Romanos, & apud
 alios, rei militaris gnaros. Nunc tamen auditis alia nova, & maiora
 audietis, dante Domino. Ego huc veni, ut ex ista parte vestra, certus
 & mutuis inter nos esset amor, pax, amicitia, & confederatio. quam
 habentes, integra manu, arcum in FERDINANDVM tenderemus, quia huc-
 usque illum duobus digitis traximus, habentes vestri, sicuti hostium,
 maiorem, quam Ferdinandi, rationem. Volumus igitur esse amici, ami-
 cis vestris, inimici inimicis. Estne hoc vobis parum, a Rege Hungariae,

Mm 2

cum

priam? in cuius id postea, maiorem
 natu, filiam HELVICEM, iure eodem
 tranfuit. Apud HUNGAROS, contra,

quidquid iuris in Hungariam habuit
 SIGISMUNDVS nuptiis id MARIAE, LUDO-
 VICI, natu minoris filiae, partem fuit.

cum sumus fide diuersi, cum regnum a vobis illud, recentem videat iacturam ac offensionem, eo modo Vngaricam coniunctionem assequi? Profecto credidi ego, hic me habiturum aliam, quam video, gratitudinem, cum pro paruitate industria mea perpendebam, tot & tantam rem vestram, ex hac amicitia futura; sed vos abhibuistis, tot mihi custodes, tanquam illi, qui fugam meditaretur. Non veni huc ad fugam, non veni, ut aliquid explorem. Veni, ut dixi, ea spe, quia gratus esse debuissim. Creditis iam apud nos non esse vires; creditis, non esse maximos Reges; non esse id cura, & apud magnos, & apud paruos, quia res vestrae, tam breui tempore, in inmensum creuerunt. Consiidatis vestra potentia, plus quam Diuinae voluntati. Recordari ALEXANDRI Magni potestis. Romanorum potestate, nulla maior fuit; vbi nunc illa, quo initio creuere, eo sine interiere. Sapiens quisque est, qui in maxima fortuna, minimam habet licentiam. Domina vestra, omnia sunt licentia. Viuunt omnes, quorum patres, fratres, & alios consanguineos, occidistis. Nouum est imperium vestrum; omnia tyrannide gubernatis. Multoties iam in Syria ac Aegypto, rebellionem vidistis. Regna longinqua habetis, ad qua nostris paruus labor nauigandi est. Persa est, qui bellum habet vobiscum; nulla tamen ex parte maior vobis ruina imminet, quam per eam Hungariae partem, quam si amicam vobis faceritis, nihil maritima bella timeatis; nam equites, nauibus duci non possunt; cum peditibus vero leuis commedia est. Hungari autem vobiscum amicitiam habentes, tutabuntur vos semper ab suis oris, & non soli solum, sed & Dominus meus. Si hoc gratum Imperatori esse deberet, induceret rex meus, Serenissimum Polonia regem, ad faciendam, & quarendam vobiscum pacem, qui Polonia rex, omnibus aliis, regum nostrorum, equitatu potentior est? quos si amicos habueritis, nunquam hanc partem tueri debebitis. Erunt enim isti reges, & soli amici vestri, & alios illorum amicos semper ita manutenebunt, & nunquam aliquid hostile molientur. Quia autem Venetiarum orator, & filius ducis, vos, ab inuadenda Hungaria, retraxit, fecerunt ut amici, & regno illi obnoxii. Sed mihi non placet, hac vestra potentia confidentia, & iactantia. Dicis enim, idem ut facerem &c. Futura namque, male quilibet facit, si sibi certa promittit, maxime autem in rebus bellicis, quorum euentus in manibus Dei, & non pugnantium est. Consiidatis multum numero & multitudini vestra, quasi nesciatis, quia cum ad certamen deuenitur, non omnes illi pugnant, qui ad praelium veniunt; victoria enim, vel ruina, semper per aliquot virorum millia, in primis pugnantium sequitur. Et sic, non tantum fidatis vobismetipsis, ut reliquos parui faciatis. Scitis, quia a nobis omnes artes bellica & ingenia bombardarum, ac munitio, traxere originem. Vos, si vultis habere bonos machinarum susores, si illarum iaculatores, a nobis, multo impendio, queritis. Itaque, temere sibi futura pollicendo, superbe loquendo, nihil id facit aliud, quam quod incerta spe passit expectationem suam. De tributo autem, iam saepius, esse si-

len-

lendum, dixi; nam, Serenissimus Dominus meus Rex, non solum nunc inimico suo; sed & agazoni suo, citius regno cederet, quam illud vobis redderet tributarium: Quare, si non cupitis eam coniunctionem vobis esse gratam, quam attuli, faciatis mihi saluum reditum ad Dominum meum, per eam, quam veni, viam. Nescio, an vnquam apud tyrannum, sui, ob superbiam, impotem, animosius, orator quisquam dixerit? Placet inprimis, constans illa, & virilis tributi auersatio; quodque spondeat, de IOHANNI, Laskyus, regno eum decedere malle, quam hanc sibi ignominiam, regno calamitatem, suo iumento, arcessere.

virili, &
excessu
Laskii
animi.

§. X.

NVnc, fas est audire, quid LASKYO, rem suam egregie oranti, quoque animo, IBRAIMVS, responderit. Sedebat, inquit Laskyus, longo satis tempore pensitudo. tandem dixit: iungamus nos subfelliis, ut liberius tractemus; sed absque fastu agamus. Dic mihi quae, ob quem finem Domino tuo, Hungaria cedere debemus, ob quam vtilitatem, cum eo, hanc coniunctionem facere? quia, cum semel Dominus noster aliquem sibi adiungit, ita eum fouet in gremio benignitatis & amicitiae suae, ut nec vno puluere illum labefactari admittat. Regnum, si tuo regi dabimus, coniunctionem, si cum illo faciemus, tum erimus amici eorum eius, tum inimicorum inimici. Nonne, ad quamlibet eius requisitionem, illi subueniendum erit? Subueniendum autem nunc contra Ferdinandum, & gentem Germanicam, vestri orbis potiorum, quibus Imperator vester, quibus rex Franciae, quibus Veneti, cum aliquid magni volunt facere, vtuntur. Perspice, quantum impendium Domino meo faciendum erit, impendium non vnus mensis, nec vnus anni: cur hoc Dominus meus facere deberet, propter Dominum tuum, absque aliquo fructu honoris, superioritatis atque tributi: tantum hoc esse deberet propter Domini tui amicitiam? Cara est haec amicitia, per Dominum meum non emitur. Dominus tuus, contra quem nobis suppetias laturus est? Contra Kiczet Bassam? remote veltris est. Nos vero, quid auxilii egemus contra illum, cuius medietatem regni subiecimus. Mesopotamia iam tota nostra est, sedimus in Deuris, sede ac ciuitate illius regali, per dies duodecim, actumque iam diu esset de illis, nisi essent de fide nostra. Ergo, Dominus tuus, vbi nobis subueniet? igitur, propter eius amicitiam, Hungariam illi nostram dare, ac tot gentibus, & impendio, auxiliari debemus? Dic mihi, si vos essetis, sicut nos, in ista potentia, in istis opibus, viribus & facultatibus, & nostros oratores, hoc, quod tu habes, quarentes haberetis, quid faceretis cum eis? suspenderetis eos certe! quia

Ibraimi
respondit.

„ recordamur, quid fecit LVDOVICVS, vni sclauo nostro, a tanto
 „ Domino eunti, nihil mali portanti; talit tamen pro facto illo,
 „ talem, vt scis, bonus rex, poenam; & certe ego doleo de perso-
 „ na sua. Miror tuæ prudentiæ, quod huc adueneris, absque saluo
 „ conductu, cum ista tua duritia, & cum tui Domini, tam cara ami-
 „ citia, quam nobis ad vendendum exhibes. Obsequere consilio
 „ meo, fac Domino meo honorem, nomine regis tui, promitte tri-
 „ butum, stabit Dominus tuus eo melius, quam alias. Nam aliter,
 „ nec Domino tuo, nec Ferdinando, Hungaria cedemus. Vidisti
 „ viam, per quam nouissime Hungariam iueramus. Verumne, quia
 „ pauca herba nunc ibi est? Nunc, si erit opus Domino meo, ibi-
 „ mus multo maiori apparatu; quia tunc ibamus contra vnum, nunc
 „ autem ire debemus, contra duos reges, faciemus ex Buda, Con-
 „ stantinopolim, ibi, ... ibi agemus. Tartarorum omnes Czæros, in
 „ Poloniam, cum aliquibus nostris delegabimus; monstrabitque Do-
 „ minus noster, talem potentiam, qualem nullus hominum vidit,
 „ nullus, nec legit, nec audiuit. Sed ego nunc tecum alio sum locu-
 „ tus modo, quam Turcico, qui breuiter loquimur, (x.) & longe
 „ facimus. Risit cum hæc diceret, nequam barbarus. Discas hinc,
 „ eius indolem, nimia sui confidentia, & aliorum contemptu, extra
 „ modum turgescens; sordibus tamen, & vtilitati deditam. Neque
 „ heic vero, ab ingenio suo, desciuit Laskyus. Audiamus, quemad-
 „ modum, fastoso homini, responderit: *Letatus sum, quia nos propius*
 „ *iungebamur subselliis: credidi enim, quia satisfacere velles Domini tui,*
 „ *quam de Te habet, confidentia, fameque tua, quæ apud nos maxima est;*
 „ *sed eadem offa, quæ & prius, tibi in ore est, semper tributum lingua vo-*
 „ *luntas, honor assidue Domini tui, & nostrum perpetuum dedecus: debe-*
 „ *remque non amplius hanc terere paleam; sed agam more, vt dicis,*
 „ *vestro, breuiter. Quilibet paterfamilias, qui in æstate ligna collig-*
 „ *it, non facit hoc vnicò presentaneæ necessitatis respectu, sed de*
 „ *tempore prouidet, hybernali frigori. Arando, seminando, non eodem*
 „ *momento fructus tollimus, moriuntur multi, talem laborem manuum*
 „ *suarum non degustantes. Eo modo tamen, quicumque vinere vult com-*
 „ *mode, necesse est, vt res suas curet. Dominus meus, quia nunc auxi-*
 „ *lii, amicitia, & confederationis habet, cum Domino tuo, necessita-*
 „ *tem, ob idque contemnenda esset talis, tanti regis Hungaria, affectio,*
 „ *quia in presenti, non frangi vobis esse videtur? Quis esset fructus amicitia*
 „ *& confederationis, si solum vnius temporis, subito, per eam consuleretur*
 „ *necessitati? certe nullus! Nam eo modo, vna pars haberet commodum,*
 „ *& alia minime. Amicitia igitur & confederationes, propter futura confi-*
 „ *ciuntur, eamque ob rem, litteris monumentis, iuramentisque firman-*
 „ *tur. Dixi prius, quia apud nostros magnos reges, & principes; & ab*
 „ *illis, usque ad minimos, magna hæc & breui contracta potentia ve-*
 „ *stra,*

quid reges
 serue Las-
 kius:

x.) Vtantur omnino, Laconico potius,
 quam Asiatico dicendi genere; Tur-

cas; sed sunt tamen eo prolixiores
 malefactores.

stra, cum magno Christiana nostra fidei, Dominorumque nostrorum da-
 „ mino, inuisa est. Dicerem tibi aliqua, nisi timerem, ne forsitan crederes,
 „ me velle vos, ad hanc coniunctionem, minis pellicere, vel crederes, con-
 „ fecta commentaque esse, quæ ego communicauero, & sic forsitan succense-
 „ res mihi. Ita, vt dixisti, verum est, absque saluo conductu venien-
 „ ti, poteris mali, quantum volueris, exhibere. quæ res, non esset ex vir-
 „ tute & fama tua; quia ego de bonitate humanitateque tua confisus, huc
 „ ita veni, absque ista salutis certitudine. Cum enim in Gallias essem,
 „ audiui te aliquot captiuos manumisisse, qui cum sua sablya in caput Do-
 „ mini tui, ac tuum, ibant. Regi suo LVDOVICO assistentes, eos tu liberta-
 „ te non solum, sed equis, vestibus, pecuniisque, condonasti ac prouidisti;
 „ quæ res, maxime apud nos insonuit; nam, hoc de vobis, nunquam antea
 „ auditum extitit, commendabantque omnes hanc tuam benignitatem, pa-
 „ rasti que per id tibi apud nostros maximum nomen, & singularem quan-
 „ dam affectionem. Confisus itaque ego tanta probitati, generositate, ac
 „ humanitati tue, veni huc absque saluo conductu, non portans sablyam
 „ in manibus, sed portans tibi in corde sinceram coniunctionis & amicitia
 „ affectionem, certoque mihi promittens, & tibi gratum esse debuisse. Hæ-
 „ ctenus, fauorem barbari, caute prudenterque aucupabatur Laskyus.
 „ Longo postea sermone, habitum rerum, qui tunc in Europa fuit,
 „ explicuit Ibraimo, vt ostentata, Christianorum principum, consensione
 „ non minus, quam potentia, edomaret ferocem hominis animum. Per-
 „ git postea: Sed, quid ego hæc, quæ Tibi melius sunt cognita, enumero?
 „ credes forsitan hisce minis meis, te, & Dominum tuum ad coniunctionem,
 „ cum rege meo, torquere me velle; non feci hoc, vt te, qui aliis terrori
 „ fuisti, terrerem, & hoc modo ad amicitiam nostram inducerem, sed
 „ vt videres, quia tecum, & cum Domino tuo, sincere & vere viuere
 „ constituimus, illique potius adesse & auxiliari, quam aduersari. Ita-
 „ que, securis iam ad radicem est, & sicuti non nego, presentaneam
 „ nunc nobis esse necessitatem, (quia & cum tuo Domino, & Ferdinando,
 „ vno tempore pugnare, magnus esset labor) sic etiam perspicio, breuissimo
 „ tempore vos laudaturos & experturos coniunctionem nostram. Potentia
 „ vestra magna est, vt dicis, & vtut eam omnibus præponis; tamen, non
 „ ea, ex vestra voluntate, sed ex diuina dependet. Potens erat Darius, contra
 „ Alexandri paucitatem; potens Cræsus, contra Cyrum; tamen diuina volun-
 „ tas alia est, quam humana presumptio. Darium enim, cum innumerabili ex-
 „ ercitu, ad prælium venientem, Alexander Magnus, parua manu, profliga-
 „ uit. Allegas Tartaros, & multa de tua potentia iactitas; sed crede mi-
 „ hi, quod cum in vnam diem omnis conducitur potestas, non fit hoc con-
 „ sulto; sed hæc extra propositum nostrum. Dixisti, insuper Turcas, bre-
 „ uia verba, sed longas manus habere, & quod extra consuetudinem tuam
 „ esset, tantum de vna re, id est tributo, disseruisti. Dixi iam multoties;
 „ vos nullum a nobis tributum habituros. Sed, si vultis
 „ a nobis honorari; quia vt dicis, Dominus tuus, plus honorem, quam com-
 „ mo-

modum postulat; reddatis Domino meo, quod sub rege Ludouico, usque huc, in Hungaria, in Sclauonia, Croatiaque ademptum est, honorabit Dominus meus Dominum tuum, semperque illi, maiori & honorando scribet, tutorem recognoscat, ob beneficium datum: eo modo, & non alio, per nos honorabimini; sed de tributo non cogitetis, quia frustra ex lana securim cudetis. Si autem Dominus tuus, loca surrepta, nobis reddet, trinum sibi faciet commodum. Primo, quia obsequii & integrae amicitiae, habebit cum Hungaris, perpetuam certitudinem. Secundo, quia reges Hungaria illum pro suo maiore, & tutore recognoscent. Tertio, quia talis tua liberalitas, magnum habebit nomen apud omnes Christianos, qui reducent asperitatem cordium suorum, pacemque forsitan facerent vobiscum; praesertim, quando sic Dominus meus, hoc confitendo beneficium, se interposuerit. Quare, prudens es, polles apud istum Imperatorem, tanta gratia & auctoritate, ut dicaris esse Imperator Imperatoris; bene, & male facti, omnis ex te manat finis. Perspice longe plura, quam quae ipse aperui, vestro capiti minantia. Animum regis mei excipito, affectionemque suam. Et mihi de multiloquio ignosce. Aduertat hic lector, constanter legatum tributi mentionem repudiasse; quin Syrmium, & quae erant Corona Hungaria detracta, repetiisse, praesidenti animo: nullo alio usum auctoramento, quam quod eius beneficii memoriam, perpetuam, Reges Hungariae, sint habituri. Respondit ex templo Ibraimus, sinemque postea colloquio imposuit. For-

san, inquit, miratus es, quia risi. Risi, inquam, cum repeteres, e manibus nostris, ademptas regiones vestras. Scito, nos magis aduncos vngues habere, quam falcones, vbiunque manus nostras implicamus, non soluimus, nisi abscondantur. Sed ita oportet esse, omnis pluuia cadens, per terram excipitur, sic etiam nos maxime, oratoris verba necesse est ut audiamus. Sed ut nos longas manus, sic vos longe videntes oculos habetis. Poscitis loca crepta, in tot regionibus. Bellgradum, vel, gradum-bell, somniatis, mi frater! Ego, uti quilibet nostrum, Bassa, verbum minimum, malum sit vel bonum, Domino meo referre teneor, cum maximo timore: profecto, haec Imperatori meo dicturus sum; tamen Tu, non timeas, postquam tu ita in meam confidentiam aduenisti. Bona nox. Profecto ambigo, an potuisset IOHANNES, ad mouendum hunc Acheronta, idoneum magis hominem reperisse. Adeo, non desunt miseri, malorum instrumenta!

§. XI.

Laskyus, a
Gritto ad-
iutus:

Nondum coaluerant sententiis, barbari, cum Laskyo. Ergo, Gritto administro opus erat, cui Polonus, data *ουρεφθ*, episcopatum promiserat, cum annua, quatuor mille florenorum, pensione, si in partes IOHANNIS posset illicere Ibraimum. Egit ille, quod maxime e re visum est. Sed, quod Laskyus, non tributum modo

modo negabat pertinacius; sed ne munera quidem volebat polliceri; contra Syrmium reddi, impensius vrgebat, res omnis longioris facta est subfellii. Atque, abiire omnino dies quatuordecim, dum ad colloquium denuo admitteretur Laskyus. Repetiit ille iterum iterumque, id quod ad nauscam vsque barbaro, ingesserat antea. Cui ille, iam

credidi, inquit, Te Seremii oblitum fuisse; sed video, quia bibisti aliquando vinum illud, & sic sapor eius tibi dulcis est. Allegasti mihi multas rationes, cur pro nobis bonum esset, ut vobis dictum Seremium redderemus. Inter alia tamen dixisti, quia semper plus impendii, obseruando loca illa faciemus, quam caperemus commodi. Verum est, quia nunc quolibet trimestri, expendimus viginti octo argenti summas, ad rationem vestram, facit hoc, quinquaginta sex millia Ducatorum, quae summa, per annum facit, Ducatum viginti quatuor millium Ducatorum; & vide, nondum habuimus asprae commodum: quid hoc tamen est Domino meo, & si decies tantum exponeremus, eam ob rem, non cederemus illa. Certe, ego hucusque loquendi cum Domino meo, non potui habuisse animum. Nam, etsi tantum apud illum pollicam gratia, ita quod nemo alius vnquam, apud Imperatores alios tantum valuit; opus tamen est mihi loqui, sicuti cum Domino, sicuti cum benefactore. Cras itaque intrabo domum eius, ibi stabo cum illo, sique inter ambulandum per hortos, non erit talis eius materiae mouendae commoditas; alio die ducam illum ad venationem, & ibi aperiam, & persuadabo tuis omnibus rationibus; tamen non credo ego illum hoc facturum, quia est defensor & vicarius fidei nostrae. Et quia nunc veniunt Vlaci, qui nuntiant Ferdinandum, ad illa loca descendere; & ita Dominus meus cedere illa in manus Domini tui recusabit, ne diceretur, hoc metu illius fecisse; faciam tamen omnem diligentiam, quod si obtinere non poteris, tunc vnum oratorem promitte, quolibet anno mittendum; si autem Seremium reddemus, non mueram, sed tributum volumus. Perrexit Laskyus, omnibus, quas poterat conquirere, rationibus, Ibraimum emollire, sed de Syrmio quidem, surdo caneabat fabulam. Posteaquam ita Dominus meus constituit, inquit LASKY, ad Ibraimum, ut vobiscum contraheret coniunctionem, per quam amicis amicus, inimicis inimicus esse vult; miror quia aliquot castellorum, tanti rationem habeas, ut pertimesceres desuper cum Domino tuo differere. Credis, quod ego nesciam auctoritatem tuam, quam hic habes. Omnia haec in Galliis de te scivi adhuc, quae hic audio & video, & certe istam tuam tantam gratiam, tanti facit Dominus meus, ut se tibi fratrem coniungat. Ego autem, si mihi omnes adhiberes torturas, non credam, nec dicam, quod tu non posses, quod fieri velles; tamen, in ea fortuna tua plurimum commendo modestiam, virtutemque tuam, per quam nullam sui licentiam praedicas. Accipe igitur hanc materiam Seremii, pro suo labore paruum, & pro tuo Domino laudabilem, facque, ut illam rehabeamus. Nam inter amicos omnia

cui, cum
Ibraimo,
disputatio.

debent esse communia; si nobis reddetis illam, amicis beneficium facietis, & qui semper, & cum Seremio, & cum reliquis multis regnis & prouinciis, ad vestram se aptabunt necessitatem. Hoc enim habito a vobis beneficio, certo nos scias, nulla re alia differre, quam fide. Sed amorem, studium, obsequium, amicitiam, auxilia semper a nobis habebitis, sincera ac fidelia, & non solum nostra, sed & amicorum nostrorum. Regem Poloniae cupit Dominus meus, cum Imperatore vestro coniungi, quia equitibus omnibus aliis principibus potentior est, qui, si vester erit, nunquam ex hac parte vobis timendum erit: quare, & eius amicitia apud Dominum tuum facito mentionem, Seremiumque redde, & tributum non posce, sed munera. Tantæ molis erat, in Hungariæ exitium, barbaros exciuisse. Non vacat, sed nec volupe est, verbum, quod cum *Muslaffa Laskyo*, alterum intercessit colloquium, heic adtexere. Detinebatur adhuc, nunc tributum, nunc annua legationis, rationibus, quibus expediendis, multum, & temporis datum est, & infumrum iurgiorum; dum spes fieret *Laskyo*, fore, vt tandem, ad *Solymanum* admittatur.

§. XII.

Legati, ad eundem *Solymanum*, audientes:

Non est vero silendum, quo ritu, quibusque verbis *IOHANNEM* commendarit *Solymano*, admissus ad audientiam, *Laskyus*. Expedite me, inquit ad *Ibraimum*, Polonus, quem Dominus suus utroque oculo venientem prospicit, quem expectat cum desiderio, certam vobiscum coniunctionem portantem. Ergo, Illustrissima Dominatio tua, iam me ad Imperatorem hunc vestrum nobilissimum mittat, cuius certe manicam utraque manu accipiam, nec remittam, quoad perfecero singula. Scio ego animos principum, qui Leonum ad instar, sponte se humiliant, non calcant, sed extollunt & fouent. Non veni ego hic cum illa furia & superbia, sicuti alii oratores assueuerunt Vngari, qua res, Domino meo, semper displicebat: sed veni honorare eum, qui honorem meretur, qui si etiam pacem & coniunctionem non consecerim, non tamen, ob id veritati aduersari potero: nam Dominus meus scit, Imperatore vestro nihil esse inter mortales insignius. Itaque, quomodocumque egeritis nobiscum, semper ita vos cognoscemus; si amici erimus, optabimus nobis plura; si inimici, prouidebimus rebus nostris, forsitan aliter, quam aliquis credet; tamen id coacte faceremus, sicuti ante sprete amicitie, inimici. Rogo iterum, det mihi Dominatio tua Illustrissima cum Cesarea Maiestate loquendi copiam, opinor, illius Celsitudinis, aliam esse benignitatem, quam aliqui existimant. Nempe, circumducebatur per ambages (y.) *Laskyus*: proinde, isto compendio, vtendum ratus, flagitabat admitti ad Cæsarem. Quam in rem, sic ad eum *Ibraim*. Ergo, tantum confidis, inquit, Imperatoris benignitati, vt ad verba tua talia, sterilem tui Domini, amicitiam complectatur? Magna est tua confidentia, & profecto,

y.) Fallitur *REVAIVS*, Cent. VI. p. 70. vbi, post biquum, ad *Solymanum* deductum ait.

„ laudabilis: nescio, quis te spiritus docuit, naturam principis nostri; humanus enim est, benignus, ac in studiosos ita affectus, vt „ plus eorum rebus, quam suis incumbat. Itaque, iam te amplius tere nolo, faciam te cras alloqui Dominum nostrum. Cum fueris „ apud illum loquuturus, non timeas aliquid, facito reuerentiam, „ quam scis meliorem, verba honoris & compta dicito, ego ero, qui „ secundo loco interpretabor. Itaque accingas te pro die crastina, „ & sis paratus, cum te vocauero, faciam te, cum omnibus *Czauffis* „ comitari, pro maiori honore Domini tui. Respondit ad hæc *Lasky*: Ab hoc tempore, quo pueritiam superavi, semper apud curias principum versatus sum, & ita scio illorum magnanimitatem, minuscque cum illis, quam cum aliis loqui vereor, & videbis me coram Domino tuo non turbantem, quia mos est mihi diu, cum principibus loqui. Vt dies XXVII. illuxit, aderant *Csauzi* in *Laskii* hospitio, vt, legationis pompam, ritu suo, honestarent. In horum comitatu, ad regiam deductus, *Ibraimum*, & *Ayas Bassam*, cum *Beglerbege Natolia*, se illic opperientes, reperit. Longius ei, cum his, colloquium fuit, dum in conspectum Cæsaris, iisdem arbitris, cum interprete, deduceretur. Huc, vt accessit, ita exorsus est (z.) dicere: Venio ad Excellentissimam Maiestatem Vestram, missus a Serenissimo Principe Domino meo, *IOHANNES Vngaric* &c. electo & coronato Rege, ab omnibus illius regni Statibus, qui in defectu mascula regie proles, ius & libertatem habent, ex illorum medio, vnum probata virtutis ac industria, in regiam sedem, exaltare ac eligere. Vbi post victoriosissimum illud prælium Tuum, quo *LEODVICVM* fudisti, & ad interitum deduxisti, quo *Budam* occupasti, & deinde absque custodia relicta, discessisti: Barones regni, & totus populus, non cito in vnum congregatus, matura & longa deliberatione, tandem Dominum meum, ad regia trophæa inuitarunt, qui, vbi est Maiestati tua cognitum, *Transilvania* dominabatur, & magnas alias regiones sui habebat patrimonii. Tot precibus monitus atque inuitatus, suscepit hanc exaltationem, id apud se præcipue statuendo, vt mox ad Te mitteret oratores, gratiam Tibi esse cupiendo talem coronationem suam, & offerendo se & sua Dominia, tibi ad mutuam confederationem coniunctionemque futuram, prona. Cumque, mox post suam coronationem, in eam modum, ad Maiestatem tuam suos oratores bis delegasset, quorum primus occisus, secundus vero per hominem Nigrum (a.) impeditus erat, eamque ob rem, ita diu visitasse Maiestatem tuam suit neglectum. Vbi postquam ego ex Gallis hoc Septembre redii, vbi orator eram missus, admonitus sum, vt me huc, huic officio accingerem. Dumque expeditus in via essem, & cum in *Transalpinam* descendere voluissem, opposuere se mihi aliquot centum pedites, qui cum vita non potuerunt, omnibus me bonis, quæ mecum erant, spoliauerunt: parumque absuit, quin *Iupiter* interierim.

Nu 2

rim.

a.) Aliiter, orationis eius argumentum, *IOHANNES*, l. c. p. 277. explicuit nos, *SPHERICIDES LASKII*, ad verbum ex-

pressimus, vt fides sit certior. Legendus de eo est *ISRYANOFFYUS*, Lib. IX. p. 139. st. 49.

ad autem deducitur:

eius, etiam Imperatoris oratio:

rim. Malui tamen ego in hac incommoditate, ad tantam tuam amplitudinem, cui scio, neque equitatum, neque apparatus oratoris esse miraculo, potius venire, quam reuerti. Quam ob rem, licet iam ex ordine oratorum tertius sum, huc ad Maiestatem tuam missus, tamen ego sum primus, qui gratia DEI, hanc tuam presentiam conspiciere valui. Vbi salutat te Dominus meus Rex, exostulans, ut diutissime ualeres, & felicissime imperares, cupitque, ut grata tibi esset talis exaltatio sua, coronatioque, offertque se Tibi, non solum cum regno Vngariae, non solum cum prouinciis patrimonii sui; sed cum sua persona, & cum amicorum suorum assistentia, semper Tibi esse ad vota; ita, ut certo apud te haberes, illum, regnumque eius, & patrimonia sua, non sua esse, sed Tua; & quod se Tecum iungere uult, ita, ut sit tibi obnoxius, contra tuos omnes inimicos adesse: qui in omni aduersitate sua, non alibi se committere decreuit, quam ad benignam tuam personam. Itaque, habes Dominum meum, & Regem Hungariae, cum regno, omnibusque facultatibus suis, tuum, quem non aliter quam pro Tuo, ut Regem recognosceres, cum omnibus suis, rogat. Sunt mihi multa alia, qua cum Illustrissimis Bassis, ne tibi sint tadio, discutiam. Ita, de amicitia Regis Poloniae faciam nota; sicuti & de bello, quod Domino meo, cum Ferdinando est, & alia. Benigne, haec orantem, Solymannus, audiuit, responditque, multo, quam, pro feritate barbarica, humanius. Grato excipio animo, inquit, talem regis tui affectionem, cuius regnum hucusque meum erat, & non suum, sicuti iure belli & sabla conquistum; cum tamen, audiuimus talem eius propensionem, iam tibi non solum regno illo cedo; sed contra istum Australem Ferdinandum, ita tibi subueniam, ut iam secure, in utroque latere, Dominus tuus possit dormire. Cuius talem applicationem, & eam de me confidentiam, accipio grato animo, omnesque suas necessitates, meas esse reputabo. Latus, hoc tyranni responso, Laskyus, pro tanta Tua, inquit, humanitate ac bonitate, Dominus meus perpetuo Tibi debitor erit, qui ita munifice illum exceperis, qui sponte auxilium ferre promiseris; fecisti sicuti uerus & magnanimus Imperator, quem Dominus DEVS in infinitum secundet! Et dictis hisce exiit, & iui in hospitium iisdem Czauffis concomitantibus & ducentibus me. uerba sunt Laskii. Multus ei, sequente luce, de mouendo continuandoque bello, cum Ibraimo, sermo fuit, qui Caesaris sui destinationem, in hunc modum Laskyus exposuit: Frater! iam Dominum Tuum, ab hinc Regem vocabimus, & non Erdelbanum, iam cum pro Domino nostro reputabimus, iam illi subueniemus. Dominus meus, ibit in persona sua contra eius hostem. Nunc, quid agendum iam plus est? non postulamus

Solymanni respon-
sio:

gratia, a
Laskyus
alio:

consulta-
tiones, cum
Ibraimo,
reliqua:

, iam

, iam tributum, non munera. Consulere uolamus de tranquillo statu Domini tui, cui rogo, ut scribas, ut quam maxime a praelio ablineat. Namque, eius minima aduersitas, eius ignominia, communis iam cum Imperatore est: itaque, scribentur tibi litterae foederis, & absoluam te cito. Rebus tandem ex animi sententia, confectis, tertio Nonas Februarii, anni MDXXIX. uale Solymanno dixit Laskyus. Rem ipse meminit. Die III. Februarii, iui ad ualedicendum Imperatori, ubi ingressus, sedi ultra horam, in loco, ubi oratores expectant audientiam, & demum ductus ante faciem Imperatoris, dixi haec uerba: Nescio, qua lingua, uel quo orationis praeconio, gratias Tibi referam inuictissime Imperator! pro Tua tanta regis & Domini mei amicitiae gratitudine, quem, pro tua genuina humanitate, gratus & benignus exceperis, uerbis in honorem Domino meo factis. Vbi certa sit in perpetuum Celsitudo Tua, Dominum meum, omni officio & obsequio, tali tuae beniuolentiae responsurum, & facturum in honorem tuum & commodum, omnia, etiam cum uita, & omnium suarum facultatum iactura; faciatque DEVS omnipotens, ut diutissime ualeres & felicissime imperares. Ex me autem suo sclauo, quem hic in cunctis non solum tractasti, sed etiam uestisti, & condonasti, assiduum habebis stimulum apud Dominum meum, ut talis nostra amicitia & coniunctio, quam diligentissime obseruetur & augeatur. Clementer ad haec Solymannus: Scis, inquit, quo opus erit ad certificandam talem Domini tui coniunctionem & affectionem. Nam omne eius negotium, iam meum erit, meum etiam suum esse debet. Itaque, licet sciam, has nubes se multoties ingurgitasse in caput praedecessorum meorum, ac populum Dci Mahometicum; nunquam tamen fulgur emisisse, istos Christianos principes: hocque ipsum, nisi fuisset, maioribus meis, ac mihi cognitum, fuisset diu ab humano sanguine temperatum; sed consultius semper extitit, eorum vires per omnem occasionem infringere, qui se contra nos attollere conabantur. Proinde, Dominus tuus faciat nos semper certos, omnium Christianorum

ualedictio
apud Im-
perato-
rem:

eius re-
sponso:

N n 3

, ne-

negotiorum, magnorum & parvorum, & hoc modo radicabitur certa inter nos amicitia. Ego autem volo tuo Domino amicus esse, ac confederatus verus ac integer, perpetuoque & contra omnes hostes illi in persona, & cum omnibus viribus nostris adesse promitto, per Prophetas, per magnum & adeo charum prophetam nostrum, Mahometum, per Sablyam meam &c. Tunc Laskius: *Habebit Celsitudo Tua, ait, semper noua a Domino meo, non communia, qua mercatores scire assueuerunt, sed arcanissima. Ego etiam iuro per DEVM viuum & unum, ac nostrum IESVM, qui idem DEVS est, redemptorem, ac promitto, regem & Dominum meum, excipiendo Poloniae regem, amicorum Tuorum amicum, inimicum inimicorum, futurum. Hic autem, ad pedes suae Celsitudinis, relinquo, ex mandato Domini mei, Dominum Ludouicum de Gritti, loco oratoris, & rerum negotiorumque curatoris, cui Maiestas tua in omnibus, aeque ac mihi, fidere velit.* Haec, facinorosissima illa fuit legatio, quam Laskius, magno rei Christianae, Hungariae autem malo maximo, obiit. quam ideo explicatius visam est meminisse, ut constet, quam operose, mala sua, iam tum procerderit Hungaria, sapiatque posteritas, neque committat, ut sanguinolentis huiusmodi foederibus, vnquam irretiat.

S. XIII.

Ilio factore:

EXcitus, Laskyanis artibus, tyrannus, tametsi suapte, in caedem Christianorum, pronus fuit; tamen, eo crudelius faciendum bellum existimabat, quo id magis ab IOHANNI expeti cernebat. Sub idem vero tempus, dum isto foedere, abitu parabat Laskius, FERDINANDI quoque legatus, Iohannes Hobordanscus, Constantinopolim accesserat; facile impetraturus inducias, si prior venisset. Fuit natura ferox & fastosus Hobordanskus, ideoque, Laskyo collatus, extra modum inuisus Turcis, Iohanni, data iam fide obstrictis. Aequa is, nomine Ferdinandi, poscebat omnia; inducias puta, iisdem legibus designandas, quibus se olim Wladislaus, & filius Ludouicus, obstrictissent; raptum item sub iugum Belgradum, & arces alias repetebat. quas, cum reddi Ferdinando, intemperantius rogaret, vehementer (b.) commouit Solymannum, a Laskyo, in Iohannis partes, iam ante, per-

b.) Confule IOHANNES, l. c. p. 278. seqq. ubi obiurgationes, quibus vsus est tyrannus, leguntur.

tractum. Hobordanscus certe, Turcicis finibus decedere, atque belli nuncium, ad Ferdinandum perferre iussus est; adiectis tumide minis: Solymannum, primo vere, Budam, infenso cum exercitu, contra Ferdinandum profecturum: ubi collatis signis, si Ferdinandus superior euaserit, victorque, trucidato illi, clauces, non Belgradi modo, sed arcium etiam reliquarum, adimeret; sin vero Buda non reperiat, Viennam vsque promoturum exercitum, & ubi ubi esset futurus, infestis armis, perquisiturum. Haec tunc procella, in Budam, Constantinopoli cogebatur. Atque, incubuit omnino vrbi, cum Solymannus, eodem illo anno, quo minas ediderat, in Hungariam, cum ingentibus copiis, venisset. Occurrit ei, redux ex Polonia, Iohannes, in Mohacensibus campis, supplex, acceptusque a tyranno benigne, & optime sperare iussus, Budam vsque, in eius exercitu, cum comitatu, quem splendidum habuit, progressus est. Longe adhuc Solymannus aberat, cum ciues Budenses, mercatores potissimum, Strigonium, inde Pisonium, atque in interiorem Germaniam (c.) diffugere; Thomas contra Nadasdus, cui arcem crediderat Ferdinandus, tolerandae propulsandaeque obsidionis, instrumenta comparare. Simul aderant Turcae, suburbia primum, aduultu, mox & urbem, paruo oppugnationis labore, capiunt. Christophorus enim Besserer, & Iohannes Traubinger, qui, cum duabus Germanicis cohortibus, vrbi inerant, ingenti hostium numero, inopinato item aduentu, percussi, posteaquam dies aliquot fortiter repugnassent, postremo, suae paucitati diffisi, vrbe vacua relicta, in arcem se coniecerunt. Fuit ea, praescorum regum, voluptaria potius sedes, quam idonea, arcendis hostibus, moles. Proinde, eo procliuor erat futura arcis deditio; nisi Nadasdus, fortissimi ducis munia, & ipse obisset, & praesidiarios, virtutis, quoque essent loco, serio admonuisset. Adsiuant, enim vero, Turcae, rati, vano armorum strepitu, expugnari posse arcem. Sed ea fuerat Thome, & sociorum, virtus, ut in irritum, hostium ille furor, multis profligatis, tunc quidem ceciderit. Ergo, cuniculis subruendam statuunt, aut certe, subdito pyrio puluere, euibrandam in acra. Non id obsesos latuit: Nadasdus certe sollicitudinem, eo vehementius exacuit, quo maiori se periculo circumuentum, animaduertet.

S. XIV.

Verum, fortuna, res Hungaricas, ad fatale exitum trahente, dum impressioni Turcarum, ipse ex vna parte, cum iusta militum manu, resistit, eosque, subeuntes, e murorum ruinis, submouet; ab alia vero parte Germani, aggre hostes sustinent; inter ipsam, acerrimi conatus dimicationem, uti est apud ISRVANDIVM (d.),

e.) Ita laudatus IOHANNES: *Aduentum Solymanni fama, reliqua Budam ire pergentis, Budenses, metu percussi, foras omnes, vrbe profugerunt, & in proximi-*

mas vrbes, pars Strigonium, pars Albam Regalem, alii Pisonium, demigrant. Itaque vocata fere potitur Buda Thidam, p. 282.

offenso barbaro:

belli munus ad Ferdinandum referat:

Solymanni, in Hungariam, expeditionis:

Iohannis occursum:

Buda capitur:

ars, & Nadasdus deponitur:

Germano-
rum perfidiam:

oblectatur
eis Nádasdyus:

(d.), Turca, Germanis, si certissimam mortem subire nolint, seque & arcem dedant, abeundi potestatem, & rerum omnium incolumitatem offerunt; idque, litteris a Solymano editis, manuque eius subscriptis, e vestigio firmare pollicentur. Cum adfensuri Germani essent, inopinata re excitatus Nádasdyus, ira simul & dolore exastuans, severo eos vultu, minabundus, a deditiois conditionibus, auocare contendit, ignauiam illis, simul & perfidiam exprobrat, ac tormenta, in hostem dirigi, imperat. Aliter Iovius, (e.) cuius narrationem sed interpolatam, in suam rem ISTVÁNEFYVS, cum alias sapius, tum hic potissimum, conuertit. Praerat, inquit, arci, Thomas Nádasdyus, inter Hungaros, nobilitate generis, eruditique ingenii dotibus, illustris. Is, uti debebat, egregie fortis custos, milites, cum hostibus colloqui vetat, & in hostes tormenta conuerti & dirigi iubet; ignauia simul atque perfidia eos arguit, comminaturque eis poenam foedi supplicii, nisi extrema quaeque oppugnationis pericula, sustinenda censeant, & decus Germani nominis, FERDINANDI-que praesertim, a quo stipendia acceperint, atque opima praemia expectare possent, constantissime tueantur. Sed, iam sulphurens vapor, succensit tormentarii pulueris, ad nares Germanorum permeabat, & ex discurrentium spectantiumque Turcarum habitu, non obscura, concassurae mox turris, indicia, deprebendebantur. quo ingentis periculi metu adducti, rursus ad idem deditiois consilium, redeunt; quod praesentis, vel futura iam cladis pauorem, alte conceptum, nullus, vel teterrima poena metus, aut admissi flagitii pudor, aut custodis, amplissimi viri, reuerentia, superarent. Atque haec quidem, prorsus ex muneris praescripto, & quemadmodum decuit fortem virum, administrata sunt a Nádasdio; sed euentu tamen funesto.

Successu fa-
cto, arce, &
Nádasdyo,
Turcis da-
dito:

Germani insanire; Nádasdyus, ab iis correptus, & abdito fornice conclusus, atque arx, inulitato perfidiae exemplo, Turcis tradita est, his conditionibus, ut incolumibus decedere, & secum ferre impedimenta, liceret. Ut arce excessere, ambitu aedis D. Iohannis Baptista, quae in vrbe est, conclusi, armis sarcinisque, frustra pactorum fidem ingerentes, exuuntur, iubenturque, dum diploma salui conductus adferretur, inermes, eodem loco, praestolari. Adfuere, breui post, qui miserrimam turbam, extra urbem educerent, & praeter datam fidem, iniquissime (f.) contrucidarent; adolescentibus aliquot seruatis, paucis elapsis fuga. Audiendus iterum est Iovius, aetatis illius scriptor. SOLYMANNVS, inquit, de militum perfidia, probitateque NÁDASDII, certior factus, quo nefario flagitio, contaminatos, sua lenitate, indignos putaret, ut alia perfidiae scelus ulcisceretur, Ianitseris, ad unum trucidandos, obiicit; NÁDASDYVM vero ipsum, stipendio inuitatum, idque reuuentem, humaniter dimisit, ipsius etiam regis IOHANNIS commendatione adiutus: quamquam foror eius esset in matrimonio Stephani Maylati,

d.) Loco cit. p. 156, 43.

e.) Inibi, p. 283.

f.) REVAIVS, vita donatos fuisse ignaues,

& a virtute Germanica degeneres, auctor est. Coronae Hungariae Cent. VI. p. 71. Germanos, inquit, cum sarcinis, incolumes dimisit.

desertoris primo, & mox atrocissimi sui hostis. Id, sua caedis facinus, inmani imperatoris iussu, non iure modo, sed ad laudem etiam verae virtutis, atque iustitiae, patratum videri volebant barbari, qui sacramentum militiae, nullo, vel praesentis metu mortis, violandum censebant. Addit postea: Quod fortasse, equum existimari posset, nisi atrox, atque perpetuum, barbari hostis, in nostras gentes, odium, si iussa humanitatis iura estimentur, eleuaret penitus, & euerteret. Cur enim Germani, qui beneficio eius peccauissent, & diplomata concessa libertatis obtinuissent, usque adeo crudeli nece mulcendi videri potuerint, quam ipse Solymanus, in ea, aliena perfidiae causa propria, abrupta fidei notam, & quam querebat, iustitiae laudem, tam crudeli, quam turpi sententia praertereret? Haec de Germanorum caede. De Nádasdio, discrepant scriptorum sententiae. Enim vero ex ISTVÁNEFI relatione, NÁDASDIVS supererat, seu tradendus IOHANNI, aduersa Danubii ripa, metanti, siue militari supplicio adficiendus. Igitur, e custodia testudinibus concameratae eductus, Ibraimo silitur, a quo, praeter morem suum, acrius increpatus, quod Budam, sedem regum Hungariae, Hungarus ipse, contra Regem Hungarum IOHANNEM, & aduersus iniurias Ottomanici imperii copias, singulari pertinacia defendisset. Tunc, duobus Czauis, quos Turcae vocant, ac certo Ianitserorum satellitio, penes ripam Danubii deductendus, per speciem IOHANNI Regi tradendus, re tamen vera, in subiectum flumen praecipitandus, adtribuitur: comitante eum ex famulis, solo Francisco Semieo, tunc adolescente, quem postea, ad magnos honores prouexit. Itaque, multa & grauius animo versans, repente in nauim, quam prope ripam fluminis fors & fortuna obtulerat, praecipit insilit, Ianitseris eum retentare, arrepta eius chlamyde, contententibus, ipse tamen discissa, atque eis relicta veste, nauim impellit, & magna colluctatione cum fluuio habita, sine ullo remigio, circa vesperum, in aduersam ripam, penes quam Iohannes, cum suis metabatur, egre delatus est. Eum tunc, cum Gritto, in tentorio coenantem reperit, eiusque genibus prouolutus, quamquam a Iohanne, sub primum aspectum vix cognitus, ob veteris offensae memoriam, Didymus adpellatus esset, veniam ab eo obtinuit, & apud illum diu in gratia ac pretio habitus est. Verba sunt ISTVÁNEFI (g.). Ac de occupata quidem, ad eum modum, Buda, & caelis Germanis, nemo faceret negotii quidpiam. Nádasdii, fortunam illam, in fabulis habet P. KAZY e S. I. (h.): Fabula, inquit, proximum videtur, quod narrat, ISTVÁNEFYVS, REVAIVS, & CASPAR LONGELINVS, nimirum; Nádasdium, ex ergallulo educum, atque ab Ibraimo asperrime obiurgatum esse, tum certis Czauis, & Ianitseris traditum, ut deductus ad Danubium, quasi Iohanni dedendus foret, re autem vera, in flumen praecipitaretur. Quare, Nádasdus, capitis periculum se adire animaduertens, in scapham repente insiluit, Turcisque se retinere volentibus, pallium dimisit, ac demum grandi

Tom. III.

O O

nisu,

g.) Eodem loco, p. 157, 12.

h.) Breui Commentario Rerum in Hungaria &c. gestarum, p. 11.

Nádasdii
fata:

cum Io-
hanne, re-
conciliatio:

an, Turca-
rum no-
nus, remi-
gio vsus,
eua'rie,
excusatur.

nifu, cum aquis luctatus, circa vesperam in aduersam ripam, in qua Iohannes castra sua habebat, egre emerit. Quis autem, non intelligat, Turcis dissimulantibus, quibus naues ad manus erant, Budaque Pestum commcabant, illum euasisse, quamquam, ex parte, res ita accidisset. In hanc ego sententiam, virum, subacti iudicii, a Iovio, quem audiuius, inductum fuisse arbitror. Nam, si stipendio inuitatus, si conciliatus Iohanni, per Solymanum fuit, nihil opus erat, atrocis adeo supplicii metu: nisi forte, lasciuentibus, ex fortunæ successu, barbaris, metum, ancipitis eiusmodi periculi, iniectum fuisse Nádasydio, credamus.

S. XV.

*Diuino
tanquam,
be potitur
Ferdinan-
dus:*

ERGO, biennio admodum Buda potiebatur FERDINANDVS. Annum vtrumque, comitiis insignem fecerat. De prioribus, supra diximus: posteriora, quæ in annum MDXXVIII coegerat (i.) saltem non siluisse iuuerit. Pauca tunc præscriptæ fuerunt leges, exque, ex temporis habitu, petita. Consultebatur in communibus; de exercitu constituendo; puniendis, nouarum rerum auctoribus; impertiendo, semel iterumque, salvo conductu, ad officium redeuntibus; & quæ sunt minoris momenti, reliqua, in articulos octo distributa. Budam, Solymanus, ad eum modum, vt diximus, vix vilo suorum labore, periculo certe nullo, occupatam, IOHANNI tradidit, futurum, vt, erga se, fidei pignus certissimum, ita melioris postea fortunæ, quemadmodum rebatur, auspiciam. Atque, resedit omnino isthic Iohannes, siue suam reparaturus, siue speculaturus, Solymani fortunam, ad Viennam obsidendam, cum exercitu proficiscens. Non est huius loci, vt operosam funestamque Turcis, oppugnationem commemoremus: aliorum nos instituti inuitant rationes: nempe, vt Bude fata conuersionesque, iusto ordine, prosequamur. Quinto, quam obsidionem Viennæ, inglorius soluerat, die, Budam accessit Solymanus, vtque dissimularet, aut certe leniret dolorem, inde conceptum, IOHANNEM, isthic agentem, quasi suo vnus beneficio, Regem edicit, datoque diplomate, confirmat. Rem, ad hunc modum meminit IOVIVS (k.): Solymanus, Iohannem, Bude regem constituit, beneficiarumque, & amicam, ex diplomate, & solemnibus codicillis, adpellauit, adiunxitque ei Gritum, vt ea pararent, que confirmando regno, opportuna viderentur. Accidit autem, quod minime prætereundum videtur, tametsi barbari laudem respiciat, vt Solymanus, Iohannem, in eius tabernaculum, cum proceribus Hungaris admissum, impense rogaret, vt PAVLO Strigoniensi, & Petro Pereno, clementer, parcere, & in pristinum gratiæ locum, recipere vellet. Nam IOHANNES, ab eorum ingenis amicitiaque, plurimum abhorrebat:

quo-

i) Dicuntur, eius comitiis placita, Doctrina FERDINANDI II. legiturque id in Decretis Regum, p. 213. seq. k) Libro toties citato, p. 293.

quoniam illi, fluxa fide, sacramentique immemores, idem, quod sibi antea, dum coronaretur, officium, Ferdinando præstitissent, tamquam desertores, oblitique Hungarici sanguinis, ad Germanos defecissent. Ad id clementiæ munus, quum duriores se ostenderet, Iohannes, atque prædiceret, eos, propter ingeni leuitatem, præclara malignitate cumulatam, nequaquam in fide permansuros, rursusque, qua deficerent, occasionem, priore turpiorem, inuenturos; Solymanus, vocem paululum intendens, non barbaro, sed optimo rege dignissimam: an Tibi, inquit, in hac vita, melius atque honestius quidquam euenire posse putas, quam si ex tua clementia, qui Tui sint hostes, ingrati apud mortales euadant; hoc est: aeterno ignominia probro notati; quum in Te sempiterna probi & clementis animi laus mansura sit? Grauis, profecto, tyranni oratio, & digna, quam penitent hi, qui se, gratiæ in hostes profusione, peccare posse existimant. Fastosior multo altera, fuit, ad IOHANNEM, & huius proceres, adlocutio: Recte abs Te, inquit, factum est Iohannes Rex! quod calamitate oppressus, atque a Germanis regno eiectus, confugiendum ad me existimaueris, meamque opem, imploraueris. quam secundum Deum, Tibi adfuisse, nunc expertus es. Itaque, postquam bellum, quod Tui reducendi causa susceperam, prospere gestum, atque confectum est, hodierno die, Te, in fratrem, & amicum meum, recipio, Regemque Budæ, & in Hungaria, declaro; opem & tutelam meam, in posterum quoque polliceor. Hæc, tametsi a tyranno profecta, habent tamen permultum humanitatis. quod sequitur, ultra tyranni ingenium est: Habes hic, Coronam Sceptrumque, & cetera regia ornamenta, que, vt accipias, ac beneficii mei memor esse velis, partoque, mea opera regno, diu fruaris, illudque ad posteros feliciter transmittas, hortor & cupio. Augusti hæc profecto animi documenta dicerem, nisi beneficii ea specie, quod adparuit postea, ingens, & perniciosum, reipub. Christianæ, maleficium occulisset Solymanus. Primores mox, qui cum IOHANNEM faciebant, erantque præsentibus, sic adfatus est: Vos vera, proceres, æque iubeo, vt nisi vltorem hunc gladium, experiri velitis, (ensem, quo erat accinctus, manu ostendens) huic regi vestro, omnem honorem deferre, & obedire contendatis. Sed, quemadmodum regni insignia, in tyranni venerint potestatem, non vna scriptorum est sententia. NADANY (l.) Perenium, coronam secum circumferentem, a Iohanne Torök, interceptam, polleaque minitanti Solymano, traditum fuisse, auctor est: non satis, vt opinor, ad faciendam fidem. Franciscus contra Forgách, Varadiensis Episcopus, in commentariis suis, quorum meminit KAZVVS; Primum, cum Michaele Kesseró, captum fuisse, sicque coronam ad

O o 2

Iohan-

l) In Floro Hungarico Lib. IV. c. L. p. 214.

*reddit ei regi
gna insti-
gna i*

*quomodo
ea, in tyranno
ui venerunt
potestatem?*

*captam
eandem, Io-
hannem red-
dit Soly-
manus:*

*a Viennæ
obsidione
redire, Io-
hannem
regem con-
stituit:*

*quo ritu,
quibusque
verbis:*

Iohannem rediisse. Manca & hæc fuerit relatio. Placet *ISTVÁNFFU* sententia. *Cum Turcarum agmina, Sirmiensem agrum peruolarent, Petrus Perényus, ex arce Siklósiensi, secum portans diadema regium, securitatis maioris causa, Sáros Patakium properabat. Eius discessu, vel potius fuga furtina, intellecta, Iohannes Szeretsényus, inuasor Episcopatus Quinqueeclesiensis, in pago Kajdocs, haud procul Sexardino, noctu quiescentem interceptit, cum omni suppellectili & familia. Ne vero, cum rebus elaboretur Perényus, ad Iohannem Bánffyum, Sopronczam, (quam Croatia, Szupaniczam dicunt) eum misit, opportuno tempore, Iohanni, cum corona, sistendum. Sed, cognito, apud Mohácsu casu, Solymanus, Perényum sibi, cum omnibus, tradi mandat. Quomocumque statuas, res prodigio non caruit, fuitque id peculiare providentiæ diuinæ, erga diadema Hungariæ, monumentum, quod prona adeo voluntate, diuinissima insignia, IOHANNI, Solymanus, infamis Asiæ Europæque prædo, restituerit. Vbi vero, tota æstate delituit, caeleste pignus! In comitatu, uti reor, Solymani, ipsaque adeo, quam spectavit, Vienna obsidione.*

§. XVI.

Iohannes, a Papa, ob Solymani clientelam, censura ecclesiastica notatur:

eius, post abitum Solymani, res:

comitia Budæ agitat:

NOtauit, hanc IOHANNIS clientelam, censura Ecclesiastica CLEMENS Papa; sed quam, seu Zápolitani litteræ, suppliciter ad Pontificem datæ, eluerunt, seu obliteravit, temporum, quæ tunc fuit calamitas. *Solymanus*, tandem, ingruente hieme, iter militare, cum copiis, Constantinopolim ingressus, IOHANNI, *Gritium*, cum qualicumque classe amica; *Naszádas* tunc vocabant; & tria fuorum millia, presidio relinquit. Hæc, anno MDXXIX. *Buda* eueniunt. Qui hunc excepit, annus, supra millesimum quingentesimum, trigessimus, comitiis Budensibus insignitus est. Indixit ea IOHANNES, ut & sibi, & quam, excito barbaro, adfixerat, communi patriæ, consuleret. Rari adfuerunt ordines, siue, quod auersarentur Turcicam *Iohannis* societatem, siue, quod deserere FERDINANDUM, nefas putabant. Ergo, ii admodum comitia confecerunt, qui ultra Tibiscanam regionem colebant, quique perpetui erant apud *Iohannem*. Horum præcipui fuerunt: *Stephanus Brodericus*, Episcopus Váciensis, Iohanni a consiliis secretioribus; *Emericus Cibacus*, a Iohanne, præsul Varadiensis postulatus; *Wolfgangus*, Comes de *S. Georgio*, amplissimæ familiæ ultimus; *Stephanus Verbóczyus*, legum Hungaricarum, æquior multo collector, quam adfector; *Georgius Pósényus*; *Alexius Bethlenius*, Transilvaniæ pro Waiwoda; *Thomas Nádasdy*; *Artándii* fratres, reliqui. Consiliorum summa huc redibat, ut confirmato regno, quibus posset artibus, auertuncaret æmulum; recuperaret ab eo infesta; atque in suas partes illiceret, qui iurata fide adhererant FERDINANDO. In primis vero, ut se regem testaretur, & quantum in se erat, antiquaret; *Stephani Báthory*, dignitatem, *Iohannem Bánffyum*,

Palatinum vocat:

*fyum, de Lindua, Nicolai (m.), summi viri, filium, magna præsentium adfensione, Palatinum creauit. qua is quidem prærogatiua, fructus est inter suos, tanta adprobatione, quæ potest esse maxima: certe, in propugnatoribus Zápolitans, vnus omnium, & fide maxime enituit, & contentione virium. His vero rebus fiebat, ut perdita iam tum Hungaria, in fortunam indueretur, longe omnium teterriam. Multi enim, priuatarum rerum studio, pellecti, patria contra, ac republica posthabita, nunc has, nunc illas partes sequuti, facinora edebant, memoratu indigna. Orta demum, crudelissima dissidia, intestinæ seditiones, rapinæ, immo sacrilegia, cædes item mutuae, & laxa vtrique imperia, regnum, florens nuper & augustum, ad incitas redegerunt. E longinquo, hæc mala *Ferdinandus, Iohannes* præsens adspectabat: eo quidem maiore patriæ malo, quod nullus, parti vtrique, vliscendi hostes, aut modus fuit, aut finis, id quod IOHANNES quidem, *Szigethi*, quod *Valentinus Turcus*, defendebat; FERDINANDVS Strigonii, *Villegrádi, Váciæ & Budæ* obsidione, testatum fecere. Tanti est, regna, seu iure adfectasse, seu iniuria. Recte SENECA (n.).*

Hungaria mala, & horum origo.

Non capit unquam

Magnos motus humilis tectis

Plebeia domus.

CIRCA REGNA TONAT.

Volat ambiguus

Mobilis alis hora, nec vllis

Præstat velox fortuna fidem.

§. XVII.

ITA res erant, cum FERDINANDVS, eodem illo MDXXX. anno, IOHANNEM, Turcicis auxiliis, regno potitum, *Buda* non minus, quam Hungaria vniuersa, exturbatum ibat. Rem consilio, & armis adgressurus, ingentes copias, ab Augusto Carolo fratre, Germaniæ principibus, & Bohemia item, & Hungaria, coegerat. Summa belli, *Rogendorffio*, commissa, at, quo successu? *Buda*, quam memoramus, fata nos condocent. Erat *Rogendorffius*, Italicis, ad Veronam, & Brixiam bellis, atque tolerata nuper, obsidione *Viennensi*, in paucis clarus. Coadunato is exercitu, quidquid erat bellici instrumenti, & commectus, necessarium, Danubiali classe, deuehendum curauit, ipse, per continentem profectus, *Strigonium* accessit: vbi ei, *Paulus Vardamus*, metropolita, anno superiore, post *Viennæ* obsidionem spectatam, *Iohanni*, per Solymanum, reconciliatus, occurrit; ut non fuerit machinis opus, primum suapte, in FERDINANDI partes, præsalem, euincere.

Ferdinandus, in Iohannem, molitiones:

Rogendorffius aduersus Budam motus:

Strigonium occupat:

O O 3

m.) Diximus de eius fati, in Historia Comitatus Posoniensis, Parte Spec. Memb. 4. Sect. II. Num. 7. & VII.

Tomi II. p. 148. sequ. quæ relege omnino.

m.) HIPOLYTO V. 1133.

cere. Has enim, ita amplexus est, iterum iterumque, ut pulchrum duxerit, eius copias, consilio, opibusque adiuuare. Ergo, *Rogendorffius*, Archiepiscopo in fidem recepto, *Strigonio* autem, praesidio communito, ne quid a tergo, hostilis munimenti relinqueret, *Vissegradum*, Danubio imminens, obsidendum censuit: egregio id quidem consilio, si anni tempestas congruisset; sed, quum ea sensim, in pluuium auctumnum desineret, ipseque *Vissegrado*, & *Vaczia* occupanda, tempus deterreret, *Buda* expugnanda, opportunitatem amisit. Nam ea quidem mora, munienda urbi arcique, occasionem *IOHANNI* praeiuit. Inerant regiae, praeter *IOHANNEM* ipsum, *Grattus*, *Cibacus*, *Verboczius*, *Simon Atbimienfis*, atque alii nonnulli. quorum opera & diligentia, effectum breui est, ut quae erant, seu defensionis, seu munimentis instaurandis, necessaria, celeriter compararentur. Immissa in urbem, praeter *Pestanam* inuentum, *Turcarum* illa phalanx fuit, quae in classe amica, iussu *Solymani*, militabat. Id vnum, ad urbis securitatem deesse videbatur, quod ancipitis periculi metu, nequirit tantum annonae importari, quod, toleranda obsidione susceptorum crederetur. Aderat interim *Rogendorffius*, & urbem, tripartito agressus, tormentis, diu noctuque coepit verberare. Atque habebat sane, cur de sua non minus, quam urbis salute sollicitus esset *IOHANNES*. Igitur, auocare, ab obsidione *Szigethi*, suos, & scriptis, sua manu, litteris, quo sit periculo circumuentus, certiores facere, in hanc fere sententiam: *Budam a Germanis obsidione cinctam, scitote; & quamquam urbs adhuc in nostra est potestate; tamen, si fidei memores estis, nosque saluos esse cupitis, postpositis, quae remorari vos possent, omnibus, huc adcurrite, quin potius aduolate.* Promouit, acceptas a rege litteras, *Stanislaus*, *Albenfis* Praepositus, *Iohanne Zermez*, administro, (o.) effecitque, ut soluta obsidione *Szigethi*, opinione celerius adessent duces: *Budam* tamen, ob *Kapolnain*, cum sua equitum ala, defectionem, ingredi nequiverunt: quippe, a subessoribus itinerum impediti. Ergo, reduces *Albam*, cum omnes non possunt, singuli, urbem, subire parant. Et *Nadardio* quidem, primo omnium, successit institutum, qui *Blasio Korsisch*, vili auriga duce usus, cum suis, per iterum compendia, *Budam* se iniecit. Eadem fortuna, triduo post, *Szeretsenius*, & *Cassonus Turca*, enitatis insidiis, ductore eodem *Blasio*, ad urbem venire.

S. XVIII.

Horum suppetiis latus *IOHANNES*, facile permisit, uti *Nadasdus*, cum selecta equitum manu, facta eruptione, hostes inuaderet, & condiceret ex captiuis, quae sunt eorum destinationes.

o.) Idem iste, *Rerum Gestarum inter Reges Ferdinandum & Iohannem*, Lib. II. post initia: Contenta Schedarum, inquit, de verbo ad verbum, haec erant:

BUDA EST OBSESSA; CIVITAS EST IN POTESTATE NOSTRA: FESTINATE, UT ESTIS FIDELES. IOHANNES REG.

nes. Pronolarunt ergo alacres & intrepidi, quos, cum manus velle conferere, leuioris armaturae, *Casarianarum* partium *Hungari*, cernebant, ne pugnae potestatem, ignobili metu, negauisse crederentur, prouunt & ipsi e castris, duce *Balthasaro Banffy*, viro militari, pugnamque acerrimam conferunt. Forte fortuna, *Nadasdium* conspicatus *Banffy*, & voce, & manu, suos adhortantem, ex templo ad singulare certamen prouocat. Nec vlla a *Nadasdyo* mora facta, concursus est, ac suam vterque in alterius scuto, hastam perfregit, plaudentibus vtrinque commilitonibus; dum aduentantes *Germani* equites, pugnae finem facerent; his in castra, illis in urbem redeuntibus. Oppugnabatur interea urbs tripartita, sicuti diximus, adgressione, iamque moenia, ea regione, qua ad vicum *Logod* itur, ducentorum passuum intervallo, perpetuis tormentorum ictibus, procubuerant, cum *Rogendorffius*, aduultum edicit. Subeunt ergo *Germani*, & qua possumt, celeritate, viriumque contentione, per ruinas, enituntur. Sed, ea *Hungarorum* virtus fuit, ut semel iterumque deturbatos, magna ad vltimum clade (p.) reuerterent. Abstinerunt se postea *Rogendorffiani* a moenibus, satis habentes, si iniectis, e longinquo, ignibus, globisque, adligerent obsessos. Arcta interim, vtrouique coepere esse omnia. Nam, *Germanos* quidem, frigidi atque immodici imbres, coenum item propemodum imperuium, & reliquae, feri auctumni, molestiae, eneruabant; fames contra, enaciabat obsessos, ad eum modum, ut equina iam victitare inciperent. Regi tamen *IOHANNI*, ne quid deesset, *Stanislaus*, *Albenfis* Praepositus, sollicito prouidebat. *Zermezo* vsus administro. apud quem haec, de obsessorum inedia, & heri sui, prouidentia, legas: *Iam fere omnia victualia, & praesertim in urbe, defecerant, & obsessi, equinis carnibus vescantur; equi vero, qui nullum pastum habebant, per plateas ciuitatis, vix titubante gradu, errantes, fame moriebantur. Haec ipse oculis vidi. Nam dominus meus, me una cum altero seruo meo, ad regem miserat, cui detuleramus diuersa victualia, in vno equo onerato, auibus phasianis, turdis, perdiciibus, castaneis, panibus optimis, ac etiam piscibus, nempe carpionibus in longum concisis, & sale ac fumo, maceratis. Cum quibus, auxiliante Deo, salui ad regem perueneramus, pro quibus fuimus remunerati, singuli nostrum, decem aureis nummis, & pro singula veste, de panno purpureo; atque ita rursus ab rege dimissi, eadem felici fortuna, ad dominum nostrum, reuersi fuimus. His angustiis pressus, IOHANNES, *Mehmetem* *Labioglem*, *Samandriae*, ac *Nandor Albae*, praefectum, ut ad se liberandum, maturaret cum exercitu aduenire, missis frequentibus nunciis, orare haud desinebat: *Grattus* potissimum, qui litteris, idiomate Turcico, cuius erat gnarissimus, conscriptis, idem factitabat, precibus minas interferens, ni clientem *Solymani*, ancipiti periculo, eximere properaret. Consimilis argumenti litterae, & ad *Iohannem Banffy*, quem nuper Palatinum creauerat, datae sunt. *Mehmetes* ergo, nihil mora.*

p.) Ita, loco cit. *ZERMEZ*, & ex eo *ISTVANFFYVS*, in obsidionis historia Lib. XI. p. 110. seqq.

ad Vissegradum:

Vacziaeque haec, magno Budensium commodo:

exordium obsidionem:

Iohannes suus ab obsidione Szigethi, auocatur:

locum ad urbem aduentus.

Obsessorum eruptio:

eius successus:

frustratione Casarianorum aduultus:

res obsidionum, & obsessorum, difficile:

Stanislaus, Albenfis Praepositus:

in alouo Iohanne, sollicitudo:

eius precor, a Turca, supplicis exorantis:

Mehmetis aduentus:

discessum
Rogendorffii:

Iohannis,
in Turcas,
humanitas:

corvus cru-
entia ex-
curfio:
captiuorum
multitudo:

Iohannis
dolor inde
conceptus.

moratus, omnia fere praesidia, ex *Thracia*, & *Bosnia*, deducit, exercitum coadunat, & decimis fere e castris, haud procul ab vrbe, confidet, obsessosque, de aduentu suo, certiores facit. Eo cognito, Rex, & Grittus, simul adpropinquarunt *Mehmetes*, vrbe, cum selecta suorum manu, in hostes prouere statuunt. Sed, *Rogendorffius*, non expectatis barbaris, obsidionis labore non minus, quam caeli iniuriis, fatigatus, cum se hostibus impari futurum cerneret, conuellere signa, atque obsidionem soluere iubet. quod quidem, tanta celeritate, perfici voluit, vt vix tormentis, in naues reuoluentis, tempus suffecturum videretur, atque multa castrensis supellex, plurimique milites, morbis & vulneribus confecti, in tentoriis, ad necem relinquerentur. *Iohannem*, ab insequendo hoste, suorum, non tam paucitas; octo enim millibus census fuisse, *ZERMEG* auctor est; quam equorum virorumque, contractus, longiore inedia, languor, prohibuit. Vix, ex vrbe conspectu decesserat *Rogendorffius*, dum *Mehmetes*, cum exercitu adfuit, quem quidem *IOHANNES* collaudatum, quod adfectis rebus suis haud defuerit, excultumque muneribus, impense rogauit; vti, datis, quieti exercitus, diebus aliquot, *Belgradum*, vnde venerat, regrederetur: quibus tamen precibus, non modo non praebuit locum barbarus; sed, factus etiam, ducum reliquorum, instigatione, ferocior, crudelem, in *Ferdinandi* prouincias excursionem fieri, edicit, cuius mentionem alibi habemus. Reduces *Turca*, decem millia captiuorum, praeter ingentem omnis generis, praedam, secum agebant. Quos, cum *IOHANNES*, tantam innocuorum hominum multitudinem; in diuam seruitutem trabentes, eminus, e fenestra arcis, conspexisset, fertur, lacrymas non continuisse, ac ad familiares suspirans, ac maestus dixisse; non se eius cladis & calamitatis, sed *Ferdinandum*, ac *Germanos*, causam esse. Sic culpa, caluam, aut potius falsam praetextens excusationem: vti meminit *ISTVANEFFVS* (q.). Nolim credere, crocodili fuisse lacrymas, quod aiunt aliqui; id tamen mirari subit, potuisse, foederato barbaro, eam Christianorum multitudinem, permisisse *Iohannem*. Enim vero, decuerat, hanc *Mehmetis* opem, vel remunerari aliter, vel certe, captiuam eam turbam, representato lytro, redemisse. Sed, ita erant tempora, &, quod pessimum fuit, hominum ingenia, vt tum se feliciter agere crederent, cum fauere dabatur, in aduersarios. Tanti tunc, seruata *Buda* conlilit!

§. XIX.

Iohannis,
ea in obsi-
dione, viri-
li animus:

ALioquin, dedit, tolerata ea obsidione, virilis animi documentum, *IOHANNES*, se ipso maior futurus, si potuisset, vinculis, *Turcica* societatis, expediri. Resedit vero tunc *Buda*, otio, quod ex his periculis, enatum ei fuit, perfruiturus. quam ei

tamen

q.) Loco cit. p. 173, 9.

tamen felicitatem, eripuit, *Turcarum* irrequies. Sunt, qui inducias, anno MDXXXI. *Iohanni*, cum *Ferdinando* fuisse (r.) memorent, silente *ISTVANEFFO*, & aliis. *IOHANNES* interim, vt animos ciuium *Budensium*, multa secum passorum, confirmaret in officio, nouis eos priuilegiis, locupletauit; quae septennio post, ne labascerent, rata habuit iterum; sed fructu, aut nullo, aut perbreui, quando, se mortuo, in barbarorum potestatem, an captiuitatem? rapiebatur vrbs libera. Sub idem tempus, moenia, quae euerterat *Rogendorffius*, instaurata fuisse, fas est coniectare. Neque enim, eo anno, quem heic transmisit, totum, pronior, ad eam rem, occasio, postea se *Iohanni* dedit. Annum certe sequentem, siue suo ipsius consilio vsus, siue instigatus a *Solymano*, *Strigonium*, ob geminam *Vardani* defectionem, obsidione perturbauit. quam, dum *Ludovicus Grittus*, irrito conatu vrget; *IOHANNES*, aduentantem iterum, immani cum exercitu, *Solymanum*, *Bude* opperitur; spe tamen, quam de eius patrocipio conceperat, egregie frustratus. *Solymanus* enim, relicto a dextris, *Danubio*, longe alias itineris rationes inuit, quam vulgo credebatur. Certe, expeditionis sine, siue culpa sua, siue *Ibraimi* consiliis, non excidit tantum; sed multum etiam laudis, de superiorum annorum victoriis, detriuit: *IOHANNEM* autem, praesidio nudum reliquit, adegitque, ad pacis, a *Ferdinando* impetranda, necessitatem. Id mirere; non occurrisse, *Solymano*, *IOHANNEM*, quod nobis quidem indicio est, offensum animo, iam tum, pacis consilia agitauisse, quod segnius, rem aduersus *Ferdinandum*, tanto cum exercitu, egisset. Animo scilicet praecipiebat *Iohannes*, fore, vt tamen se inuito, irrupit in Hungariam tyrannus: quippe, *Polonorum*, & *Francisci*, Galliae regis, cohortationibus excitus; tamen, sibi, eo absente, incubituram procellam, quam in caput *Solymani*, *Cesar* & *Ferdinandus*, nequieuerunt euibrasse. Itaque, habito senatu, consilii, quas ceperit de pace, rationes exponit. Iuere in eius sententiam, cum reliqui, tum *Grittus* etiam; quod intellexerat, ne *Solymano* quidem, aut *Ibraimo*, improbari eam destinationem. Missus, tantae rei arbiter, *Hieronymus Lasky*, ad *Ferdinandum* venit, expositaque legationis summa, inducias quidem obtinuit ex facili; sed, ad *Carolum*, vti iussus fuerat a *Iohanne*, ire permissus non est. quae res, offensa quidem locum apud *Zapolyam*, haud tamen irritas fecit inducias. Ingens inde fructus, ad principem vtrumque, redundauit. quando, mutuae, vtriusque partis, iniuriae, *Strigonii*, ex animi sententia disputatae, spem ostentabant, fore, vt solida tandem pax, inter reges, coalescat. Illustrem; pacis haec consilia, *Budam* fecerant, peritus postea *Iohanni* adfirmendam, nisi *Laskii*, & *Verboczii*, mira, in adulando, intemperies, exitiabili facinore, & regem, prauis suggestionibus in transuersum raptum, contaminauissent, & regiam. Nimirum, haud illi cessauere ante, regem fatigare, quam *Grittum*, regni Hungariae gubernatorem, crearet. Mors,

TOM. III.

P p

Io.

r.) *Brevi Commentario*, Rerum, in Hungaria, gestarum, ad eundem annum p. 28.

Budenses
cives ma-
clat priuile-
giis:

Strigoni-
um obsi-
det; cosis-
ta irritis:

iteratus
Solymani
aduentus:

Iohanni
inuitio:

pacis consi-
lia suscipit,
quibus eos
causis:

inducia pa-
cis, quid
federalis Bu-
dam:

Grittus,
regni Hun-
gariae gra-
veratur:

Iohannis Bánssii, Palatini partium *Zápolyae*, iis destinationibus, occasionem fortassis praebuit; nam, eo viuo, vix se in eam sententiam induci rex fuisset passus. Diu is quidem oblectatus, cum aliter se nequiret expedire, rem omnem, ad senatum, quem *Buda* coggerat, retulit. Contraibant perniciosissimo instituto, quibus, & regiae maiestatis veneratio, & amor, conuulsa mirum in modum, patriae, penitius animis infederat. Prauidebant, nimirum sagaciter, duobus regibus, tertium, prauissimis iis consiliis addi, breui, si prona se dederit occasio, tyrannum futurum. Grauis est *Thomae Nádasdii* oratio, (s.) qua iniquissimum institutum, elidere conabatur ex regis animo. Sed, praeualuit tamen adsentatorum versutia, datumque *Gritto* diploma, quo regia propemodum potestas, homini, dominandi ultra modum cupido, adtribuchatur. Id, cum senatorum haud pauci, neque signare vellent, neque cuperent obseruari, regis indignationem, *Gritti* autem, implacabile odium, sibi conciliauerunt. quod ille demum, *Simonis Athinay* (t.) atque *Paulli & Blasii*, fratrum *Artándiorum*, nece, quaesito aliunde obtentu, exsatiare haud potuit: *Nádasdio* quoque, insidiatus, nisi virum sagacissimum, furori sanguinolenti hominis, fata subduxissent maturius. *Pari*, inquit, (u.) odii ac san- nitiae tenore, de *Paullo*, & *Blasio* fratribus *Artándiis*, qui ob medita- tam, uti ferebant, ad partes *Ferdinandi* defectionem, a rege suspicio- so, in carceres coniecti fuerant, quamquam neque confessis, neque con- uictis, sed quod, antequam caperentur, ne ille (*Grittus*) gubernator crearetur, magna contentione obstitissent, *Iohanne*, in venatione forte absente, atque earum rerum ignaro, extremum supplicium in foro sumi iussit. Ergo, vix exorsus fuerat, infaulli muneris administrationem, cum optimorum virorum sanguine, *Budam* foedauit.

§. XX.

Iohannes,
Buda di-
greditur:

relictis illis
consiliariis:

IOHANNES postea, siue, vt inuidiam, sublato e medio *Artán- diorum*, absentia minueret, siue, vt procurandis in superiore Hungaria, & *Transilvania*, rebus, vicinior adesset, relicta *Buda*, *Varadinum* concessit; cum interim, *Grittus*, *Gubernatoris* Hungariae titulo superbus (v.) *Constantinopolim*, siue ab *Ibraimo* arcessitus, siue missus a *Iohanne*, abiit. Rex, ad eum modum ab vrbe digressus, eam, *Gregorio Pesthénio*, custodiendam mandauit; *Broderico*, *Verbóczi*, & consiliariorum nonnullis, inibi relictis, uti pacis, cum *Ferdinando*, conciliandae curam haberent. Quod illi fecere quidem, sed successu nullo: id quod, in vrbe *Pisóniensis* historia (x.) explicuimus. Diutius rex

1. Apud *ISTVÁNFYV*, Lib. XII. p. 191.

2.) Sic infelicis viri nomen *ZERMEGH* scribit.

3.) *ISTVÁNFYV*, Lib. XII. p. 192, 33.

4.) Recte *IOVIVS*, Lib. XXXII. p. 531. Quo

rorum prouentu statim factus, spes sua, ad immoderata, atque ardua, incalabi- li ambitione, prouidere cepit. Legentis reliqua.

x.) Periodo Austriaca, siue Cap. IV. §. VIII. Tomo I. Operis p. 208.

rex *Varadini* sublitit, forte *Grittum* reducem praestolaturus; tamen praeterea haberet, quod illic ageret. Adhaerant interim, per absentiam *Iohannis*, pacis, quae cum *Ferdinando* conferebantur, consilia; *Gritti* autem, *Byzantio*, cum insigni *Turcarum*, & *Hungarorum* manu, redeun- tis animus, minus se probabat sagacioribus: proinde, *Budam* sibi redeun- dum exillinauit *Iohannes*. Ac prodidit sane *Grittus*, quid sibi habuerit propositum, *Cibaci*, viri summi, caede iniquissima. Sed, eorum quo- que suspicio, haud vana fuit, qui insidiaturum *Iohannis* vitae, opina- bantur: vt eodem fere tempore, gemino periculo, *Buda* agens, non sine numine, defunctus crederetur. In hunc enim annum *MDXXXIV.* & *Hobordancii*, immanem illam destinationem referimus, cuius exstat apud *ISTVÁNFYV* (y.) mentio: *Budam* ille, siue sponte, siue praemiis, vndecunque acceptis, illectus, venerat, uti e medio tolleret regem; infami ideo morte mulctatus. Nam, cum se aulicorum turbae, quae circa regem esse consueuerat, cupidius ingerit, sicam sanguinariam, sagi manica occulasse, deprehensus est. Raptus igitur ad supplicium, cum nec quidquam differretur mediatum facinus, culeo insutus, at- que in *Danubio* demersus, foedissime interit. De *Gritto*, diserte *WOLFFGANGVS BETHLENIVS* (z.): ita secum decreuisse ait, vt, si *Budam* peruenisset, sublatis *Iohanne* rege, & consiliariis eius, regiam sedem occuparet: quam ob rem, audito eius interitu (a.) rex, ne momen- to quidem eum lugebat. Res inde, turbata extra modum, in vrbe fuere. Nam, *Solymanus* quidem, obsessum adhuc *Megyefini Grit- tum*, minacibus nunciis, *Budam* missis, liberandum, *Iohannis* opera, adurgebat: obiectans, profecta a se, in exfulem beneficia, traditam, cum diademate, in eius potestatem *Hungariam*, & quae erant, barbarici fastus, reliqua. Cui *Iohannes*, ne desideres epistolam, sic respondit: *Se quidem probe meminisse, quantum debeat Solymano, quem & vitam, & sine quibus vita haud posset esse incunda, dignitatem omnem, regium- que sceptrum sibi contulisse, libenter agnoscat; neque se vllum ingratae mentis scelus commissurum, quo orbis principem, siue cuius fauore se subsistere minime posse, cuius sit in propatulo, a se abalienaret; nunc quo- que, voluntatem sibi esse promissimam, ad exsequendum sibi imperata; sed vires, neutiquam pares voluntati adesse. Postquam enim *Grittus*, interfecisset *Cibacum*, in quem adeo effusa sunt omnium studia, cuius adeo sancta est apud omnes memoria, ita furore sumenda de eo vindicta, plane extra se rapti, lugentis populi multitudinem, vt nec regia auctorita- te, nec ullis rationibus eam mitigare, nec in tam subito casu, ad com- pensandum hunc furorem, sese componere, (nisi se ipsum in summum dis- criminen conicere velit) possit. Ac proinde, se obnixè rogare, inuictissi- mum Imperatorem, vt pro sua iustitia ac clementia, potius animum*

P p 2

suum

y.) Lib. X. p. 152, 15. diximus supra de eius legatione, *Ferdinandi* nomine, ad *SOLYMANVM*, infeliciter suscepta.

z.) *Historiarum* Libro II. p. 73. ad an- num 1534.

a.) Describere eum *IOVIVS*, Lib. XXXII. p. 541. *ISTVÁNFYV*, Lib. XII. p. 200. *BETHLENIVS*, l. c. *IOHANNES NADA- NY*, *Floro* Hungarico, Lib. IV. Cap. II. p. 219. seq.

redis ipse
vultus:

gemino vi-
tae periculo
caecatus:

Gritti, ab
interfe-
ctum *Ciba-
cum*, non:

ingens, *So-
lymano*
inde natus:

Iohannis
responsio:

suum sibi spectandum statuatur, quam agendi facultatem, cuius magnam partem, sibi, fortuna & casus, quasi suo iure, vendicaret. Hæc Buda, perscripterat Iohannes. quibus, facile deliniri se passus est tyrannus: quippe, negotiis dissentus maioribus. Eadem Cibaci internecio, Laskyo quoque, periculum accierat, propemodum exitiale. Insimulabatur, non vanis indiciis, conscientia cædis summi viri, eaque re, eandem fere, quam Grittius, indignationem sibi, apud populum collegerat. Itaque, siue, ut reuera puniret hominem, quod vult Istvánffyvs (b.), siue, ut subduceret iratæ multitudini, aliis de causis, Budam euocatum, in vincula coniecerat; quod Bethlenivs (c.) adfirmat. Ut custodia mandatus est, expeditis ad eum tribus, de sanctiori consilio, viris, qui ægrum eius animum consolarentur, profiteri iussit: fateri regem, eius dexteritate, regnum & patriam se recepisse, ideoque, eximium sibi præstitum esse officium, nulla temporis iniuria, oblivioni tradendum; sed potius, omni grata mentis significatione, referendum. Tanta seueritatis culpam, tribuendam esse, tempori potius, quam sibi, cuius ingenium, prout ab omni sauitia & crudelitate, etiam in eos, qui poenam meruissent, exercenda, alienissimum semper fuisse; ita vel in primis, ab ingrati animi crimine, in optime de se meritos, nunquam non abhorruisse, vel ipsimet Laskyo, sit perspectissimum. Persuasum itaque sibi habeat, rationes regni, in vnus eade, summe periclitantis, non vero offensam aliquam, debuisse auocare aliquantisper regis animum, ab insitæ ipsi clementia. Certa tamen spe, seipsum erigat, breui, sarcinæ istius incommodi; voluntatisque erga se regis, ad futuram parem facultatem, magno, cum fortunarum, tum dignitatum suarum incremento, credat. Hæc tunc tragediæ, Buda edebantur. Excusat Laskyus, luculentus eius ætatis scriptor, Iovivs, derogatque ei, occisi Cibaci, & conscientiam, & societatem. Id vercor, an non falso, in litteras retulerit (d.), quod sub tormentis, Gritti consiliorum rationes, explicare fuerit coactus. Minuit mox periculum, Sigismundi, Poloniæ regis, Matthæi item Tarnouii, suscepta, Laskii causa, deprecatio (e.): nam, & liber dimissus est, & muneribus insigniter excultus.

§. XXI.

*N*unquam postea, ad Iohannis partes, reduci Laskyus potuit; quin immo, aduersas Ferdinandus sequutus, quid, & consilio potuerit, & ultionis cupiditate, palam fecit. His gestis, Varadinum, Iohannes abiit denuo, ut fines eos, a Ferdinando impreflionibus, auspiciis suis, defensaret. Atque, datum fuit non plane nihil turbarum, per Hungariam superiorem, dum interim Buda, a

b.) Loco citato, p. 201, 5.

c.) Libro eodem, p. 74.

d.) Fine Libri xxxii.

e.) Legendus omnino est Bethlenivs, l. c.

p. 75, seqq. vbi Gallia, & Polonia, regum, expostulationes, Laskii causa susceptæ, narrantur. Adde, Istvánffyvs, Lib. xii, p. 201. & Zsigmecs, Lib. ii.

legatis Zapolyæ, firmo præsidio, insideretur. Tunc vero primum, caput ad tollere, Georgius Monachus, cœpit, Iohannis fauore, regi, suisque postea, noxius futurus. Fuit nobis, critque frequens noui hominis, mentio; proinde, compendio dicemus, vnde prodierit, quaque se ratione potuerit in eum modum regi intimare, ut nihil is dubitaret, Varadiensem episcopen, post necem Cibaci, ei concedere. Erat, nempe natione Dalmata, in aula Matthæi regis, & eo viuus exempto, apud matrem Iohannis, in familiaribus habitus. Postea, tædio vitæ aulicæ captus, in collegium monachorum Csenstochouiensium, quod in Polonia est, se abdidit: dum in exsulis Iohannis amicitiam, admissus, & recordatione, pristinarum deliciarum, pellectus, reducem eum, in Hungariam sequeretur. Ita Bethlenivs. Aliter Nadány (f.): Varadinum, inquit, suscepit, Georgius Vtilsenitius Dalmata, ob singularem, tam in aduersis, quam prosperis, fidem ex fornacatore & focario, regis munificentia euectus. cuius pupilli, pari bono, & detrimento postea, viguit. Hæc de Georgio. Rebus, in Hungaria superiore, non infelicitè gestis, redibat subinde Budam Iohannes, ut vel ea re, Hungariæ se regem testaretur, quod regiam incoheret. Hic moranti, Valentinus Torök, deserto Ferdinando, accessit, siue destinato consilio, siue Pauli Bakitschii iniuriis, ad eam necessitatem redactus. Sequutus inde annus, pacis, MDXXXVII. inter regem vtrumque, consiliis nobilitatus est: Iohannes autem, Buda (g.) reledit; dum pax, anno MDXXXVIII. Varadini conficeretur penitus. Facile hinc est arguere, læta tunc Buda fuisse omnia, cum, & regem domesticum haberet, & profligato bello, metus cessaret calamitatum, vrbi toties impendentium. Quid, quod Buda possessio, eadem Varadiensi pace, (h.) cum illa regni portione, quam tunc obtinebat, Iohanni penitus fuerit adfirmata. Hæc, sic satis ex animi sententia, Zapolyæ, regiam Buda habenti, euenerant, acceleratura, procul dubio, exitium, nisi procellam, exquisitissimis artibus, iamiam in caput suum effundendam, tempestiue præuertisset. Subolsederat, inquam, cum Ferdinando, pacem Solymanus; tulitque omnium molestissime, hominem, suo beneficio Hungariæ redditum, nuperam Gritti cædem, quam noluerit impedire, nouis iniuriis exasperare. Ergo, obtentu, redigendi in ordinem Petri Vajwode Moldaniæ, vsus, cum exercitu mouet; simul, Iohannem, ni respiceret, descisceretque a pacis illo foedere, castigaturus. Trepidatum est Buda, extra modum, implorata a Ferdinando subsidia, coactus, octoginta millium exercitus: ipse Iohannes, relicta regia, Varadinum, illinc, in Transiluaniam properabat. cum, missus ab Solymano, Csauisus, has regi, iam in castris agenti, litteras adferret: Tu ingratus, ita ne cito oblitus es beneficiorum meorum, que miseratus Tui, in Te contu-

Pp 3

li 8

f.) Flori Hungarici, Lib. iv. Cap. ii, p. 220. scriptores alii, constanter eum MARTINVS cognomento, dicunt. g.) Dilcas id, ex litteris, quibus plenam pacificendi, cum Ferdinando, potesta-

tem, legatis suis adtribuit, Buda Anno, MDXXXVII, vicino Nouembris, exaratis. h.) Leges Articulum Pacificationis VII, apud Bethlenivm, Lib. ii, p. 85.

episcopen eam, Georgio Monacho tradit:

eius ortus & progressus:

rex Budam rediit, hincque restituit dicitur:

Solymanus, concepta in Iohannem, noua, ob pacis suspitionem, indignatio:

Solymani ad eum epistola:

li? *Exsulem Te reduxi; in sede regia collocavi; omnibus Hungaris, ut Te regem agnoscerent, mandavi! Tu vero, ausus es contra me gladium stringere. Videbis brevi, quomodo hoc tibi succedet. Quia enim abusus es clementia mea, loco eius, seueritatem, experieris. Perculit, ferro epistola, Iohannem. Ergo, quid ageret, inops consilii? respondet, eodem Csaufio, tabellario vsus, quam potest, demississime. Seruauit nobis & has litteras BETHLENIUS (i.): Ne queso admittat ad animum, tam sinistram de me opinionem, Inuictissimus Imperator! agnosco semper illum, vitæ ac dignitatis meæ auctorem, ac proinde, volo æternum, eximia gratia eius, gratum & memorem me exhibere. Sciat itaque & credat, me, pauculas istas, quas cernit, turmas, non contra suam adduxisse maiestatem; sed contra Petrum Moldauum, quod cognouerim illum Domino suo rebellasse. Testanda itaque debitissima Imperatori fidei gratia, quam primum accepi nuncium, quod perduellis iste, in hanc se receperit arcem (k.), protinus illum obsidione cinxi, impellentibus me eo, vel priuatis iniuriis, quibus ille me adfecit: de quibus toties questus sum apud maiestatem suam. Quare, omnino persuasum habeat, me hinc non abscissurum, donec illum viuum & vinctum tradidero in manus Inuictissimi Imperatoris. Volebat omnino, Solymanno se obicere Iohannes, si quid hostilis adtentasset in Transilvania; sed, cum promissa a Ferdinando, auxilia, tardius, quam par erat, aduentarent, capto ex arena consilio, Petrum, in sua illa arce, obsedit, captumque, post quadrimestrem obsidionem, ad Solymannum misit; cum ante, mille vsus artibus, incolumitatem ei pacisceretur. Ita tunc, discrimine alieno, suam, regni que salutem Iohannes redemit.*

§. XXII.

DELinito, ad eum modum, Solymanno, rebusque, ex animi sententia, apud Transiluanos compositis, Budam, lætus rediit, nouo mox turbine, exercendus. Laskius, nimirum, ex nuptia captiuitate dimissus, ad FERDINANDI partes concesserat, ratus, non sibi illic occasionem, vlciscendæ iniuriæ, defuturam, quod sane ita euenit. Constantinopolim enim a FERDINANDO missus, arcanum illud foedus, quod pace Varadiensi, cum æmulo, pepigerat, purpuratis, propalauit, & qua se dabat opportunitas, inuisum Solymanno, IOHANNEM reddere connitebatur: effecitque, vt pene in rabie ageretur tyrannus, regum vtrique, barbarico more, diras imprecatus, quod se, missis legationibus deluderent, dum bellum aduersus se, quæsitis occasionibus, possint constare. Tunc Iohannes, purpuratos quidem largitionibus lucrari, nihilque non tentare, vti se penitus iterumque intimaret Solymanno: quæ res, tametsi magnæ fuit difficultatis, successit

i.) Ibidem p. 92. ad annum MDXXXVIII.
k.) Cæsio dicta, in Comitatu Szolnok inferiori, in rupe posita, atque Moldano

olim, a regibus Hungariæ, dono data. Vide ISTVANFFYVM Lib. XIII. p. 220, 43.

lit tamen, multo, quam apud barbaros sperari potuisset, felicius. Questus, eam iniuriam, apud Pontificem Romanum, regemque Galliarum, Iohannes, quod arcanissima consilia, legatus Ferdinandi Byzanti prodidisset; alieniore a foedere animo esse coepit: certe, induci, ad publicandas pacis, quæ Varadini perscriptæ erant, leges, donec viueret, haud potuit. Dum hæc fiebant, Budam, nouis operibus muniendam, Iohannes suscepit, ea potissimum regione, qua regia infedit: vt, & tutius a rege coleretur, & si ingrueret obsidio, vim posset propulsare. Excitata igitur propugnacula, educti circum aggeres, depactique valli, aliam breui, extus, arci speciem conciliauerunt. Exstant hodieque muri, ex eo opere superstites, & capitibus, Attila, atque Buda, insignes: quæ iis inædificari fecit Iohannes, adulto errore deceptus: quippe qui, his monumentis, conditores eos facere vrbs arcisque, inuita licet historia, admissus est. Recte TIMON (l.): Iohannes rex, æmulus Ferdinandi I. locum muniens, deceptus communi opinione, capita ARTILAE & BVDÆ, in propugnaculo, adiacenti templo, hodie Societatis Iesu, exposuit. Nondum consummauerat coeptum opus, dum vrgentibus suis, cogitationem, de incundo matrimonio, susciperet. Alienum foret ab instituti ratione, rem, quemadmodum gesta sit, explicare. Dedit eam WOLFFGANGVS BETHLEN (m.) fusc, ex Transiluanicæ tabulariis, vti pleraque sua omnia, descriptam. Recordari suffecerit, Isabellam fuisse, Sigismundi, Poloniarum regis filiam, ex Bonna Sforcia, susceptam, & forma insigni, & virili prorsus iudicio, præditam, atque non minus grauitate morum, quam lepore Italico, & Polonica venustate, peramabilem. Nuptiarum conciliatores, Brodericus, atque Verböczius fuere; Vácziensis episcopus ille; hic Cancellarius regius. Rediere, annulis pronubis, iurataque fide, sponsalibus adfirmatis; missique sine mora, idem Brodericus, Petrus Perény, & Stephanus Drugeth de Homonna, qui sponsam domum ducerent. Ergo, Cassoniam primo, inde, festinatis itineribus, adparatu autem, longe magnificentissimo, Budam ventum est. Triduum heic quieti dabatur. Rex interim, Alba Regia præstolabatur aduentantes, eo consilio, vt nuptiarum celebritatem, inaugurationis solemnibus, simul honestaret. Erecta erant, in campo Albano, aliquot Phrygii operis tentoria, Solymanni, & Ibrahimii muna: in quibus IOHANNES, sponsam accepit, atque post iunctas dextras, sermonesque blandos, neque tamen longos, in urbem introduxit. Nuptialis pompa, die Dominico, qui ieiunium vernale præcedit, instructa fuit, eademque luce, regina quoque, patrio ritu, coronata. Edito epulo, solemnia reliqua, Budam seruabantur. Huc reuersi, plures, ex more, dies, conuiujs, tripudijs, ludisque, exegere, nihilque non additum, quod augeret pompam. Ceterum, nuptias, Petri Perényi, iterata ad Ferdinandum defectio, nobilitauit. Intererat, regis Romanorum nomine, his solemnibus, Casparus Seredi, qui homi-

Budam, nouis operibus munit.

uxorem dicit.

Isabellam, Sigismundi, regis Poloniae, filiam.

nuptias Albanæ regali.

& Budæ celebras.

l.) In Syropfi Nona ad annum MDCXXVII. (m.) Histor. Lib. II. p. 94. seqq. p. 99.

Zápolya
válasza:

valdum
eius demul-
tandi consi-
lium.

Repetit Bra-
dam Iohannes:

Laskii, vlciscenda-
rum, iniuriarum
cupidas:

Iohanni noxia:

sedat favorem barba-
rum, a Laskio in se
concordiam:

hominem, promisso *Cancellarii* munere, dum se inuitarent poculis, prorsus in *Ferdinandi* partes illicuit. Nuptiis ita concelebratis, nouus ex *Transilvania* turbo, *Budam*, regemque *Iohannem*, perturbauit. *Majlátus*, prouinciae illius, rege indulgente, praefectus, *Transilvaniae* rex, a *Solymano*, (n.) salutari voluit. Ergo, *Emerico Balassa*, in consiliorum, & factionis societatem adscito, cum id se negaret facturum *Solymanus*: ex caede *Critti* adhuc offensus homini; nouas res moliri haud cessat. quibus sustentandis, cum se imparem futurum aduertit, siue illectus pollicitationibus, siue suoapte consilio, ad *Ferdinandum*, cum collega *Balassio*, & non paucis primorum, deficit. Itaque, *Iohannes* ancipiti periculo, & se exempturus, & *Transiluaniam* ante sedaturus, quam vires, accessione *Ferdinandeorum*, caperet seditio, vxore, partui proxima, *Buda* relicta, praemissisque *Valentino Torök*, & *Petrouiczio*, regio stipatus comitatu, in *Transiluaniam* abit, numquam postea, *Budam* reuisurus. Dum enim illic, profligandis seditionibus, operam nauat, inque ordinem redigit refractarios, auditis *CAROLI V.* *Albae Iuliae*, legatis, medicorum iussu, *Szász-Sebesum* digressus, in morbum incidit. Regina interim, *Buda*, *Nonis Iulii*, felici partu, filium enixa est. Perlato ad regem, hilari nuncio, tanta vis morbi erat, vt vix laetitiae capax putaretur. Instruxit tamen regale epulum, seque inferri passus, palam testatum fecit, quam sibi nuntium illud gratum esset acceptumque. Paucis post diebus, pro tribunali militarem litem diremturus, lethali corripitur languore (o.), atque quinquagenario maior, die vigesimo septimo Iulii, moritur. Cadauer demum, *Budam*, funesto curru, atque hinc, *Albam regalem*, proceres deuexere, vt illic, ritu patrio, regum sepulchris inferretur.

§. XXIII.

HOc illud fuit decennium, quo *Budam* infedit *IOHANNES*. Id nos, ad *Barbaricam* regiae urbis periodum, eo minus dubitauimus referendum, quod non modo *Solymani* beneficio, *Buda* potitus est *Iohannes*; sed defensorum quoque urbem *Turcarum* viribus sustentatus. Reduces, a funere, proceres, legationem, quae viuo adhuc rege, destinata fuerit, *Constantinopolim* mittunt, qui & dona deferrent immensi pretii, & mortem *Iohannis* nunciarent, regina simul, cum filio, & *Hungaria* vniuersa *Solymani* patrocinio, commendata. *Ferdinandus* interim, cum ex *Varadiensis* pacis conditionibus, ad se pertinere, non *Budam* modo, sed regnum etiam vniuersum, haud

a.) Litteris id a *Solymano* petisse *Majlátum*, *BETHLENIUS*, Lib. II. p. 99. auctor est, quas ille, insigni in *IOHANNEM* vsus beniuolentia, eidem *Budam* misit, perduellionemque detexit.

b.) Iudicium duelli fuisse, *WOLFGAN-*

GVS *BETHLENIUS*, testis est, Lib. II. p. III. vbi verba eius vltima, auctorem increpantis, *Hungarice* prolata, haec legas fuisse: *Boszszefagos tész ennekem.* Id est: iniuriam mihi faci: & ex aliorum sententia: Hoc est ius!

haud sine ratione, existimaret, *Comitem Nicolaum Salmensem*, *Budam*, ad reginam mittit, qui regnum ex pacto repeteret, ditionem *Scepriacam*, redditum iri sponderet, cum omni eo prouentu, qui ex dote, ad *Isabellam* pertineret. Testamento *Iohannes*, tutotes scripserat filio, (quem *Iohannem Sigismundum* dici voluit) *Petrum Petrouiczium*; & *Georgium Monachum*. Mitior *Petrouiczus*, legatum, simul aduenerat, admittendum ad reginam censuit; negabat id se permissurum *Monachus*, siue, quod feminae diffideret, siue, quod reuera fuit, vti, pro suo lubitu, responderet *Salmensi*. Male ea res habuit *Isabellam*, quod sub ipsa viduitatis exordia, ab vnius hominis arbitrato, rem suam pendere, animaduerteret. Ergo, misso, ad proceres nuncio, magno ferocique animo, contestatur; nisi quam primum *Ferdinandi* legatum ad se admitterent, ipsam sibi, manus adlaturam: quippe, alieni imperii, prorsus impatientem. Proinde, introductus, in atrium reginae palatium, post longiorem, doloris, quem ex morte foederati regis, animo concepisset *Ferdinandus*, praefationem, id quod habebat in mandatis, edisserit. Cui regina, lugubri strato residens, neglecto ornatu, facie pallida, oculis in lacrymas pronis, voce tamen, & ceruicis gestu, ita compositis, vt diuturno defessae luctu, exaruisse potius lacrymas, quam discessisse ab animo moerorem, ostenderent, ad hunc modum respondisse (p.) fertur: *Eam, sexus atatisque suae fortunam esse, vt orbata rege coniuge, & diuturna corporis animique agitudine perturbata, neque suscipere consilium queat, neque exsequi; sed in re omnium grauissima, SIGISMUNDVM Polonia regem, patrem suum, consulturam. cuius eam esse moderationem, vt FERDINANDVS, eo arbitro, si quid intercesserit controuersiae, vti possit confidentissime. Quo circa, rogare se, idonei temporis spatium sibi adtribui, dum is consili possit; se enim, sed nec proceres Hungariae, ab eius sententia, vel latum quidem unguem discessuros. Quod si mora denegetur, atque armis agendum putet FERDINANDVS, egregiam vero laudem, inquit, ferent, Caesar & Rex, si viduam, fletu consumtam, & vagientem in cunis regem infantem, oppugnatum aduenerint!* His dictis, legatum dimisit, qui, cum reginae destinationem, ad *Ferdinandum* retulisset, bellum, quod frustra disuaserat *Laskyus*, in feminam decernitur, summa rei, *Leonardo Velfio* permittitur; additis mandatis, vti, qua posset, vi, cum reginae sequacibus, ageret, neque tam feminam oppugnaret, quam incusso metu, pertentaret, annon, a suscepta consiliorum ratione, deduci posset.

§. XXIV.

NEc mora. Itur in profecionem, promotoque *Strigonium* vsque, exercitu, classe item *Danubiali*, illic adpulla, *Vissegrad* di turtis amica, expugnatur, *Váczia*, item & *Pestum*, a *Za-*

TOM. III.

p.) *LAVRENTIVS TOPPELTIVS*, in *Origini-* bus & *Occasu Transiluanorum*, Appendix, p. 186. & ex eo, *WOLFG.*

Qq

BETHLENIUS, Lib. III. p. 121. ad annum MDXL.

Ferdinandi, ad reginam, legatio:

vix admittenda ad reginam difficultas:

legationis summa:

Isabellae responsura:

Velfi in Hungariam profectio:

politianis deserta, capiuntur. His successibus animatus *Velfius*, exercitu, decimo tertio Calendas Nouembres, *Buda* adinoto, urbem obsidione cingit. Inerat ei, cum valido praesidio, *Valentinus Török*, summus, viduae partium, belli dux, vir prorsus militaris. Atque *Germani* quidem, cum insigni *Hungarorum* manu, castra, ad superiores thermas, metati, suggestus, collocandis tormentis necessarios, idoneis locis, iam eduxerant; cum orta, inter *Hungaros*, & *Germanos*, seditio, ipsos etiam duces, in vitae discrimen conuiceret. Procurrebant, ad sedandas rixas, *Velfius* & *Perenius*; ille, uti *Germanos*; ille *Hungaros* suos, in ordinem redigeret; sed adeo, nec quidquam proficere, ut cadentibus plurimis, *Velfius* quidem in crure, *Perenius*, iacto forte fortuna, lapide, in collo fauciati, aegre se in tentoria subdixerint. Ac, visa est omnino ad praelium res spectare, cum classarius miles, Italis, Hispanis, & Dalmatis, constans, Hungaris subsidio veniens, certamen diremit. His profecta initiis, obsidio, multum ignominiae, ex populationibus, accepit. Vagabantur passim *Germanorum* agmina, abigebant armenta, neque non ita expilabant miseram plebem, ut non ad vindicandum eam, sed ad perdendum venisse dixisset. Qua re cognita, *Valentinus*, turmas equitum, quas ante *Germanorum* aduentum, validas in urbem coegerat, ad defendendos a populatione agresiles, emittit; quod, uti crebris velitationibus occasionem dabat, ita, non vna strage, diminuere exercitum *Ferdinandi*. Opera interim militares, adeo lente succedebant, ut non tam oppugnari, quam negligentius obsideri urbs crederetur: miles certe, si abactas praedas exceperis, propemodum deses, in castris haerebat, cum exli iniuriis, adulto iam auctumno, multum colluctatus. *Velfius* ergo, afluens cura, quid potissimum faciendum sibi esset, ne inglorius, ab urbis obsidione cogere regredi, praeter expectationem, intellexit, *Balthasarem Bánffy*um, ex praecipuis *Hungarorum* ducibus, a *Valentino*, urbis praefecto, vetere suo amico, & contubernali, inuitatum, in urbem ingressum fuisse, reducemque in castra, propalam iactante: se, cum *Valentino Török*, & *Vrbano Battyánio*, reliquisque praesidiariorum ducibus, potuisse; inspexisse, permittentibus iis, praesidia, tormenta atque turres, miratumque fuisse, cum disciplinam, alacritatemque militarem, tam comaeatus vim, longissima obsidioni, sustenturam; aduertisse, *Budam*, nisi ampliore adparatu, acrioreque adgressione, occupari haud posse. Re intellecta, *Velfius*, *Bánffy*um, in conspectum arcessit, increpatumque acrius, quod se inconsulto, facinus, a militari disciplina longe alienissimum, patrare adtentasset, castris exesse iussit, atque, fremens ira, obsidionem soluendam statuit: maxime, quia, uti erat in suspiciones pronus, mala fide secum agere *Hungaros*, ex hoc vno calu, *Perenii* item qualicumque alienatione, perperam conuiciebat. Ille tunc, obsidionis fuit euentus: cuius ignominiam, profundo iam auctumno, *Vissegrádi* deditio, quomodo-cunque eluit.

§. XXV.

§. XXV.

DVM haec ad *Budam* geruntur, legati viduae *ISABELLAE*, quorum supra nobis fuit mentio, *Iohannes Eszéky*, episcopus *Quinqueecclesiensis*, & *Stephanus Vörböczy*, rebus apud *Solymanum*, ex animi sententia confectis, istud responsi accepere: *Reginam*, filiumque in clientelam recipi, auxiliaque, contra *Ferdinandum*, nec curatis hiemis difficultatibus, submissum iri. Promissis amplissimis, dona addebantur augusta: regalis cultus, toga purpurea, auro intertextata; clypeus, elaborato umbone rotundus; claua item aurea, & gemmata in vagina, ensis *Turcicus*, quibus, beneficiarii regni potestas, *Iohanni Sigismundo* adfirmabatur. Legati, tam felici, rerum *Constantinopoli* administratarum, successu laeti, ad reginam confestim redeunt. Cum in itinere sunt, *Lasky*um, *Ferdinandi* oratorem, fere obuium habent; sed, quem alia exceperet omnia. Nam, & partium *Iohannis*, quas avidissime promouerat antea, desertor habitus, non gratia modo *Solymani*, indignus videbatur, sed coniectus etiam est in carceres, quos septem turrium vocant: eo quod *Ferdinandus*, eodem tempore, & pacem offerret tyranno, & bello lacefferet, reginam pupillumque *Vsepho* interim, *Mehmeti*, & *Amurati*, purpuratis, datum in mandatis est, uti, coacto exercitu, instructaque in amne classe, haud quam pensi habita, quae ingruerat, hieme, *Budam* contenderent. Atque illi quidem, ob brumae rigorem, ultra *Tolnam*, magna suorum iactura, eniti haud potuerunt. Ergo, per hiberna distributi, expeditionem, aduente regina, in proximum ver reiciunt consulto. Neque defuit, inconstantissimo hominum generi, fides. Aderant enim, mature satis, occupataque *Váczia*, *Pesto* autem, frustra tentato, bello praesulere. His, & legati *Constantinopolim* missi, captiuitate audita, bellum & ipse *Ferdinandus*, comparat. Eius exordium, a *Buda* obsidione, ducendum ratus, *Wilhelmo Rogendorffio*, duobus antehac, lustris, frustra, eundem hunc lapidem sollicitante, belli summam committit. Instruitur exercitus, numerosus, iuxta & validus; addita, ex *Viennensi* adparatu, tormenta, nauesque, quibus annonae, trimestri sustentura, amne secundo, deucheretur. Neque *Hungari*, qui causam *Ferdinandi* tutabantur, partibus suis defuerunt. Profectione, ritu militari, promulgata, *Strigonium*, ubi confluerent copiae, designabatur. Coadunato hic, terrestri naualique exercitu, *Budam*, oppugnari oportere, edicitur. Et profectio quidem, nihil habuit suffraginis: ad *Budam* ubi ventum est, arcem, multo, quam ante decennium, munitiorem reperit, *Rogendorffius*. Nam, a magnatum *Oy-szágiorum* aedibus, e quarum regione, mœnia prostrauerat, oppugnatione priori, ingens e lapide, constructa munitio vischatur. Quin ad *Sabbatinam* quoque portam, quae pone *Iudeorum* vicum, *Budam* veterem educit, iustae magnitudinis propugnaculum, eductum fuerat. Prouisum adhuc fuit aquationi, substructa, in orientem turri lateritia,

Legati Isabellae Constantinopoli redeunt, promissis & donis ornati:

Laskii, oratorum Ferdinandi, apud Portam facta:

adparatum in bellum Turcici, hiemis rigore impeditur:

Ferdinandi ualidiores: summa belli Rogendorffio commissa:

Buda obsidionem decernitur:

munitio-nam eius habitus:

robusta ea, atque eximie alta, vnde hi defensarentur, quibus aquæ, ex profluente Danubio, erant hauriendæ. Id enim, superiore oppugnatione *Rogendorffiana*, fere exitio fuit obsessis, quod, qui aquatum descendebant ex vrbe arcue, ictibus globorum hostilium sternerentur; nisi ambagibus vsi, se occultassent. Itaque, urbem his munitionibus auctam, contemplatus *Rogendorffius*, cum prioris adgressionis vias, egregie obstructas cerneret, in montem *S. Gerhardi*, tormenta protrahi iubet. Labore eo, difficili non minus, quam plurium dierum, defunctus, videbat, arcem illinc, tot regum opibus exstructam, verberari oportere, vastarique; preces igitur ante, sollicitationesque adhibendas putavit, ad expugnandam reginam, quam machinis rem adgrederetur. Promittit ergo reginæ, si maturaret deditioem facere, dignam suo fastigio fortunam; filio, quidquid erat, paternæ ditionis, restitutum iri; quin, in filium adoptandum, vbi ætate conualuerit, accepturumque *Ferdinandi* filiam in matrimonium. Nihil ad hæc, seu regina, seu *Valentinus Török*, & qui simul inerant, *Petrovitzius*, atque *Georgius Monachus*. Proinde, oppugnationis sibi impostam necessitatem ratus, castra commutat, & ea regione, vbi *Iudæorum* sepultura fuit, metatus, a Bohemis quidem vim omnem, eidem moenium regioni, quæ pone *Országyanus* ades, nuper instructa fuit, admoueri iubet; ipse, e hortis regis, arcem adoritur. Fiant proinde oppugnationis initia, tanta pertinacia, diebus aliquot continuata, vt non muri tantum arcis, longo tractu, procumberent; sed aggeres etiam secundarii, qui intra moenia instructi fuerant, ruerent extrorsum, spemque non dubiam conciperent oppugnatores, fore, vt, vel ad deditioem consilia adigeretur reginæ, vel, id si nollet, strata adfultui via, arcis occupandæ spem haud dubiam faceret. His rebus experrecti, qui urbem defensabant, *Valentinus*, *Petrovitzius*, & *Monachus*, quod non satis vti viderent occasione *Rogendorffium*: quippe, adfultum, in diluculum differentem; hiatus moenium, coacta urbana multitudo, materie, quam fors obiciebat, sarcunt, neque tota nocte cessant operi insistere, dum molem congererent, hosti reiciendo suffecturam. Adfunt mane summo *Germani*, & tametsi scalas, quas vespere clam admouerant, subductas a *Budensibus* repererint, adgredi tamen arcem, qua erant luxati muri, nihil dubitant. Ergo, per ruinas, qua possunt contentione maxima, in murorum pinnas enituntur, hic atque illic, Cæsariana signa defigunt, quin proximas quasque ades, quasi de victoria certi, inuadunt. Cum hic, de arcis salute agitur, altera quoque adgressione, quæ *Perenio*, cum Hungaris & Bohemis, mandata fuerat, muri tentantur. Gemino, ancipitique periculo circumuenti *Budenses*, non modo non concidunt animis, sed etiam, ea fortitudine propellant hostes, vt non tam muros propugnasse visi sint, quam, quæ secum habebant, pignora illa, reginam scilicet, & vagientem in cunis infantem regium. Concurfabatur, nimirum, ab omni ætate, sexuque ea pertinacia, vt, tametsi in arcem vr-

oppugnationis
difficultas:

sollicitatio-
nibus cum
regina nec
quidam
egit Ro-
gendorff-
ius:

adgressio-
nis ratio:

initia &
successus:

obsessurum
solertia:

Germano-
rum in
ruinas ad-
fultus gemi-
um:

reprimatur
ab obsessis
hanc sine
clade.

hemque perreperint *Germani*, receptui tamen canere cogentur, neque tam referrent pedem, quam ruerent per murorum fissuras: militibus quidem sclopis, multitudo reliqua, iactu lapidum, rem mascule agentibus. Quo vero longius a moenibus se subducebant adgressores, eo foedior strages, maioribus minoribusque tormentis, in recedentibus edebatur. *Hieronymus Ladvensis*, aliquot vulneribus, eo adfultu confectus, vno alteroue post die, animam efflauit: vir, & bello clarus, & suscepta, ad *Solymannum* legatione, de *Ferdinando* optime meritis.

§. XXVI.

HOc defuncti periculo, *Budenses*, animos sumere, opplere, quos *Germani* fecerant, murorum hiatus, quin, palam hostibus, stentorea de moenibus voce, ignauiam, & oppugnandarum arcium, turpem incitiam exprobrare. *Rogendorffius* interim, ne ab ardore quidquam remittere videretur, muros, frustra ictibus verberatos, cuniculis subruui, & in aera elidi, mandat. Multum profecerant operæ, cum *Georgius*, metallicos, quos *Riuulino*, (vrbs est metallica, *Comitatus Szatmáriensis*, Hungaris, *Nagy-Bánya*;) mature *Budam*, in hos casus euocarat, contrarios agere cuniculos, & sicubi pyrius puluis deprehenderetur, hunc iussit subripi. Diu insudatum labori est, nullo obsidentium fructu alio, quam quod urbicam multitudinem, lenta hæc obsidio redderet impatientiorem. Accessit annonæ difficultas, qua pressi ciues, non obscure prodebant, quantopere, his malis, quamprimum eliberari cuperent. Tametsi vero, non desinebat *Valentinus*, & comiteatu iuuare, ciuium primores, & ornare muneribus, vt eo obtentu, in arce versantes, honesta quasi custodia quadam, detineret; tamen, cauere haud poterat, quin, dum hos lucraretur, ostenderet alios. Res tandem, in conspirationem defuit, nulla, nisi factorum ope, interuertendam. Prolixus in ea describenda est, *ISTVÁNEFYVS* (q.). Nos *PETRVVS* de *RÉVA*, scriptorem, suscepti facinoris, domesticum, sequemur. Ita vero habet (r.). In hac obsidione *Budensi*, inter alios Hungarorum duces, emittit virtus & fides erga *Ferdinandum*, cui mei *Francisci Révay*, singularis, qui exploratum fere habens *Turcarum* Imperatorem, nihil magis in animo, & votis habere, quam vt *Budam* in suam potestatem, quouis Marte, aut arte redigeret, summo studio & labore internum *Budensium* fauorem, *Ferdinandi*, arcano conatu, conflauit, conciliatis, Iudice *Budense*, *Ioanne Athády*, & duodenis viris senatoribus, cum certis ducibus militum, qui societatis *Turcarum* hostes, ac improborum *Georgii*, ac reginæ consiliorum confecti, *Budam* ciuitatem, in potestatem *Ferdinandi* redigendam, dato fidei sacramento, conspirarunt. Subtile profecto hoc artificium. Nam, principes, qui imperia sua dilatare cupiunt, in expeditionibus, voluntates primum sibi conciliatas habere debent, & tum missis copiis, propugna-

Budensium
ferocia:

in extir-
pandis ca-
niculis (de-
gacitas)

annonæ
difficultas:

cinismo ali-
quos ad
conspira-
tionem adi-
git:

eius histo-
ria:

Qq 3

cula

tula murosque expugnare, alioquin difficile, vel parum illis proderit saxis potiri, si rebelles sint voluntates. Ne vero praeclarus hic Révay conatus, incerta fide, & euentu, apud coniuratos interrumpatur, praemis, ac muneribus illos obligandos primum iudicavit. Arcem igitur suam Sklabinia, cum bonis omnibus, quae possidebat, illis, eorumque heredibus, firmis hypothecis, ac instrumentis obligauerat, si res felicem euentum habitura fuisset. Consenserunt his Budae, plerique alii, Petrus Palezan, Georgius, & Thomas Bornemilza, qui opera, ac studio Révay persuasi, praeclaro hoc opere, & nomen in Hungaria bonum se conseruatos, & a iugo Turcarum vindicatos, de omnibus rebus ita conuenerant, ut tessera certa data, tempore nocturno, Hungari, occulta porta, aditu patefacto, in urbem immitterentur. Iam prius consilium hoc, duci Rogendorffio, Révay aperuit, de modoque conuenerat inter ipsos, ut non nisi sua, & Hungarorum opera, in aditu porta, & urbis ureretur, tanta animi fiducia, ut aius meus, patrem meum Michaellem Révay, Rogendorffio, veluti obsidem patranda facinoris relinqueret. Verum, Rogendorffius, ne gloriam, pulcherrimi facinoris, suae genti praeceptam, Hungaris traderet, mutato (ut refert Iouius) Révay consilio, contra fidem ipsi datam, delectas quatuor Germanorum cohortes, silentio, ad portulam praemisit, Condæ filio, cum ala Germanorum equitum, in statione collocato, quo facilius maiori porta patefacta, in urbem inducerentur. Bornemilza cum sociis, magno fidei & constantiae argumento, secundum consilium cum Révay initum, portam aperit, ac magna ex parte suspensis vestigiis, cohortes Germanae introducta, tesseram, de qua conuenit, requirit, praecipueque nomen Révay, intensa voce ingeminat. Cui, cum non nisi Germanico fremitu, ac ignota voce responderetur, subita animum occupavit formido, cum ob id, quod se fraude circumuentum animaduertisset, tum, quod transactionis cum Révay factae ignarus, nihil ex composito facere, ac definito ordine, praescripta urbis loca occupare, nec fortiter ac animose agere videret. Dum interim Budenses excubiae, leui incessu, armorum strepitu, accensisque sclopetorum funiculis, cognito hoste, ad arma conclamant. Germani metu, & consternatione animorum summa comprehensi, retro ad portulam regressum slectunt, audacissimique illorum, qui primi erant in ingressu, ultimi in angusto exitu, trucidantur partim, partim capiuntur, superuente Urbano Bottiani, & Vichio, cum copiis, qui vigilis dispositis praerant. Ac iam luce orta, subita reginam, ac dutes ipsius consternatio inuadit, habita de sociis Bornemilzae coniurationis quaestiones (nam ille inter primos euaserat) extorta totius conspirationis serie, ac ordine, diro supplicio afficiuntur. Révay, cum Bornemilza, spe sua frustratus, non iam aduersam sociorum sortem, quam fortunam urbis miseratus, ac Ferdinandi optimi principis conatus, una ducis causa elusus, deplorabat, ac detestabatur. Ipse quoque Rogendorffius, sero fidem suam, & consilium a Révay speratum damnans, a Solymano magna, totius exercitus strage profligatus, magnoque Ferdinandi damno, ac dedecore pulsus, Samariae moritur. Hac ille. Neque

vero.

vero, inconscio, vel inuito FERDINANDO, hoc, quidquid erat molimini ardui, a Francisco, susceptum fuisse, e litteris, quas ad eum benignissimas dedit FERDINANDVS, addidimus. quae, siquidem eius sunt argumenti, ut regis optimi, pro salute Hungaria sollicitudinem, non vno testentur documento, interserendas isthic censuimus, ea fide, qua nobiscum sunt (s.) communicatae. Sunt autem istiusmodi: FERDINANDVS, „ Diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, Hungariae, Bohemiae &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriae. Magnifice fidelis dilecte! Accipimus literas tuas, datas ad XV. diem huius mensis, & simul audiuius ea, quae nobis Vice-Comes tuus Turócziensis, coram diffuse exposuit: vnde te diligentem esse in rebus nostris, plane cognouimus. Antequam autem ad eam Vice-Comitis tui relationem nosmet resolucremus, venit sub id tempus ad nos seruitor supremi commissarii expeditionis nostrae, Magnifici Vilhelmi Baronis in Rogendorf & Mollemburg, qui nimirum seruitor recens apud Te, & Sptem ac Magum Petrum de Perén Albæ se fuisse ostendit, cumque literas, quas ad nos habebat, reddidisset, declarauit nobis accurate, quae Emericus Bebek, nomine Reginae Isabelae viduae, tecum, ac cum Petro Peréni tractauisset, ita, quid ipsa Regina statutum prorsus haberet, oratores suos, vltioris tractationis causa, ad nos expedire, peteretque ob id literas saluiconductus: quibus habitis dicti oratores sui, subito ad nos essent accessuri. Ea propter, mandauimus iam praefato supremo commissario expeditionis nostrae, ut petitas literas saluiconductus, quam primum expediendas & transmittendas curaret, quo, ne hac quidem in parte, pro communi bono, proque ipsius etiam reginae beneficio, difficiliores fuisse videremur. Quoniam autem tu vltro cum dictis oratoribus mittendis, te venturum obtulisti, gratum nobis est, teque, id ut facias, seu ut illos anteuertas, aut statim sublequaris, gratiose hortamur & requirimus. Quantum vero pertinet, ad inslitutas per te rationes, recuperandae, & ad nostram obedientiam deducendae Budae gratia, placent illae quidem nobis perbenigne, ac maiorem in modum, & quicquid ita, quo videlicet actualiter Budae, in manus nostras & potestatem veniat, nostro nomine promiseris, obtulerisque, id ipsum omnino adimplebimus, tuamque hac in re, fidem liberabimus, neque tibi illam, quoquo modo damno esse patiemur. duntaxat fac, ut coepisti, pergas, & quanto maximo potes studio annitere, ut captatis occasionibus idoneis, opportunis & conuenientibus, res illa feliciter ad effectum perducatur. Porro, in negotiis Praepositi & Capituli, ac item Ciuitatis Albenfis, denique & aliarum quarundam personarum, tuisque, videmus, te absente, nihil a nobis comunode agi; quare visum est nobis, illa in tuum usque aduentum reuocare, iisque tantisper interea superse-

„ dere;

1.) A MICHAELI DE REVA, L. B. & per-
petuo Comitatus Thuroczienfis Co-
mite, iam & Tabulae Regiae Bato-
ne.

„dere; quod tibi obiter etiam significandum duximus. Datum in
 „Nostra Ciuitate Noua Austriae, die XXIII. Mensis Ianuarii, Anno Dni.
 „M. D. XLI. Regnorum nostrorum, Romani XI. aliorum XV. FER-
 „DINANDVS. Ad mandatum Sacrae Regiae Mattis proprium. Tanta
 tunc, neque immerito, *Franciscus de Réva*, exultationis apud FER-
 DINANDVM fuit.

§. XXVII.

Ceteroquin, praesulit, infelix hoc *Rogendorffii*, praepesque, oc-
 cupanda urbis studium, calamitati, quae consequuta postea
 est, prorsus exitiabili. Praeterquam enim, quod hi, qui vr-
 bem *Révajo* tradendam sponponderant, exquisitissimis intus suppliciis
 adfecti sunt, extus, vix quidquam gestum est viriliter: dum inte-
 rim *Turca*, cum *Zápolitánis*, laturo *Budensibus* suppetias, sensim adpro-
 pinquarunt. Eo cognito, multum inter belli duces, diuersissimisque
 sententiis, certatum est, quemadmodum saluti exercitus, totiusque
Hungariae, ancipiti hoc rerum statu, consulendum esset. Fuere, qui
 traiciendum exultarent exercitum, in *Pesti* suburbana, obuiandum-
 que hosti, ante, quam positis castris, aggeres, ex more, possent
 moliri. Alii, atque hi potissimum, qui bellis Turcicis exercitatos se
 credebant, aucto, ad incutiendam formidinem, hostium numero,
 parcendum copiis rebantur, reducendasque ab obsidione, *Sirigonium*,
 egregio vti consilio, suadebant. Neutris *Rogendorffius* concessit. Er-
 go, persistendum iisdem in castris edicit, quod & tuto loco ad mon-
 tis *S. Gerhardi* pedem, marginemque Danubii posita crederet, & spe-
 raret, suorum obtutu, territum hostem, lentius rem gesturum, quod
 vtrumque tamen, aliter cecidit, quam opinabatur *Rogendorffius*. Ad-
 erant enim vero, *Turcae*, & quod nudam praesidio insulam *Csepel*, de-
 prehenderunt, insidendam, sine cunctatione, statuunt. Id, vt fa-
 ctum est, aggeres, locis opportunis, celeriter excitant, collocant
 per suggestus tormenta, annicam, *Naszadarum* classem, altius sub-
 ducunt. Res primum tormentis gerebatur, a quibus, sic satis instru-
 ctus fuit exercitus noster; sed, ingenti suo damno. Cum enim in-
 tra castra haeret, atque sola hac iaculatione, propulsari hostes posse,
 perperam credit deles *Rogendorffius*, tantum animi *Turcis* accessit, vt
 castris erumpentes, prolectare nostros in arenam, &, si qui occurfa-
 bant, manus cum iis conferere, pulchrum ducerent. Vix dies abiit,
 quin minutioribus istiusmodi praeliis, dimicaretur; at maiore semper
 Germanorum, quam hostium iactura. Felicius *Hungarorum* turmae
 congregiebantur, partim, quod leuioris erant armaturae, partim, quod
 vsu cognitum habebant, quemadmodum obuiandum sit, agili non mi-
 nus, ac versipelli hosti. Haec, in continenti fiebant: neque melius res
 in amne gerebatur. *Turca* enim, desidia Germanorum, e stationibus
 insulae, obseruata, habito consilio, adoriendos statuunt. Classem igitur

Calamita-
 tis isde se-
 quentia:

Turcarum
 suppetia ad-
 uenit:

nostrorum
 consilia:

Rogen-
 dorffii pra-
 postera do-
 sitiones:

hostes insu-
 lam Cse-
 pel insi-
 dens:

machinis
 & procur-
 sionibus
 infestare
 Casaria-
 nos:

tur expediunt, insigni *Lanischarorum* numero, nauibus sociis, addi-
 to, qui demum, propulsis, summa vi ac celeritate, nauibus, ante
Germanos adorti sunt, quam ad arma concurrere, struere ordines
 poterant. Sexcentos e nostris, subita ea adgressio, abstulit: reliquis,
 praecipiti fuga, intra castrorum munitiones, se conicientibus. Vbi,
 hoc Germanorum pauore, hostes, hic inconditum clamorem tollere;
 illic, geminare scloporum tormentorumque dislosiones; alibi, nostro-
 rum munitiones, factis cuneis, adgredi incipiunt. Res prope aber-
 rat, ab extrema nostrorum clade; quod tenebris tecti *Turcae*, impu-
 ne fere in occurfantes grassabantur; in castris autem, subita conser-
 natione perturbabantur omnia. Hoc saluti fuit laborantibus, quod
Marius Speciacensis, classis praefectus, *Eberstorffius* item, castrorum
 magister, cum classe annica, peropportune aderant. Hi enim, tan-
 ta vi in hostes, spoliandis cadaveribus partim, partim auchendis tor-
 mentis, distentos, incubuerunt, vt in naues alios reprimerent, alios,
 adcurrentibus *Hungaris* Germanisque, egregie mulctarent, acceptam-
 que cladem cumulate vlciscerentur. Nam, & strages in hoste edita
 est, acceptae illi suppar; & insula, cum tormentis, quae per munitiones,
 disposita habuere *Turca*, post acrem pugnam, nostris concessit.

§. XXVIII.

Felicio, his rebus, futura credebatur obsidio; sed frustra fue-
 re omnia. Praeterquam enim, quod dispositis passim excubiis,
 perpetuo adtuebantur copiae; non desinebant *Turcae* hinc, il-
 linc *Budenses*, *Valentino Török* duce, nostrorum stationes, quin ipsa
 etiam castra, infestare. Infederant monti *S. Gerhardi* *Pereniani*, vt,
 & castris essent praesidio, & nocerent obsessis. Id vero, haud feren-
 dum ratus *Valentinus*, subita eruptione, non modo praesidium inde
 deturbat; sed castra quoque, quae, ad aquariam vsque turrim fuerunt
 protensa, valida impressione, inuadit; perrupturus procul du-
 bio, nisi maioribus *Pestienfium* tormentis, plurimis suorum desiderat-
 is, in urbem fuisset repressus. Eo praelio, *Valentinus*, *Thomam Vax-
 cocium*, *Perenianarum* turmarum praefectum, fertur adclamasse, rogasse-
 que, vt nunciaret *Perenio*; parceret, subducto in tutiora exercitu,
 sanguini Christiano; aduentare enim beluam orientis, *Solymanum*,
 qui si adfuerit, vno ictu, exercitum omnem sit deglubiturus. Qui
 sane nuncius, eo valuit, vt periculi *Rogendorffium* admoneret *Perenius*,
 auctorque esset, vt quanto cyus, ab infesta obsidione discederet, ser-
 uaretque exercitum meliori fortuna. Sed ille, inconsulto *Ferdinando*,
 persistendum in obsidione ratus, sibi dedecus perpetuum, necem ex-
 ercitu, comparauit. Huc plerorumque omnium, *Perenii* potissi-
 mum, sententiae spectabant; vt superato, noctis beneficio, amne,
Pestum primo, tunc *Sirigonium* ducerentur copiae; *Pereniani*, ad suos
 mature abirent. Sed, nec quidquam profectum cum homine est, si-

nauali ad-
 gressione
 furantur
 nostri:

periculi
 magnitudo:

tandem
 vincuntur
 hostes.

Nibilo fe-
 licior op-
 pagatio:

Valentini
 Török e-
 ruptio:

denuncia-
 tio ad Pe-
 renium,
 d. Solyman-
 ni aduen-
 tum:

nec quid-
 quam opus
 Rogen-
 dorffium
 valuit:

uc, quod suspectam haberet *Perénii* fidem; siue, quod missum ad regem FERDINANDVM, *Nicolaum* Comitem *Salmensem*, prætolandum ante exillimaret, quam obsidione soluta, ducum sententiis obsequeretur. At enim, cum magis magisque, de *Solymani* aduentu, fama increbesceret, urgente metu, tandem cedendum necessitati, statuit. Consilii rationes hæc fuere, ut exercitu, ad traiciendum quadripartito, nocte, luna illustri, in obiectam ripam, transiretur: res omnis rite procuranda, *Georgio Varcocio*, & *Balthasari Puchaimio*, committitur; quam infelici successu, *ISTVÁNFYVS (t.)* doceat lectores: Danubius, „ inquit, ventis autumnalibus fluctuans, & nauigiis infestus, nec „ construendis pontibus, nec traiciendis copiis, commoditatem præ- „ buit. Nam, transcuntibus primis & secundis ordinibus, tanta vi „ intumuit, ut naues & tabulata, ruptis anchorariis funibus, irati „ fluminis impetu, confestim raperentur. Tametsi autem, ex vrbe, „ nauigia in vnum ordinem, transuerso fluuii cursu, disponi a nostris „ hominibus, eminus conspicerentur; nequaquam tamen nostros fu- „ gituros arbitrabantur: nisi id a transfugis quibusdam, ad *Monachum* & *Valentinum* se proripientibus, certius allatum esset. ab his, „ duo *Mabometis*, certiores redditi, totis pene copiis, ad oppugnanda „ nostrorum castra, contendunt: tormenta omnia prouehuntur, & truce „ vlulatu, ad stationes inuadendas, extemplo feruntur. Tum „ vero nostris, qui suos conatus, hosti haud cognitos esse exillimabant; quorumque haud mediocri pars *Pestum* transierat, „ & *Rogendorffio*, tum importune febris correpto, tum fatali casu, „ dum in tentorio litteras ad regem scriberet, alleris, tormenti hostilis „ impulsu, dissiliens fragmine saucio, animus concidit: nec ceterorum ducum vllum imperium fuit. Itaque, nostri illico, tam a „ *Gerardo* monte, quam superioribus castris, foede deiecti, præcipiti fuga dilabuntur, nec *Budenses* occasione desunt: sed, ab „ aquaria turri decurrentes, stationes desertas, coniectis in tentoria „ ignibus, incendunt. *Monachus* quoque, terrorem nostrorum, nouo „ terrore accumulans, feni & straminis acervos, qui ante stabula „ regia congesti erant, haud sibi importuno, sed nostris pernicioso „ admodum funestoque consilio, succendit, ut collucente flamma, „ *Germani* fugientes videri possent, sclopotorumque & falconum pilis, „ certius & crudelius sternerentur. Haud dissimiliter, a bipartitis „ *Turcarum* castris, insulaque *Cepellia*, & e classe, cui *Cassonus* „ trierarchus præerat, *Germani* pariter & *Vngari*, extremo pauore „ conturbati, & exanimis, destinatis ictibus petebantur. Classis „ *Germanica*, desperatis rebus, aduerso flumine, incolumis in tutum euasit, „ reiectisque hostibus, qui harpagonibus, & ferreis vncis, aliisque „ id genus, contis & armis, naues comprehendere conabantur, „ *Comaromium* versus, cursum tenuit. Copiæ terrestres captæ; aut ad „ inter-

soluitur
obsidio:ingenti no-
strorum
vlulatu:1.) Loco citato p. 278, 48. Adde, |
WOLFGANG. BETHLENIUM, Lib. III.

p. 128. seq. ad an. MDELI.

„ internecionem castræ deletæque sunt: exceptis iis, quos ad seruitu- „ tem robur virium, aut ad spem libidinis, honestus elegansque vul- „ tus, conseruauit; atque iis, qui abiectis ad terram armis sese, ut „ vitam, morte ipsa turpiorem seruarent, deditionem fecerunt. qui „ quidem, ad tria millia peditum Germanorum fuisse dicuntur, quos „ ad montem Sancti Gerardi fugientes, & conglobatos, circumfusi „ hostes, veluti indagine clausos, oppresserunt. *Vngari*, quamuis ma- „ gna ex parte, variis in locis cecidissent, plures tamen a *Budensibus*, „ & *Valentini*, ac *Monachi* equitibus, a *Turcis* redempti, conseruati- „ que fuere. *Perénius*, cum parte suorum, *Agriam* peruasit, cum „ *Varcocio*: parum tamen absuit, quin ab insequentibus hostium equi- „ tibus, caperetur: amisit autem in fuga, aliquot ex suis. Hic fuit, „ operosæ, an desidiolam potius dixeris, obsidionis euentus, tristis „ oppido, rebusque Christianorum, extra modum perniciosus.

§. XXXIX.

PAUCIS, neque inuenistis versibus, obsidionis historiam, *SCHESAEVS (u.)* complexus est. quos, ut in compendium mittamus, quæ dicta sunt hucusque, non piget illhic intertexuisse. Exorditur autem narrationem, a scelerum, quibus se contaminauerat *Budensium*, enumeratione:

Schesei, de
eade obsi-
dione car-
men:

Sic fato urgente supremo,
Aut hominum vitis, cladem fabricantibus vrbi,
Tantus erat luxus, petulantia fastus & ingens,
Si quis patrasset gyaris, & carcere dignum
Crimen Budensi, scelus admisisse latronis
Turpe, ferebatur vulgi fameque susurro.
Hic stupra, hic cades, hic furta impune vigeant.
Gentibus ex variis etenim confluerat illuc,
Fœda hominum illuuiæ, linguis diuersa modoque
Viuendi, fuerit Buda, ut sentina malorum.
Quæ & securi voces iactasse feruntur.
Tam validam muro, populis opibusque potentem
Vrbem, sub calo, que gens petere audeat armis?
Tanta vel est nobis, vel est pretiosi copia vini,
Si Teucrum veniant hostilia castra, sugari
Effuso possunt de mœnibus vrbs laccho;
Pocula namque horrent ore adtractare Lyæi.

Budensi-
um mores,
qui tunc
fuerint?

Ita mores *Budensium* Christianorum comparati erant, antequam a Germanis obsidione cingeretur vrbs, occuparetur a *Turcis* postea. Nempe, uti recte monet, idem Poeta:

R 1 2

Pra-

1.) Ruinarum Pannonicarum, Lib. I. versu 43.

*Præcedit tristes ventosa superbia casus,
Ut risus lacrymas, & gaudia vana dolores.*

Iam, ancipitis oppugnationis tragœdiam, quemadmodum decantet ille, audiamus.

ancipitis
obsidionis
tragedia:

*Ergo adit immensus Budensem exercitus urbem
Bohæmo constans, Moravis & fortibus Hunnis,
Huc prope tota suas misit Germania vires.
Acriter oppugnant validis conatibus urbem,
Mœnia tundentes obscura nube globorum,
Machina quos crebro vomit aenea, grandinis instar,
Tecta domus quoties, repetitis ictibus urget.
At Regina grauis dudum pertæsa laboris,
Semirutis cernens vix tingi mœnibus urbem,
Vtique animo fractus longa obsidione satelles,
Non tolerare famem, nec Marte resistere possit;
Quo Solymanus opem ferat obsidione grauatæ,
Orat. Mox Mehmet, collecto milite Bassa,
Obsessa centum cum milibus imminet urbi.
Cumque ipso numero maiore venire tyrannum
Feruidus in castris rumor vulgaret Alanis,
Dat trepidus tergum Germanus, ad alta Gerhardi
Culmina prærupti referens vestigia montis.
Proruit urbe cohors, Turcia socia agmina iungens,
Ac profugum inuadunt coniunctis viribus hostem.
Pars gladio periit, pars gurgite mersa profundo,
Dum superare studeat vicini littora Pesti.
Sed potior numerus, flexis post terga lacertis
Vincula crudelis subit imperiosa tyranni.
Quem tandem adueniens fera per ludibria Casar,
Ante oculos gladio iussit mactare cruento.*

Sed in orbitam redeamus iterum, urbis historiam, oppido funestam calamitosamque, prosequuntur.

S. XXX.

Buda, sub
potestatem
a Soly-
mano
mittitur:
rei gesta se-
rius:

AB ISABELLÆ præsiis, Buda hucusque tenebatur: nunc tandem, in potestatem Solymani venit. quod, quemadmodum gestum sit, fas est explicuisse, ut, vno quasi obtutu, conuersiones urbis omnes, sistantur lectoribus. Excuerat Solymanum, amittendæ Buda metus: quippe quam, acerrime oppugnari a Germanis, ex suis, didicerat. Varadinum iam, festinatis itineribus, ingenti cum exercitu accesserat, cum lætos accipit nuncios, reiectos non solum, ab obsidione Germanos, sed ingenti etiam clade adfectos, castrisque exutos esse. Quo intellecto, lentis itineribus, cum copiis profectus, vr-

9

hem tandem adigit, castra vero, ne contagionis quidpiam, contraheret, non apud subsidiarias copias suas, sed ad Veterem Budam metatus est. Hic, vbi quieti dies aliquot dedit, dolos, quos commentus erat, non tam explicat, quam exsequitur. Nimirum, ut sollicitam de se, ac tenello filio, reginam ISABELLAM, curis exoneraret, saltem redderet confidentiorem, donis primo regalibus exornat. In his, annuli, gemmæque immensi pretii fuere, cum bysso Babylonica, velando capiti, ornandoque reliquo corpori, adhiberi solita. Muneribus, preces, an imperia addita, vti, puerum regulum, cuius ipse patrem, fratris loco habuerit, ad se mitteret, pari, quo lobannem profequutus fuerat, benignitatis significatione, accipiendum; adessent simul belli duces, qui defensa, aduersus Germanos vrbe, laudem meriti sunt immortalem. Causarum, qui missi fuerant, hanc fuisse apud reginam, orationem, BETHLENIYS (v.) auctor est: *Filium, ad Solymanum mittere, cunctaque, sibi & filio, secunda atque optata sperare vellet: ea enim animi magnitudine præditum esse imperatorem, ut potest eum, qui reges omnes, non modo potentia ac fortuna, sed etiam pietate iustitiæque superet, ut puerum, quem semel paterno iure, tutela & amicitia dignum, eamque ob rem defendendum susceperit, comprobante id recenti victoria, non solum conseruatum velit, sed amplioribus regni prouincias adaugendum, in animum firmiter induxerit: proinde, cupere regiam sobolem coram intueri, agnoscereque paternam indolem, infantemque, manu sua, amplexandum tradere filiis suis, ut bene auspiciis renouate tutela inuicis, firma, & omnino immortalis, cum Ottomannis, amicitia fundamenta iacrentur; ipsam vero, filia ac nurus sue loco, incolumi dignitate, semper sit reputaturus. Quod autem ad præsens eam peramanter non salutauerit, prohiberi eum hoc humanitatis officio, Ottomannorum institutis, quibus principes suos, ad alienas mulieres, sub aliena tecta intrare vetuissent, persuasum habeat. Porro, Solymanum, non esse usque adeo honesti decoris inscium, aut oblitum, ut socii benevolentissimi-que regis filiam, eandemque clientis & amici sui viduam, & in similem, regia maiestatis spem, crescentis pueri matrem, atate formaque florentem, in castra, atque adeo, in intimum tabernaculum admitti patiatur, ne integrum pudicitie eius nomen, quod in reginis, unica ac tenerrima cura est tuendum, ullis suspicionibus inuoluatur. En bona verba! sed, quæ euentus fecit longe omnium funestissima. Quid autem ageret regina, præcipiti adeo, in vtramque partem, benevolentia, circumuenta? Dicit ergo pro muneribus, verbis conceptissimis gratias; ac, tametsi filij, ad tyrannum dimissio, sollicitam redderet, postulanti tamen humaniter, eo minus negandum quidquam existimabat, quo magis aduertebat, præsentis futuraque, & suæ, & filij, fortunæ habitum, vnice ab eius pendere arbitrio. Itaque, regalibus instructum ornamentis infantem, carpento, cum nutrice, & honestissimarum matronarum comitatu, impositum, ad Solymani castra deuehi iubet. E-*

Solymani
erga Isabel-
lam, dolus
malus:

Causarum
ad eam ora-
tio:

regiam in-
fantem ad
Solyman-
um, mit-
ti poscunt:

Isabella
sollicitudo:

mittitur ad
Solyman-
um in-
fantem, cum
matronis
procuribus:

R r 3

pro-

proceribus, uti voluerat Turca, *Petronitzius*, *Georgius Monachus*, *Vrbanus Bottyán*, *Valentinus Török*, *Stephanus Verbóczy*, & *Iohannes Podmaniczky*, puerum comitati sunt. Aduentanti ad castra regulo, pratoriae cohortes, ad omnem ornatae luxum, ante munitiones extimas, occurrerunt, quo, intra medios ordines, placidissime, & sine militari fremitu, cum comitibus, accepto, ad *Solymannum* ibatur. Huc, ut ventum est, facta intrandi, intra velum, potestate, cum *Petronitzius*, demum nutricis vbiis, infantem, *Solymano* vellet offerre, is collo feminae, prorsus haesecens, vagitu tyrannum auersari visus est. Ergo, nutrix, tenellum ad Imperatorem detulit, quem ille, blandiuscule intuitus, molliter contrectauit, patrem se in eo contueri dictitans. Tunc, filiis, *Selymo*, & *Bajazeti*, amplexandum obtulit, addita cohortatione, uti fratris eum loco semper haberent. Simul haec dixerat, depromptos, e marsupio, plena vola aureos nummos, nutrici offert; sed inter comites etiam feminas, munera distribuit: proceribus inde, oppiparo conuiuio adhibitis. Fas est, ut *SCHEAEVM* audiamus iterum: quippe, interferentem rei gestae quidpiam, cuius haud meminerunt scriptores. Ita vero canit:

*Hac rabie (x.) Caesar, iubet, exsatiatus, ab vrbe
Ut proceres ducant picta ad tentoria regem.
Exoritur tota planctus miserabilis aula:
Edicto inuiti parent, pulchrumque puellum,
Cum miro ducunt ad Turcica castra paratu.
Hunc ubi conspexit Caesar Solymanus, in vlnas
Acceptum, blandis mox porrigit oscula labris
Atque ait: infantis generosa ex indole latus:
O formose puer nostri memor esto saueris,
Cum matura Tibi regnum porrexerit aetas,
Te mea in oblato descendet dextera regno:
Tantum fide mibi, mandataque perfice iussa!
Admonet & natos, Bayzeth Selymumque tenellos,
Hac rata porrectis, ut seruent fœdera dextris
Fama canit, puerum tendentem brachia, barba
Arripuisse comas, & demulsiſſe tyrannum.*

Prorsus, ac si pronum, in partes suas, *Solymannum*, infantili isthoc blandimento, sibi porro vellet conciliatum.

§. XXXI.

DVM haec in castris geruntur, plures Turcarum cohortes, vrbis videndae obtentu, manipulatim portas subeunt, & quemadmodum erant a purpuratis edoctae, sensim, neque aduertentibus ciuibus, passim conglomerantur, stationes, atque porta-

*) Trucidatas, in conspectu tyranni, captiuos meminerat.

portarum aditus, subito occupant. Ut portas inessas vidit *Lanitscharorum* praefectus, urbem obequitans, per praconem, publice seuerque edicit: *Solymannum* velle iubereque, ut cines, vniuersim omnes, arma, nihil cunctati ponant; adibus se suis pacati contineant; contraire ausi, vita mulcentur & opibus. Ergo, ne hiscere quidem ausa multitudo vrbica, arma ponit, neque iam de libertate, sed de salute, curam suscipit. Ad eum modum, metu perculsa, urbem, decem circiter *Lanitscharorum* millia, palam, & similia triumphabundis, intrant, atque hospitia, per ciuicas aedes, decuriatim capiunt. Tunc vero demum tyrannus, cum pacata intus cognouisset omnia, puerum regulum, eodem, quo aduectus fuerat carpento, ad matrem reuendendum curat; *Georgio Monacho*, *Petronitzio*, *Törökio*, *Verbóczyo*, atque *Battyánio*, apud se detentis. Conuocato dein purpuratorum comitio, consiliorum, defuncto regi, ab iis datorum, rationes seuerere exigit; sed nec criminationibus se abstinet, quod permiserint *Iohannem*, de regno, cum *Ferdinando* transigere, pangereque cum eo foedus: ex cuius rationibus, arma aduersum se, a quo regnum acceperit, tenebatur sumere. Collaudatos, contra ea, a *Solymano*, proceres, Poeta memorat:

*Post ait ad proceres, (inquit) gens o fortissima bello,
Vnquam cui similis toto vix exstitit orbe:
Quae toties nostris victrix occurrerit armis.
Laudo fidem vestram, & constantia pectora bellis,
Nulla cruentati quod vos fastidia, tanto
Tempore compulerint, hosti seruire superbo.*

Nimirum, deferbescente ira, mitius, cum iis locutum fuisse, apud *BETHLENIUM*, legas. Tandem, quum regina, viros, de marito suo, de se, de pupillo, & nuper admodum, de vrbe, egregie meritos, suppliciter, per *Rasthenem*, *Solymani* generum, repeteret, comiter respondet: *Non ita se fidem humanitatemque omnem exuisse, ut regina proceres, suae creditos fidei, per iniuriam contumeliamque, detinere velit; sed cum videat, Germanos, & regina insidiari; & puero, adhibuisse tantisper in consilium, ut cum purpuratis suis, in commune consulerent, resque pupilli, extra periculi metum, se moderatore, collocarent.* His dictis, dimisit optimates, *Valentino Törökio*, secum primo, in custodia demum, retento. Varia hinc consilia, tyranno suggestebantur a suis. *Iahoglis*, enim vero, *Belgradi* praefectus, compendio vtendum existimans, reginam ad patrem, in Poloniam ablegandam; puerum abducendum Constantinopolim, initiandum ritibus Mahomedanis; proceres, Hungariae quibus ferocior esset spiritus, cum arcibus suis, eliminandos, delendosque funditus; *Buda*, praefectum dandum e purpuratis, non tam acrem, quam moderatum, qui gentem, impatientem iugi, ferendo ei, condoceretur; denique, Hungariam vniuersam, in prouinciae formam redigendam esse, magna & ani-

accipitur a
Turcis ma-
gnifice:

Solyman-
ni in eum
benignitas:

Scheaei,
rei gesta
narratio.

Solyman-
ni edi-
tum:

vrbe occu-
pata remit-
titur ad re-
ginam in-
fanti; non
item proce-
res:

repetit eos
Mabella:

Solyman-
ni respon-
sum:

Valentini
Török cu-
stodia:

purpurato-
rum sug-
gestionis,
de porden-
da Hunga-
ria:

Vrbis san-
ctissima Turcis
inseſſa.

Rasthenis, in eorum rebus
mitte consilium: animi, & sermonis contentione, suavit: ne haberet necessum *Solymanus*, annuas expeditiones, ad quiritantis feminae preces, illuc, magno rei Ottomanicæ intertrimento, suscipere. Mitiora omnia *Rasthenes*, imperatoris gener, suggerebat: quippe, consiliorum summam, uti erat miti ingenio, ad loceri sui decus referens: nihil turpius, tanto principi, qui nullo unquam facinore famam contaminarit, prudentia autem, iustitia & clementia, reliquos omnes anteat, cuenire posse, quam si, præter ius & æquum, susceptæ tutelæ oblitus, feminae, iuxta & infanti, regnum abrogaret, foedaret tot victorias crudelitate, perderetque regionem, quam suo seruarit beneficio. Tandem, subductis consiliorum rationibus, cum *Rasthenis* has, decoras magis, mitioresque intelligeret *Solymanus*, reginae nunciat: *Budam se in sua potestate retenturum, dum pupillus adolesceret, euaderetque rebus administrandis idoneus: regina interim, Transiluaniam, & partes Hungariae, que a Temesváro, Cassoniam usque, hinc, pone limites Polonia, in Marmatiam protenduntur, consummato iure, capesseret; Georgio Monacho, Episcopo Varadiensi, prouti voluerat Iohannes rex, tutore uteretur, regni gubernatore; Petrovitzius, Temesváriensi præfectura, Verbóczius, pratoria dignitate, apud Budenses ornarentur; Valentinus denique Török, suam ipsius culpam uti lueret, honesta apud se custodia, detineretur. His, ad eum modum constitutis, diploma, per eosdem nuncios, reginae misit, aureis & caruleis litteris conscriptum. Iurisiurandi formulam id continebat, qua se, per omnipotentis Dei, & Mahomedis numina, caput item, ensisque suum, obstringebat; *Budam se, Iohanni Sigismundo, quam primum ad iustam aetatem adoleuerit, fide optima, redditurum.* quam tamen, homo vaferrimus, turpissime decoxit postea.*

§. XXXII.

Budam, hac rerum consensio-
ne, expilatam me-
morat
Scheffaus: **S**CHÆSÆVS auctor est, expilatam urbem fuisse, cum primum a Iannitcharis, occuparetur; quin, flammis quoque reclus subditas, memorat: quod apud scriptores alios non reperio. Ita vero carmen habet, dum capta a Solymano, insidenda urbis, consilia, expromit:

*Exaquata solo, disiectaque mœnia cerno,
Qua penitus nullo, reparare labore potestis,
Cum grauis instet hyems, proprius vosque urgeat hostis;
Nec sine magnifico sumtu, multisque periculis,
Per longinqua potest exercitus arua reduci,
Qui ferat auxilium pressis violenter ab armis.
Tutius est igitur, proprius si viribus urbem
Muniero, milesque meus trux arceat hostes.
Dixerat. Extemplo grex barbarus occupat urbem.*

Fit

*Fit fuga, fit clamor, vagus atria miles adeptus,
Obuia cuncta rapit, captaque licenter in urbe
Bacchatur, rabies ut quemque immanis agebat.*

Quæ sequuntur, *Coruiniana Bibliotheca* interitum deplorant:

*Hic & Coruini, totum cantata per orbem
Bibliotheca perit, non sacra volumina Patrum
Effugere rogam, serpens neque flamma pepercit
Caussidicis Baldi tricus, nil scripta Galeni
Huicce malo auxilii, medicamine plena tulere.
Eheu! quam multo parti sudore labores
Impensisque, una perierunt turpiter hora.*

clades Bi-
bliothecæ
Coruinia-
na:

Nescio, an huic conuersioni, interitus, celeberrimæ Bibliothecæ sit adscribendus. Nisi credas, fornicum aliquem; nam per plures dispositam fuisse, supra meminimus; exinanitum, librosque igni exustos, quod a barbara rabidaque gente, haud fuerat alienum. Quidquid eius sit, non caruit clade, uti urbs vniuersum tota, sic in primis *Coruinianus* iste, auro contra carior, thesaurus.

an huic
tempellati
adscribuen-
da.

*Sic antiqua ruit, multos dominatur per annos,
Vrgaria regum sedes, civilibus armis.*

§. XXXIII.

REGINA interim, fortunæ cedendum rata, gazam regiam omnem, sed & regni insignia, coronam, sceptrum, reliqua, diligentissime conuasat, seque ad iter comparat, Turcicam perfidiam, sero, & cum lacrimis, detestata. Inter curas præcipua fuit, ut recepto iam infante, *Törökum* quoque e custodia posset eliberare, futurum, scilicet, strenuum, pupilli, si euadere posset e vinculis, defensorem. Magnam, eo fini, regis supellectilis vim, inter purpuratos distribuerat infelix, nullo alio operæ pretio, quam quod, intemeratam, *Buda* decedere, Turcæ permiserint. Illud cecinit Poeta:

Regina dis-
cessit Bu-
da:

ois de eli-
berando
Valentino
Török,
carn:

*Rasthanum crebro tentabat munere Bassam
Flectere Regina, emolliret ut ille Tyranni
Successu inflatos animos, iraque tumentes,
Quo patria reddat vinculis herosa solutum.
Sed frustra! in ventum tentati abire labores.
Quæ lupus in vacuam semel ossa recondidit aluum
Illa per angusti sauces numquam egeret oris.*

Ceterum, *Valentini* hos carceres, *Georgii Monachi* consilio, an suggestione, procuratos fuisse aiunt. quippe, cuius sibi inuidiam collegerit, quando, feruente obsidione, redux e tumultuario conflictu, gladium manumque, multo sanguine madentem, reginae, adspectante

captiuitatis
causa:

simul *Monacho*, ostendens; *Horum*, inquiebat, *discriminum*, breui ego a regina premium expetam. Neque tamen *Solymano* causa defuere, cur aternis vinculis, virum acerrimum mandarit. Multis eum, & magnificis muneribus, *Mehmetes*, qui subsidio venerat obsessis, delinuerat, vt porro, pro virili faceret officium; cuius ille tamen immemor, hostem *Perenium* admonuerit, vt cessarent ab obsidione *Germani*, ni velint, ab aduentante *Solymano*, deglubi. Ergo, suspectam, animi ipsius mobilitatem, atque inconstantiam, habebat tyrannus, verebaturque, ne, compacta, ad has angustias, cum filio, regina, pro ea, qua erat, & fortitudine, & opum atque clientelarum copia, nouarum aliquid rerum moliretur. Singula carmine expressit *SCHESAEVUS* noster. quod vt exhibeamus, lectorum interest, eo quod rei gestae ordinem continet:

Schesaei in
eius rom
versus:

*Ille, (Török) prius Caesar, quam castra locasset ad urbem,
Ad Mehmet Bassa tentoria picta vocatus
Accessit, sumta fidei inuiolabilis arrha.
Eximias animi dotes in corpore pulchro
Heróis, Turci mirantur ad usque stuporem.*

Fuit omnino, & corporis, & animi dotibus, quas virtus bellica, & indomitus feruor comitabatur, insignis *Valentinus*; eoque ipso; inuisus Turcis. Postea, quibus a barbaro excultus fuerit muneribus, poeta memorat:

*Protinus huic Mehmet, pulchro iubet ordine duci,
Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, suluum mandunt sub dentibus aurum.
Quin & Sydonias chlamydes & cingula bullis
Aspera, gemmatasque togas, viridesque Smaragdís
Loricis, galeasque reidentes Lacynthís,
Nomine Casareo, verbisque hortatur amicis,
Teuctrum armis iungat socia arma, & strenuus hostem
Adiuuet amborum patrio depellere regno.*

His ergo donis irretitus *Törökus*; quum mandata se facturum, summa fide polliceretur; in miserabilem hanc se fortunam induit. Enim vero:

*Ille Scylha donis, & tanto latus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula voluit,
Miraturque, interque manus & brachia versat
Terribilem cristis galeam, flammisque vomentem,
Hastamque, & clypei non enarrabile textum.
Illecebris captus, fortissimus adnuit heros.
Heu! periura fides & corruptentia sensus
Dona, ligant homines, nodosa ut retia pisces.*

Pro-

Proinde, suae ipsius imprudentiae, au auiditati, tribuenda fuit, *Valentini*, quae sequuta postea fuit, captiuitas. Quin, & illud ad culpam eius referunt, cur eliberari e custodia haud potuerit, quod refert *BETHLENIUS* (9.): *Valentinus, tam legato Sigismundi, (Poloniae regis) quam Rasthene in eo eliberando, sedulo adlaborantibus, potuisset dimitti, nisi propria temeritate (quam ille eximiam reputabat animi generositate) sibi adtraxisset malum. Etenim, dum captiuus detineretur, non solum non negauit, quod ipsi saepius exprobrabatur, se de aduentu Solymani praemonuisse Perenium; sed idem se in posterum quoque facturum, pollicebatur, his verbis identidem repetitis. Quid nobilius esse potuit, quam nostrae nationis auxilia, quae cognationis & sanguinis, mutuaeque beneuolentiae necessitudinem includunt, externis vetisque hostibus subtraxisse, vt Germani minore nostrorum periculo vincerentur, illi vero clade crepti superessent, qui ad referendam, simili in casu beneuolentiam, insperati adeoque insignis beneficii memoriam, retineant? Atque sic sua peruitacia effecit, vt in carcere porro detineretur. Rasthenes, hoc solum reginae nunciauit, se daturum operam, vt ipsi, nihil mali eueniat. Et laute quidem in carcere tractabatur, non tamen prius ex eo dimissus est, quam exacto decennio, e consortio viuorum migrasset. Tanti est, fidem, aduersus patriam, contemnerat. ISRVANTIVS (2.) certe, Valentini sceleribus, & perfidiae, qua Hungariam persuaderat, tristem hunc exitum, nihil dubitat adscribere.*

Bethlenii
sententia

§. XXXIV.

HAec, anno MDXLI. fortuna urbis fuit, tristis oppido, atque multarum postea cladum, & occasio, & causa. Aegre, opulentissimae metropolis, iacturam tulit *Ferdinandus*. Ergo, anno, qui consequutus est, MDXLII. bellum, aduersus barbarum, decernit, magnum, ei fini, exercitum, idoneos item adparatus alios, cogit. *Budamque* in primis, extorquendam hosti, excelso animo, statuit. Erat in castris, praeter ingentem auxiliariorum Germanorum numerum, *Alexander Vitellius Taphernantes*, virtute, & bene gestis rebus, clarus dux, cum tribus Pontificiarum copiarum millibus. Huic *Angelus Medicinus, Mediolanensis*, postea factus Pontifex, pro quaestore adtributus fuit; *Iacobi Medicini*, classis Danubianae praefecti, germanus frater. Vt ergo, ad Viennam, coadunatus exercitus fuit, huc Italorum ducum sententiae inclinabant, vti *Buda*, ante omnia, obsidione cingeretur; eundem in bellum esse, ante veris initia, & priusquam Turcarum agmina, ex longinquiorebus Thraciae, & Graeciae hibernis, conuenirent; ex procliu capi posse urbem, eo quod, insini-

Quemad-
modum ut
bi iactu-
nam eale-
ris Ferdi-
nandus?

Huic ob-
sistente
confissa, ab
tanta sug-
gesta:

§ 2

9.) Lib. III. p. 140.

1.) Lib. XIV. p. 243, 20. vbi, quiquemmi

carceres, contra, quam est apud
BETHLENIUM, perpeffum, duriterque
fuisse habitum, memorat.

tus Turcarum numerus, graui oborta pestilentia, cum vrbs praefectis, ipsoque *Verbóczio* consumtus, multum ad occupandam vrbs, sit valiturus. Sed *Germani*, inquit noster (a.), *cunctatores eximii*, ac *Ferdinandi ipsius consilarii*, & *primores aula*, *lentioribus subnixi consiliis*, *salubria & perite oblata consilia*, *neglexerunt*; & dum exercitum, spe *Ferdinandi praesentiae*, de die in diem differendo, detinent; interea autem, ut per legatos bellum administraret, adulando, & *sinistris artibus*, aucupando, *funestis Ladislai*, & *Ludovici*, *Pannoniae regum*, *exemplis*, qui cum *Turcis infeliciter congressi*, in acie cecidissent, *persuadere nituntur*, *optima occasionis tempus praterlapsum*, *serius animaduertunt*. Atque, factum est omnino, *morosa hac cunctatione*, & *quae sequuta postea fuit*, *dissociatione consiliorum*, ut, tota eius anni expeditione, nihil praecleari editum sit facinoris. Nempe, erat hoc in fatis, ut ne *Buda*, e manibus hostium, elideretur, ante, quam satis, pro ea, & sanguinis profunderetur, & impensa. Inuat interim, excussisse causas, quae optimam, recuperandae vrbs destinationem, interuerterunt. Praefecerat, toti exercitui, *Ferdinandus*, & socii, *virum*, non vndiquaque *militarem*, *Ioachimum Marchionem Brandenburgensem*; siue, quod felici, aduersus *Solymanum*, *Köszegum*, *obsidentem*, expeditioni, qualicunque virtutis specimine edito, interfuerat; siue, uti re vera fuit, quod generis nobilitate praestaret, regioque cultu, & liberali splendore conuictu, tanti nominis decus, famamque, tueri posse existimaretur. Additi octouiri, togati ii quidem, sed qui rerum usu polerent, parum efficacis ingenii duci, a consiliis futuri. Hungaris, qui insignem equitum exercitum adduxerant; (quindecim fuisse milia, peditibus haud censis, memorant) *Petrus Perény*, iubente *Ferdinando*, imperabat: vir eius aetatis, potentia, clientelis, diuitiis, militiae item usu, vnus omnium nobilissimus. Sublatis, post diuturniorem moram, apud *Vindobonam* castris, lentis admodum itineribus, dextro *Danubii* margine, descendebatur. Ex proficiscentium ordine condiscas, neque militem, neque duces, bello defuturos fuisse, si par adparatu, ad obsidendam vrbs, voluntas *Ioachimo* obtigisset. Praecedebant, nimirum, triginta, lectissimae *Hungarorum* equitum turmae, ut locorum perite, infidias itinerum amolirentur. quas, *Vitellius*, cum *Pontificis* pedestribus copiis, *Sforciani* item equites, sequebantur. Hos, modico post interuallo, *Petrus*, quem laudauimus, *Perényus*, & *Andreas Báthory*, cum tribus magnis, validisque hastatorum alis, excipiebant. Succedebat *Iohannes Vagnadius*, cum *Styriae* & *Carinthiae*, legionibus decem, pari, scilicet, equitum peditumque numero censis. Inde, grauis armaturae *Germani* equites; post hos, peditum phalanx, quadratis agminibus, proficiscebantur; tormentis currulibus, & adparatu bellico alio, proxime subeuntibus. Vniuersum agmen, *Marchio Brandenburgicus*, cum praetoriana suorum legio-

a.) ISTVANFFYVS Lib. xv. p. 247. 30.

legione, ad omnem instructa fastum, claudebat. Modica, in dies singulos, itinera, seruato perpetuo ordine, conficiebantur; neque discessum a *Danubio* vnquam: quippe quo, & commeatus, & nullum non belli instrumentum, a *Iacobo Medichino*, deuehebatur. His ordinibus, antequam *Strigonium* ventum esset, rumor vulgo percrebuit, *Solymanum*, cum ingentibus copiis, *Buda*, suppetias venturum. quae res, sicuti *Germanorum* animos, metu perculit; ita, prorsus confuditrationes consiliorum: vbi, quaque destinatione, bellum esset faciendum. *Perényus* auctor fuit: abrumpendam moram, castra quantocyus *Budam* promouenda; *Turcas* praesidiarios, cum praefecto, & ducibus, pestilentia sublatis; nondum noua accessisse auxilia, neque metuendam maioris vim expeditionis; milites suos, magna esse animorum alacritate, & plenos bonae spei; maturarent igitur profectionem duces. Adprobat saluberrimum consilium, *Medichinus*, classis praefectus: quippe qui, de *Buda* habitu, praesidiariorumque paucitate, explorata habebat omnia. Eiusdem sententiae, *Vagnadius* quoque, & *Austriacarum* copiarum duces fuere: petendum, damnata mora, regni caput; ponenda in conspectu vrbs, castra; vtendum calore militari. Sed *Ioachimus*, cum octouiris, in diuersa abibat consilia. Traiciendum ille *Danubium*, atque oppugnandum *Pestum*, nec quidquam contracuntibus *Hungaris*, ducibusque aliis, decreuit: a *Varcocio*, & *Othone Fofisco*, in cas consilii rationes, uti ferebatur, inductus; ut capto, leui labore *Pesto*, miles, eo successu ferocior factus, tanto demum maiori virium contentione, fiduciaque sui, ad oppugnandam *Budam* deduceretur. Quae res, quam male ceciderit, non est iam opus recensere: quippe quum, ad *Pestum* (b.) prolixè satis expromissimus. *Budenses* certe, dum nostri ad *Pestum*, & tempus deterebant, & copias, subinde, destinatis tormentorum iactibus, obsessos, adiuuere: decedentes autem ab obsidione *Germanos*, etiam clade adfecturi fuerant, nisi *Vitellii*, *Perényanorum* item, & *Saxonum*, quos *Mauritius* ductabat, virtus, ferociam adsilientium retudisset. *Perényo* interim, infelix haec expeditio, liberratis iactura constitit. Captus enim a *Ioachimo*, & criminis, sustaminatarum destinationum, insimulatus, inque carceres perpetuos detrusus, liberari nunquam potuit. (c.)

§. XXXV.

Præsenti adeo periculo, curisque exonerati *Turcae*, prorsus sibi vrbs adseruere. Atque abierunt sane, anni sexaginta, cum *tuta Budensibus* erant omnia. Praeter velitationes enim, hinc illinc, ex more eius aetatis, institutas, vix quidquam, dignum memoratu, reperio. Hoc mirere, & tunc, cum maxime tyrannis vrbi

S s 3

domi-

b.) Historia Vrbs Pestensis, Cap. II. §. IV. | c.) ISTVANFFYVS, loco cit. p. 253. seq. & v. eodem hoc Tom. III. p. 62. sequ.

irrita red-
duntur a
Germanis:

quom ob-
tinet:

itur in ex-
peditio-
num:

profectionis
ratio:

rumor, de
Solyman-
ni aduoca-
tu, turbat
nostrorum
consilia:

Pestum
obsiden-
dam decer-
nitur:

casata in-
rivo:

Perényi
captiuitas.

Qua hinc
fuerint vr-
bis fata:

dominabatur, non desuisse ciues Christianos, qui isthic colerent, ferrentque iugum barbaricum, multo, quam reris, patientius. Alioquin, acce semper Budæ præsidium inerat, præfecti autem omnium, quos Turcia habebat, purpuratorum, & sagacissimi, & fortissimi: quod ita requirebat, loci, ad infestandos Christianos opportunitas. In his, *Balim Epirotam* censueris, qui arce *Naua (d.)*, Moreanorum latrociniorum insigni perfugio, expugnata, præclarum bellicæ virtutis documentum exhibuerat. Eo, *Albam Regalem*, nuper interceptam, translato, *Mabometes Labiogles*, a victore *Solymano*, anno MDXLIII. isthic, cum imperio relictus est. Hic ille *Mabometes* est, qui anno MDXLIV. operosa obsidione, *Vissegradum (e.)*, atque deserentibus nostris, *Neogradum*, *Hatzvanum*, *Osoram*, *Simonytorum*, & *Dobrogostum*, interceptit. Post cum, *Halys Eunuchus*, Budæ non minus, quam toti, ea regione, prouincia, moderabatur. qui a *Solymano*, anno fere MDL. ex Persico bello, huc excitus, rebus Christianis, ultra modum grauis ac perniciosus, existit. Clades sane, ad obsidionem *Szegedini (f.)*, nostris illata, in eius facinoribus referenda; quin & maleficium, quo *Veszprimienses* circumuenti sunt, eius dolis, atque crudelitate, procuratum est: vt *Dregelem*, *Szetsenum*, *Hollökönm*, *Bussam*, *Gyarmathum*, *Salgonem*, *Bujacum*, *Sagumque*, ductu partim, partim auspiciis *Halys*, nullo fere militari labore, immo vnus ætatis, voluptaria quasi deambulatione (g.), occupata, sileamus. In præcipuis, *Halys Eunuchi* actibus, profligatas *Erasmii Tauffelii* copias, retuleris. De hac eius expeditione *ISTVANNIUS*: *Eunuchus*, inquit, *ingenti parte victoria*, ac tormentis omnibus, vexillisque & impedimentis hostium, potitus, cum captiuis, quorum quatuor millia fuisse ferebantur, lentis passibus Budam reuersus est, ingressusque urbem, triumphanti similis; captiuos, in ordinem aciemque compositos præire, *Taisalumque ipsum*, equo insidentem, tympanistis & tibicinibus ac fistulis pedestribus precedentibus; moreque suo canentibus, cum præcipuis captiuis, in forum perduxit, ceterisque sub hasta venditis, *Taisalum*, cum aliquot captiuis, ac XL. signis & capitibus præcis, *Byzantium misit*, *Sforcia sibi retento*. Refert hinc, diuersa *Sforciae*, & *Taiselii* fata. quorum iste, quod ducem belli se fuisse, constanter distiterat, ab irato *Solymano*, culeo insutus, & in Bosphoro demersus est; ille contra, nondum vertente anno, octodecim millibus aureorum redemptus, ad suos incolumis rediit. *Tanta*, memorat porro historicus, *mancipiorum Germanicorum*, *Buda & Pesti*, *vilitas*, tam exile pretium fuisse fertur, vt vnus, modio *bordei*, vel *farinae*, aut *hemina mellis butyrique*, *uenisse diceretur*. Ita tunc *Buda*, nuper regum sedes, atque totius regionis, ornamentum, in officinam calamitatum Hungariæ, tragicumque theatrum, abierat. Sequuta hinc *Szolnoci (h.)* obsidio est, quam

d.) Obsidionis historiam, habes apud *ISTVANNIUM*, Lib. xv. p. 257. 26.
e.) Idem Lib. xvii. initio.
f.) Prolixè rem *ISTVANNIUS*, Lib. xvii. p.

317. seq. Breuiter *BETHLEMIUS*, Lib. iv. p. 180. seq. narrat, ad annum MDLII.
g.) Ibidem Lib. xviii. p. 330. seq.
h.) Idem p. 348. 21.

coadunatis, cum *Achomate*, copiis, *Halys*, non minore felicitate, susceperat. Namque, præsidariis, muliebri metu dilapsis, captoque *Paullo Nyario*, arcis præfecto, excitatum nuper a *FERDINANDO* munimentum, sub *Turcarum* potestatem missum est. Ac dedisset profecto, multo plus cladium, ferox, his successibus, *Halys*, nisi, quam in arbitrio suo, habere se putabat, fortunam, nouercantem ad *Agriam* fuisset expertus. Adhæsit enim non tantum, elati hominis felicitas, in eius arcis oppugnatione; sed conuersa etiam est penitus; quando, militari signo amisso, & plurimis suorum desideratis, soluta obsidione, inglorius, *Budam (i.)* redire cogebatur.

§. XXXVI.

Iam legationis eius (k.), quam cum *Verantio Strigoniensi Archiepiscopo*, & *Francisco Zaio*, obiit *BVSBECKIVS*, ne nobis essuat e memoria, habenda mentio est; tum, quod annorum, qui MDLII. exceperunt, habitum expromat, tum, quod condoceat nos, quem admodum res, non barbarorum tantum, sed vrbis etiam fuerint comparata. Nemo vero *BVSBECKIO*, rem omnem, siue adcuratius, siue latinius expresserit; vt proinde, pulchrum ducamus, eius verba nostra facere. Et aduentum quidem, ad urbem, sic (l.) meminit: *BUDAM venienti, pauci Turca ex eo genere, quos Chiaulos vocant, obuiam fuerunt. hi vicem accensorum, apparitorumque implent, & mandata pleraque omnia, seu principis Turcarum, seu Bassarum serunt. estque in primis honorificum apud eam gentem officium. Deducor ad ciuem Hungarum in hospitium: ubi sarcinis, curribus & equis melius, quam mihi fuit. id enim in primis cura habent Turca, vt equi, currus, impedimenta in tuto sint: hominibus, extra cali iniuriam, cetera satis consultum putant. Misit ad me Bassa, qui viseret & saluaret. is Tuigon vocabatur nomine, Turcarum sermone, illi, cum ticonia communi. per eum excusari volebat, si diebus plusculis aditum non daret, quod graui morbo detineretur: simul conualuisset; operam mihi daturum. Casus hic effecit, ne mora Palinai quid adferret incommodi, neue grauiori culpa imputaretur, qui quidem summa vsus diligentia, ne sero veniret, haud multo post, adfuit. Bassæ morbus diu me Budæ detinuit: quem quidem, ex animi agitudine, accepto de grandi pecunia, quam nescio, quo loco, condiderat, furto sublata, nuntio, contraxisse credebatur. adtentior enim ad rem, pene sordidus vulgo audiebat. Ita tunc erant animati Turca aduersus Christianos; vt, quacunque se dabat occasio, remoram iniicerent rebus, etiam maxime arduis. Illud, quod memorat pollea, & periculi habuit plurimum, & cum bene cecidisset, permultum commodi. Inter cetera vero, inquit, cum medicum habere me, Guilielmum Quacquelbennum, virum, cum in omni philosophia versatissimum, tum artis medici-*

Legationis
Busbeckianæ
historia
Budea-
sis:

quemad-
modum sit
Budæ acce-
ptum:

solicitudo,
in quam,
ex morbo
præfedi,
& medici
adhibita,
conuictio
fuit:

i.) Inibi p. 348. 21.
k.) Dedimus historiam, Tomo I. p. 487. seq.

l.) Legationis Turcicæ, Epistola I. p. 15.

na scientissimum intelligeret: magno a me conatu cepit contendere, ad se ut mitterem, qui sibi medicinam faceret. concessi non difficulter. sed nihil propius adfuit, quam ut me huius facilitatis peniteret. cum enim Bassa morbus indies ingrauesceret, neque citra mortis periculum videretur agrotare: non parum verebar, ne, si ad suum Mehemetem migraret, Turca, a meo medico interfectum calumniarentur, ex quo, bono illi viro, periculum crearetur; mihi vero, veluti conscio, magna parata esset infamia. sed hac me cura, Bassa sanitati reddito, Deus liberavit. Atque, est omnino, prona, ad male suspicandum, gens hæc barbara, illic potissimum, cum de vita, & huius salute, agitur. Relatum accepi, ne id quoque sileam, ab amico, ex Asiatico itinere, amissis duobus comitibus, feliciter reduce, quid sibi, sociisque, medicinam facientibus, Constantinopoli acciderit. Pessime habebat Muphtius, an huic dignitate proximus, Turcicæ impietatis administer quicumque alius. Medicos Christianos, passim in vrbe magna efficacitate ægris medentes, festinato accessi ad se iubet, venientibus, morbi causas, & ingenium, explicat, medicinam, cupidius, quam salutarius, poscit. Aduertere boni illi, funestum morbi exitum fore; ne tamen nihil consuluisse agroputarentur, puluerum aliquot portiones, mitigando, quia tolli nequiverat, malo, admetiuntur; modum, quo iis uti debeat, ipsi comonstrant. Abit forte biduum, cum in deterius ruit morbus; morte ante consequuta, quam deglubuisset medicinam. Conclamat familia, & vxor maxime, venenum marito, a medicalis Christianis propinatum, quo sit e medio sublatus: curritur ad prætorem vrbicum, deponitur, tanti sceleris poena. Et, male profecto, mulctati fuissent, medicorum hi filii, nisi rector mens prætori contigisset. Quarenti enim, quid rei propinassent ægro? responsum est: pulueres fuisse rubellos, quorum pars maxima superstit adhuc. Vfus, ea confessione, prætor barbarus, secreto conclauis, accusatos concludit, pulueres, qui superabant, adspectante adparitore, vorare iubet; certo persuasus, fore, ut, si insit venenum, enecentur malefici; sin nihil sit eius rei, mansuros viuos non tantum, sed infantes etiam. Quod & ita euenit. Cum enim dies aliquot, sollicitè custoditi, non modo non emorerentur; sed vigescerent etiam, recte facti conscientia, dimissi sunt a prætore, criminis scelerisque, cuius arguebantur, puri. Sed, in legationis mentionem redeamus.

§. XXXVII.

Ianitscharos hinc, BVSBECKIUS describit, primo omnium, Bude sibi visos. Bude primo mihi visi sunt Gianitschari (m.). Sic Turca pratorianum peditem vocant, eorum, cum plenissimus est numerus, rex

m. Legebantur olim IANITSCHARI, plerumque ex his, qui Christiano sanguine

fuerunt sati; in primis tamen ex Turcis. Sunt autem præcipue trium ge-

rex Turcarum habet XII. millia per omnes fere eius imperii fines, vel presidio, munitionibus aduersus hostem, vel tutela Christianis Iudeisque, aduersus iniurias multitudinis futuri, sparguntur. neque nullus est paullo frequentior pagus, municipium, oppidumue, in quo non sint aliquot Gianizari, qui Christianos & Iudeos, reliquosque opis indigos, ab improborum petulantia, defendant. Budæ in arce, perpetuum Gianizavorum presidium est. Vestitu vtuntur, ad talos demisso: capitis tegmen habent ex penula manica (nam inde ut ipsi memorant, duxit originem) cuius parti caput insertum sit, pars retro propendens, cernicem verberat: a fronte surgit oblongus argenteus conus deauratus, gemmisque elaboratus, sed vulgaribus. Hi Gianizari, fere bini ad me veniebant. ubi in coenaculum erant admissi, capite demisso me salutabant: inde prope & pene cursim accedentes, vestem mihi, aut manum, veluti deosculaturi, tangebant, fasciculumque hyacinthorum, vel narcissorum obtrudebant: & mox, pari fere celeritate, recessim ad fores, ne mihi tergum obuerterent, regrediebantur. id enim institutis eorum habetur indecorum. ibi, summa cum modestia, compositis ante sinum manibus, terramque intuentes, taciti adstabant: magis, ut in iis monachos nostros agnoscas, quam milites. ubi vero nummulos aliquot, quod unum captabant, acceperant, inclinatis demuo capitibus, attisue clara voce gratis, omnia sancta precantes ominantesque, abibant. Et sane, ni Gianizaros esse premonitus fuisset; monachorum Turcicorum genus aliquod, aut collegii, nescio cuius, sodales esse, facile credidisset. hi tamen illi sunt Gianizari, qui tantum terroris, secum, quocumque circumferunt. Neque, didicit peruersissimum genus, atrocitati, blandimenta, eo potissimum loco, intermiscere, ubi, vel minima, aucupando lucello, spes se ostendit. Quod de perpetuandi libidine addit BVSBECKIUS, quia contrait institutis Alcorani, & habet ridiculi quidpiam, silendum non est: Erant Budæ, frequentes mecum in caena Turca, vini dulcedine illecti. cuius, quo minorem habent copiam, eo sunt avidiores, eoque largius se ingurgitant, ubi semel contigerit habere. in multam noctem fiebant inuitationes. post, ubi me ludi tadebat, surgebam a mensa, meque in cubiculum recipiebam: illi, quod vino nondum obruti, ire etiam poterant, tristes abibant; sed, mox puer aderat, qui nomine ipsorum rogaret, ut iis vini copiam facerem, scyphosque argenteos commodarem: velle, si permittam, in aliquo angulo, noctem potando extrahere. ego vero, quantum vellent vini, itemque vasa, qua petebant, iubebam præberi. illi, ante potandi finem non faciebant, quam meo sopiti, humi sternerentur. Vini potus, Turcis magno crimini datur: præsertim atate prouectioribus: in-

perpetuandi, apud Turcas, furua libido.

Tom. III.

T t

no-

netum: LIMITANET, qui in presidio collocantur; VAGI, qui, vel sunt viatoribus tutelæ, per itinera demonia; vel, si res ferat, sequuntur castra: denique, SOLACHI, siue SOLACI, milites pratoriani, custodie SVLTANI destinati. Ex his postremis, si virtutis militaris specimina ediderunt,

SPHIT, VLVSAGI, & SALVPHIARI, totidem equitum genera, delignantur, quorum illi, millenaria ala, dextrum; hi, eodem numero, sinistram SVLTANI, proficiscentis in bellum, locus præmuniunt; cum contra, Vlvsagi, verisque, corone instar, circumferuntur.

niores, cum maiore venia & excusationis spe, peccare consueverunt. Cum vero, non minores pœnas post hanc vitam, sibi paratas arbitrentur, si vini minimum biberint, quam si plurimum: ubi semel vinum gustauerint, potare pergunt. quod, veluti pœna iam commissa, peccent impune; ebrietatemque in lucro ponant. huiusmodi illi, circa vini potum, habent opiniones, & his etiam absurdiores. Vidi senem quendam Constantinopoli, qui, cum calicem sumisset in manum, ut biberet, magnos prius clamores edebat. Rogati a nobis amici, cur ita faceret, respondebant; eum, his clamoribus, commonitam velle animam, ut se reciperet in aliquem corporis angulum, aut prosus emigraret; ne rea fieret eius delicti, quod ipse erat admissurus, nec vino, quod infusus erat, pollueretur. Sic se habet religio, quam dolus Mahomedi sinxit, sustentavit peruersa, de rebus diuinis, opinio, dominandi libido, longe lateque propagauit.

§. XXXVIII.

Buda, quo fuerit, et atate, habita:

eius causa.

AVdiendus iam est BVSBECKIVS, quemadmodum eius ætatis Budam descripsit: id quod in primis adinet, ad urbis historiam. Iam vero, de ciuitate Buda, longum esset omnia dicere. ne plane taceam, dicam, quod satis erit, non librum scribenti, sed epistolam. Iacet plane Buda loco amœnissimo, fertilissimaque regione, in collis dorsum porrecta: ita, ut una ex parte vitiferi colles eam contingant, ex altera Danubium prætersluentem, & trans Danubium, Pestum, latissimosque campos, despectet. Locus videtur de industria, imperio Hungariz dilectus. Ea urbs, quondam splendidissimis optimatum Hungaria domibus ornabatur: que iam partim, aut conciderunt, aut crebro tibi sine suffulta, aduersus ruinam muniuntur. Habitatæ fere militibus Turcis. quibus, cum diurnum stipendium vita sit, nihil suppetit, quod tantis adibus sarcinendis, tegendis, impendatur. Igitur, num telum perpluat, num vitium faciat paries, non magnopere laborant; modo sit, ubi in sicco equum collocent, & sibi lectum sternant: qua supra se, nihil ad se pertinere putant, & quantamuis superiorem ædium partem, mustelis & muribus habitandam relinquunt. Huc accedit, quod instituti sūt Turci, ut ab adificationis magnificentia abhorreant: quod superbi elatique, neque se suo modulo metientis animi esse, iudicent, studere magnificis adibus, ut si quis sibi immortalitatem, & perpetuam mansionem, in hac vita polliceatur: se ita domibus uti, quemadmodum peregrinantes diuersoriis: in quibus, si sint a latronibus, a frigore, a sole, ab imbre, tuti, reliquas opportunitates non requirunt. Itaque, non facile, tota Turcia, quamuis magni, quamuis diuitis viri, paullo elegantius adificium reperias, vulgo, tuguria & casa habitantur; magnates, hortis student & balneis, & ut, pro multitudine familie, laxas habeant ades. Ceterum, ibi nec porticus luculenta, nec visendum atrium, nec aliud quicquam magnificum, aut admirandum. in quo eadem fere illis, que Hungaris est ratio. Excepta enim urbe Buda, & si vis, Paulonio, vix ullam, tota Hungaria, paullo

paullo splendidioribus adificiis constructam urbem, videas. Quam consuetudinem, ex vetustate retineri puto. Militia, & castris, & longinquis bellis assuetæ gens, adificandi curam neglexit: nec urbes aliter coluit, quam si mox relictura. En! desolata urbis, & causas, & habitum.

§. XXXIX.

REm, ab urbis præfecto, sic fatis inique, & cum eximia gestam fraude, memorauisse nunc iuuerit. Ad Bassam, vix tandem VII. Decembris a morbo confirmatum, introducitur: demulcemus muneribus: querimus, de insolentia & maleficiis militum Turcorum; repetimus, que contra fidem induciarum nobis ablata sunt. que se restitutum Regi meo, modo oratorem mitteret, per litteras receperat. Ille, nihilo leniores querimonias regerit, de damnis & iniuriis, quibus se a nostris affectum contendat. De locis vero, que reddere debebat, hoc se dilemmate tuebatur: aut non promisi, me quicquam redditurum, eaque de causa nec debeo: aut, si promisi, eo es iudicio, ut intelligas me, quod promisi, nec posse, nec debere præstare: mihi enim a domino meo, augendi eius imperii, non minuendi partes commissa: neque mihi licet conditionem eius facere deteriore; eius, non meum negotium agitur: quod visum fuerit, petere ab eo poteris, ubi ad eum veneris. Adiciebat, veluti pro corollario, non debere me sibi etiamnum, ex morbo languenti, longa, & inani disputatione molestum esse: quo, veluti iure dicto, ire licuit; re nulla concessa, nisi pactis induciis, dum esset relatum a Suleimanno responsum. Egregii, scilicet, pacis, & mutorum foederum, artifices Turce, semper habiti sunt. a quo ingenio, ne degeneraret, Budensis hic barbarus, cura ei opus fuit, & studio. Neque tamen nulla humanitatis edita ei significatio fuit, sicuti fatetur BVSBECKIVS: Animaduerti, cum ad Bassam introduceremur, manere apud eos, morem Romanum acclamandi, Feliciter! faustisque omnibus prosequendi: item, digniorem apud eos haberi locum sinistrum, nisi quid aliud obstaret: cuius rei causas afferunt, quod eam partem gladius honestet; & qui sit in parte dextera, quodammodo gladium habeat, sub manum eius, qui sinistrum latus claudit; ille vero, eum gestet liberum & expeditum. Rebus, ita Budæ, quantum poterat, transactis, comes meus ad Regem venertit. ego paratas, in Danubio, naues conscendo, equis curribusque, atque omni familia impostis. ita Belgradum, secundo flumine deportamur.

§. XL.

QUæ de Budensibus diximus hæcenus, varia sunt quidem, & abhorrentia a nostris moribus. quod iam, BVSBECKIO præunte, memorabimus, omnem feritatis modum excedit; ac fortasse fidem etiam, excellurum, nisi a viro graui & docto, qualis erat BVSBECKIVS, in litteras fuisset relatum. Redibat, nempe, pace, an in-

Res, quem admodum, apud urbis præfectum, gesta sit, Busbeckio:

honori, quilibet, que liqui- fatio, et tributa.

Barbara feritatis spoculatio, Busbeckio redacta, editam.

duciis confectis, bonus ille, *Constantinopoli*, deuoratisque, sexcentis itinerum molestiis, tandem *Budam* (n.) tenuit. Cum iam esset in conspectu *Buda*, veniunt nobis obviam, iussu *Bassa*, ex eius familia aliquot, cum plerisque *Chiaussis*; sed in primis visenda, iuuenum, in equis multitudo, propter nouitatem ornatus, qui erat huiusmodi. In aperto capite, quod eis plerumque rasum est, cutem, longa linea inciderant, cui vulneri plures pinnae cuiusque generis, inferuerant: ipsi, stillantes cruentis guttis, distimulato dolore, veluti sensus expertes, lati & bilares ferebantur. Ante me proxime, pedites aliquot ambulabant, horum vnus, veluti ansatus, submixis nudis brachiis, ingrediebatur, quorum vtrumque, supra cubitum cultello, (quod genus nos *Pragenses* vocamus) transfixum habebat. Alius, a superiore parte, umbiculo tenus, nudus incedebat. Sic scissa, duobus locis infra supraque lumborum cute, vt illac traiectam clauam, tanquam e cingulo, pendentem haberet. Alius, in vertice capitis, equi soleam, pluribus clavis fixerat. Sed id vetus erat, clavis ita cum carne coalitis, vt nihil mouerentur. Hac pompa, *Budam* sumus ingressi, & ad *Bassam* introducti. cum quo mihi, de fide induciarum, adstante *Sandao*, sermo prolixior. Consterat intra limen atrii, egregia illa, contemptrix doloris iuuentus, in quam, cum oculos forte coniecissim, quarit ex me *Bassa*, quid mihi videatur? recte, inquam, nisi quod illi, de sua cute faciunt, quod ego de mea veste nollem. nam, malim mihi seruari integram. Risit *Bassa*, nosque dimisit. Hem! generis humani probra, nisi praestigiae fuerint, quas incautus forte *Bvsbeckius*, spectarit. quod difficile est ad credendum. Equidem, sic opinor, *Masclagum* potauisse, prodigum, sui ipsius cruoris, genus, ex se quidem nequam, sed, vesana illa potione, iam etiam furens. Hæc, de *Buda*, ne siceremus, & res ipsa poscebat, & *Bvsbeckii*, qua est apud doctos, auctoritas.

§. XLI.

Haly demum, cuius supra meminimus, inter purpuratos maiores adscito, *Toigones* (o.) in praefectura *Budensi* successit. Vix ille magistratum eum adierat, cum *Hamsæ*, anno MDLIII. *Filekum* occupanti, opportunas suppetias administruit; vt ab his exordiis, felices in pollerum successus deduceret. Atque, erat omnino irrequietus *Toigonus*, nullam, tota circum regione, a bellis cessationem faciens. *Caposvárurum* enim vero, *Corothmam*, & *Babocsiam*, tamquam fulmine percussas, breui, neque operosa, anni MDLV. expeditione, occupat, exercitumque, pone *Szigethum*, *Quinqueecclesias*, atque hinc *Budam* reducit; ipso *Szigetho*, ex facili potiturus, si, quod suadebant duces reliqui, conseruato *Kerecsénio*, arcis eius praefecto, vim adhibere voluisset. *Toigono*, siue fati functo, siue trans-

Cassonus: lato aliorum, *Cassonus* (p.), *Solymani* iussu, surrogatus est. Prima

n.) Epistola iv. p. 295.

o.) *ISTVANIIVVS* Lib. XIX. p. 354, 30.

p.) *ISTVANIIVVS*, Lib. eodem, p. 370, 28.

is praefecturae *tyrocinita*, in eo posuit, quod, reducem ex *Polonia* *Petroutzium*, ita volente *Solymano*, suppetiis adiuuit. *Isabelle* certe factionem, tanto pertinacius sustentabat, quo magis *Turcarum* intererat, & *Transiluaniam*, diuersissimis studiis distingere, & *Hungarorum* illos confirmare, qui contraibant *FERDINANDO*. Excepit, in praefectura *Cassonus*, *Rusthanes*, iunior dictus; sed infelicibus auspiciis. Nam, *Sixonem*, oppidum haud inops, cum *Filekiano* praesidio, & contractis vndiquaque auxiliaribus copiis, adortus (q.) id fecit operæ pretium, vt exercitum fere omnem, absens amitteret. Hinc, *Ibraimum* iuniorem in praefectis *Budensibus*, ad annum MDLXII. laudari reperio (r.), eo cognitum, quod *Iohannis Sigismundi* molitiones, ad *Sathmárum* adiuuit. Inde redux, pestilentia, quæ *Budam* corripuerat, enectus, *Arslani* (s.) locum fecit: viro, oppido feroci, & rerum *Budensium*, egregie satagenti. Urbem certe amnicam, iussu *Solymani* (t.), muro, non eo quidem valido, sed idoneo tamen, ad retardandas impressiones, communiuerat. Dedit ingenii sui, peculiare documentum, *FERDINANDO* I. mortuo. Subinde enim, & crebris nunciis, & litteris missis, cum nouo Imperatore *MAXIMILIANO* (u.) expostulabat, de donis, ex pacis conditionibus mittendis, quæ is, seu facto neglexerat, seu studio. Fuit, in conslando, quam gerendo bello, felicior. id quod *ISTVANIIVVS* (v.), ad irritam *Palote* & *Veszprimii*, obsidionem, memoriae prodidit. Quæ res, infamiam non solum, sed exitium quoque *Arslani*, adtulit. Præterquam enim, quod abrogato eo, praefectura *Budensis*, *Mehmeti*, cum iis mandatis tradita est, vt strangulato *Arslane*, quaesiti occasionem belli, vlceretur; cum is quidem, fuga ad *Solymani* castra elapsus, & honori, & vitæ, consulturum se putat, paratam sibi necem reperit. Ita habet *ISTVANIIVVS* (x.): Venit in castra infelix *ARSLANES*, male ad *Palotam*, & *Veszprimium* gesta rei, ac false explorationis damnatus, quem aditu colloquioque prohibitum, *Solymanus*, ira percitus, ante pratorium tabernaculum, ex templo interfici iussit. *Mehmetes*, summæ auctoritatis apud *Solymanum* non minus, quam *Selymum* eius filium, purpuratus, *Mustapham* (y.) excepisse legitur. Insignem fecerunt, cum impressiones aliæ, tum *Kéküsana* illa, & *Divinensis*, quam intempestiua *Balassi* fraus (z.), magno Christianorum malo, accelerauerat. *Mustaphas*, inquit, purpuratus, cuius in *Balassium*, iam antea flagrantissimum odium erat, se dolo fraudeque petitum, delusumque dolens, ira simul & odio exacerbatus, vindicandum *Balassi* scelus, eumque arce deturbandum, decreuit: moxque, toto exercitu, ex sinuum praesidiariis, eoque cura *Aligbegi*, *Albensis* praefecti, cui ex re, nigro cognomen erat, tradito, vltimum

T t 3

tum

q.) Lege laudatum historicum, Lib. XX. p. 388, 46.

r.) Apud eundem, Lib. XXI. p. 413, 1.

s.) Idem p. 418, 37.

t.) *ISTVANIIVVS*, Lib. XXXI. p. 733, 26.

u.) Lib. XXII. p. 438, 49.

v.) Lib. eod. p. 464, 7.

x.) Lib. XXIII. p. 472, 9.

y.) Lib. XXIV. p. 522, 17.

z.) Lib. XXV. p. 545. seqq. De *Mustaphæ* vigilantiâ, insignè extat documentum, Lib. XXV. p. 554, 47.

Rusthanes:

Ibraimus:

Arslanes:

cuius fata:

Mustapha quibus rebus inclamavit:

Thermas,
& molas
instruit:

Rege-
phus, &
Ferbates:

notatur a
sua.

tum iniuriam preparavit. Tres, ea expeditione, nondum exactis induciis, arces interiere: *Kékó*, *Dróén*, & *Somoskó*; frustra postea, a Mustapha, Cæsaris iussu, per NICOLAVM ISTVÁNFYVM, Budam missum, repetita. Inter *Mustaphæ* opera (a.), quibus urbem excoluit, Thermæ fuere, & mola. Et thermas quidem superiores, quæ olim *S. Trinitatis* vocari consueverant, e scæto lapide, sumtuosissime instaurauerat, & plumbo, ac vitreis, supra laquearia, tabulis, curauerat contegendas: molas vero, circiter triginta, iisdem inædificauerat thermis. quæ, partim pulverem tormentarium contunderent, partim frumentum commolerent, subterraneo in urbem ductu, (qui anno MDCCCXIX. detectus (b.) & spectatus a nobis est) cum esset opus, inferendum. Cuncta hæc Asiatico instrui opere, & ad validi castelli modum, communitari fecerat. *Mustapham*, *Regephus* excepit; hunc *Ferbates*, magna in nostris edita strage insignis, quæ, qualis fuerit, prolixè ISTVÁNFYVS (c.) memorat. Sed, reddidere ei vicem cumulatissimam *Hungari*, ea clade, quam ad *Sixonem* (d.) oppidum accepit: dum *Ferbates* ipse, *Bude*, a suis, per seditionem (e.) occideretur. Necis causas, in hunc modum retulit historicus: *Gyumala*, inquit, & *Ianitsari*, ac *Bessia*, ceterique, qui stipendia merebant, quod statis temporibus ea non persolueret, ac moneta aurea & argentea, & rerum omnium pretium, summa militum iniuria, maxime intendisset, ac vilem pannum *Thessalonicensem*, oryzaque, & fructibus eius *Aegyptii* pulverem, qui tingendis croceo colore, equorum phaleris, in usu est, similesque mimutias, duplici eis pretio obtruderet, & ab eo conuento, nihil equi retulissent, ad arma conuersi, eum, multis illatis vulneribus, in ipso pratorii atrio, contrucidarunt: mansitque mors eius inulta, *Murate*, ob eam, in neminem aduertente. Atque hic quidem *Ferbatis* exitus fuit.

§. XLII.

Ignatio, a
Rudolpho
Constanti-
nopolim
missa t

RES locusque admonet, ut, quam RVDOLPHVS anno MDLXXIX. mense Octobri, Constantinopolim misit, legationem memoremus: eo quod, qui eam ligata oratione descripsit, HENRICVS FORSIVS (f.), itineris comes, *Bude* fata, breui ac scito carmine, decantauit. Orator, & huius, seu comites, seu collegæ, qui fuerint, (g.) ante omnia cognoscendi. de his ille:

Lam-

a.) Meminit eorum ISTVÁNFYVS, Lib. XXXI. p. 723, 13.

b.) Pes nempe montis, ad vulgarem iudicium ponendam, deradebatur, cum hiarus ille, cursuissime concameratus, se adaperuit.

c.) Lib. XXVI. p. 567, 32.

d.) Ibidem, p. 582, seq.

e.) Ibi p. 588, hæc.

f.) Fuit is Cæsari in Camera Aulica ab Epistolis. Scripsit itineris Byzantini Lib. III. Francof. a. MDLXXXIII. apud Vechelium for. 8. exculos. Hæc nostra leguntur, Lib. I. p. 4. seq.

g.) Nominantur in margine: PAVLVS ab EITZING, L. B. WOLFFGANGVS WILHELMVS L. B. ROGENDORF, & IOHANNES SIGISMVNDVS a GREISEN.

*Iamque aderat tempus solito pro more ferendi,
Annua ad Ottomannam Byzantii munera portam:
Cum tibi legati mandatur functio, WOLFI,
EITZINGAE, veteris præsulgida gloria stirpis,
Qui virtute genus decoras, fandi que lepore
Et grauitate vales, obeundo hoc munere dignus,
Te stipant comites frater, iuxtaque vetusta
Stirpe Rogendorfus genitus, spes ampla suorum:
Et pars Cæsarea non vltima Greiffus aule.
Ergo iter ingressi duce te decurrimus Istro.
Turritaque oculos sensim fugiente Vienna,
Prima nocte citi retinemur ad ostia Viscæ.
Alterâ Posonii statio, cui desuper alta
Imminet arx, latasque Istri despestat in undas.
Inde vagos cursus sinuanti flumine vecti,
Proxima Sabaria & Cituorum legimus arua.*

Hinc nauale, sextidui iter prosequutus, de BUDA succinit:

*Prouehimur, littusque Bude contingimus alta.
Exortoque die Basse comitamur ad ades
Legatum, qui cum mandata peregit, in arcem
Scandimus, egregiam quondam, nunc fulminis ictu
Fodratam lateramque intus: dehinc urbis cuntes
Per vicos, nostrum sero ad nauale redimus.
Fas urbis memoranda modo perstringere fata,
Postquam Rex letho perit Ludonicus acerbo,
Maiores regno motus ac bella relinquens:
Scepustus summas affectat Ianus habenas,
Impositamque capit primatum a parte coronam,
Legitimo at potior titulo pactique tenore
Ferdinandus, repetens armis sua iura, Ioannem,
Expellitque Buda capta, pugnaque cruenta
Deicit. Hic fugiens Polonica regna subintrat.
LASKE receptasti profugum, causamque tuendo
Hospitis, ad Turcam contendis nuncius aulam,
Restituique illum petis auxiliaribus armis,
Vota tibi cedunt, cedunt heu vota nefanda.
Nulla mora est, valido veniens cum milite Cæsar
Grassatur, stragesque edit, capit obuia, plebem
Abducit, potiturque Buda sine ciue relicta:
Arcem presidio munitam oppugnat, & actis
Disrupturus erat scrobibus, cum miles ad hostem
Re desperata dedendi pacta reserret.
Pacta probans Cæsar vitamque abitumque recepit.
Solutus abhorrebat placitis prefectus, & illos*

descriptio
Buda, ex
sua histo-
ria, peti-
ta.

Offici

Officii fideique monens, vincitur, & hosti,
 Mœnia panduntur. Comperto crimine Caesar
 Inuertit pactum, cunctosque occidit, at ipsum
 Nadastum vita donatum in tuta remittit.
 Inde Viennensi fœde obsidione relicta,
 Constituit regem Ianum, obstringitque tributo.
 Hoc quoque sublato satis, regnoque vacante
 Ferdinandus capit arma, parum cum iure valeret.
 Iam Buda oppositum, medio Istri flumine, Pestum
 Et Vaciam, & firmam sine vulnere ceperat Albam:
 Cum Regina Budam poscenti inimica resistit,
 Quae iam suppetias Turcam implorauerat ante.
 Ergo instauratur positis obsessio castris,
 Arxque diu grauibus tormentis quassa laborat,
 Unde nec effectus, fortuna sed absuit ausis.
 Nam conuulsa globis muri pars nocte patebat,
 Ingressumque habet, nisi nostri obstantibus umbris
 Cessantes, illis reparanda tempora molis
 Aptæ reliquissent, arcis spe deinde cadentes.
 Urbis item amissa est capiende occasio tuta.
 Porta vetusta fuit secretaque, prator ad istam
 Noctæ recepturum promiserat Vngara signa.
 Pacta Rogendorfus mutans submittit ad urbem
 Germanos, qui cum portam intrauere reclusam,
 Voce requisiti, se produnt voce: vidensque
 Se lusum prator subeuntes deserit: illi
 Ignarique loci & noctis per opaca vagantur,
 Pars ad castra fugit, pars intercepta necatur.
 Iamque propinquabat Solymani exercitus ingens,
 Castraque figebat non longe dissita nostris:
 Sæpe leues faciunt excursus, sæpe lacesunt
 Consiectus, multique neci traduntur utrinque:
 Cum tandem nostros, coniuncto robore noctu,
 Inuadunt Turci, sparsosque sine ordine cadunt,
 Diripiunt tormenta, ratesque in flumine mergunt.
 Ipse Rogendorfus castris subtractus, & agro
 Mærore exhaustus vitalem deserit auram.
 Quis cladem noctis, quis funera tristia fando
 Exprimat? Excuti castris, vitæque bonisque
 Constituere graui nostri in discrimine regnum.
 Pars aliqua est seruata fuga: pars maior ab hoste
 Capta, dedit sæue spectacula turpia mortis.
 Mileis erat grandi ante alios mira que statura,
 Vix genua æquanti qui nano forte dabatur
 Mactandus: stricte puerili hic circuit harpo,

Inge-

Ingeminansque ictus vix tandem sternit, agensque
 Ludibrium, vitam laceratis artibus aufert.
 Sed tanti si vera mali queratur origo,
 Veraque sax: tumidus dira ambitione sacerdos
 Chrispe tuum, inquit tuos (scelus hei) conciuerat hostem,
 Cuncta suo arbitrio, reginam adeoque gubernans.
 His ita patratæ Solymanus, nuper ad urbem
 Clade data appulsus, donaria splendida mittit,
 Infanti regis simul & primoribus aule,
 Efferrique sibi in tentoria postulat illum,
 Paret, & infantem quamuis inuita, remittit
 Cum procerum turba mater, quos ore tyrannus
 Excipit humano: sed iam prudentibus illis,
 Talia nec veritis, submittit fraude cohortes,
 Quae portam subeunt, ac demunt ciuibus arma.
 Post ipse ingressus, templum prius expiat, arcem
 Poscit, cumque suis reginam excedere mandat,
 Excessere bonis vacui, tantaque per ipsos
 Illata regno hac retulerunt præmia cladis,
 Hanc tamen vlcisci dum ferro vindice certum est,
 Agmina militia coguntur messe sequenti,
 Quæis magnus præest ducendis Marchio, & vna
 Mauritius Saxo, duris spectatus in armis.
 Sed frustra obsessa Vacia Pestoque, niualis
 Quando instabat hyems, properisque cohortibus hostis
 Aduentare frequens ferretur, castra reuellunt,
 Ac tantos linquunt satis obstantibus orsus.

Hæc erant, ex PORSH carminibus recolenda. Nunc, in viam redeamus.

S. XLIII.

IN locum Ferhatis, fœdi adeo, auidique hominis, Hasanes, Meli-Hasanes:
 metis, purpuratorum olim principis filius, successit; prorsus ea
 tempestate, cum diuturno, cum Persis bello, pace composita,
 finem Murates fecerat, nouumque, instigante Sinano, commouerat
 in Hungaria. Hic ille Hasanes fuit, qui laborantibus Albaregalensibus,
 coacto exercitu, suppetias tulerat, sed infeliciter adeo, vt amissis co-
 piis impedimentisque, vix ipse necem euaserit. Hasanes, inquit no-
 ster, (b.) hostium dux, dum inter fugiendum, in quendam Iohannis
 Tapoltchânii equitem, elinguem & mutum, incidisset, diu cum eo sin-
 gulari pugna dimicauit; demum, cum vulnus accepisset, & acinacem
 pugnando perfregisset, qui vagina & capulo, e solido auro, gemmis ex-
 ornato constabat, in tutum profugit. Trepidatum tunc fuit Budæ.
 Sinanus certe, belli incentor, qui cognita Albeni clade, Eszekum vs-
 que,

TOM. III.

Uu

que,

b) Lib. xxvii. p. 616, 35. vbi expeditionis eius, & prælii historiam, possis legere.

actum cum
reliqui:

Sulyman-
nos:

obsidione
tolerat:

captus a
Pálffy
Hungaricis:

que, iusto cum exercitu, peruenerat, *Beglerbegum* filium, cum quatuor millibus, ad defendendam urbem, submiserat, si quid forte intruderet periculi. Præerat tamen rebus *Hafanes*, excelsio animo, inuitque varie *Strigonienses*, ductu *Matthiæ* Archiducis, anno MDXCIV. obsessos. quæ industria, quam ei male cesserit, sequuto anno, MDXCV. dum noua pressis obsidione *Strigoniensibus*, opem laturus, cum XXX. millibus adcurrerat, prolixè annales (i.) referunt. Neque cecidit feliciter, ea *Hafanis* impressio, quam *Satergis* auspiciis, aduersus *Neszamélyense* castellum (k.) anno MDXCVII. instituit; casus & hic, inque fugam coniectus, ægre in *Satergis* castra euasit. *Hafani* demum, siue mortuo, siue aliorum demigrare iusso, *Sulymannus*, *Temesuári* hucusque præfectus, ob insolentem animi arrogantiam, remque ipsam, *superciliosus* dictus, surrogatus est. Tolerauerat is fortiter, anni MDXCVIII. susceptam, ductu *Matthiæ* Archiducis, obsidionem *Budensem*. quam ei tamen gloriam, fortuna inuidit postea. Meminit rem *ISTVÁNEFYVS* (l.). Nimirum, *Pálffyus*, qui *Strigonio* præerat, Hungarorum aliquot turmas, speculatum, *Budam* versus emiserat, qui haud procul a thermis superioribus, occulto saluosoque loco, sese abdiderunt. Accidit uero opportune, ut *Sulymannus*, relaxandi animi causa, cum sexaginta, circiter, equitibus, egressus, in nostrorum uestigia forte incidere. quibus legendis, cum pertinacius insistit, progrediturque, quam par erat, longius, in insidias se induit; committitur leue prælium, cumque *Sulymanni*, quo uehebatur, equus, ad scloporum dispersiones, extra modum ferociret; rupto ephippii cingulo, sellæ excussit. Tunc nostri, humi prolapsi, obruunt, capiuntque uiuum. Illud, atrocioris fortunæ indicium fuit, quod saluis dilabentibus, quos in comitatu habuit, purpuratus, ipse solus comprehensus, & ad *Pálffyum* perductus fuerit. qui ferocissimum hominem, procul omni mora, *Viennam*, *Matthiæ* Archiduci dono misit; ut, quem non potuerit, anno superiore, una cum urbe, sub potestatem mittere, eum nunc a fortuna desertum proditumque, contueretur. Aliter paulo, ab *Ortelio* (m.), narrari rem legas, qui icona simul, superciliosi hominis, exhibet.

§. XLIV.

Budæ ob-
sidione ad-
paratus:

Inicerta obsidionis *Budensis* mentione admonemur, ut eius heic adtexamus historiam. Feruebat, tota citerior, ulteriorque Hungaria, bello Turcico, cum recuperato *Iaurino*, arma porro proferri iubet Cæsar. Ergo, *Schwartzenburgus*, cum collega *Pálffy*, profectioem militarem, toto exercitu edicunt, ut ante, quam adesset *Matthias* Archidux, cui summa belli commissa fuit, expugnatis minoribus arcibus, expeditum, ad obsidendam *Budam*, iter præstarent.

Tatam,

i.) *ISTVÁNEFYVS*, Lib. XXIX. p. 659. seqq. | l.) Lib. XXXI. p. 742, 6.
k.) Idem Lib. XXX. p. 713, 10. | m.) *Chronici Hung.* Parte I. p. 260.

Tatam, inter primas, vi expugnant, cæsis, qui incrant, præfidiariis. Sparso hinc terrore, opinione celerius, *Gestesia*, *Vitania*, *Veszprimium*, *Palota*, *Tibony*, *Vásony*, & *Csókakó*, sub potestatem mittuntur; exercitu, octauo, post susceptam expeditionem, die, in *Iaurientia*, castra, incolumi reducto. Deceuerat, haud multo post *Danubius*, cuius eluiones, non destinationes modo ducum remorabantur, sed exercitum quoque, in insula, toto fere mense, haud sine inediae formidine conclusum, tenebant. Id simul euenit, *Strigonium* promouenda esse castra, decernitur, ut *Matthiæ*, ad exercitum, cum suppetiis, adueniente, *Buda*, recto itinere peti obsiderique possit. Adhæsit aliquantisper, adprobata Cæsari destinatio, cum ob Archiducis absentiam, tum ob diuersa ducum consilia, disputantium mutuo, quo *Danubii* latere, dextro, an sinistro, iter militare, suscipiendum sit, ne ab hoste aduerteretur, quorsum, tota ea expeditio, pertineat. Præualuit tandem eorum sententia, qui haud relinquendum *Danubium* existimabant; sed traiecto ad *Strigonium* amne, *Grano*, & *Ipolæ*, pontibus impositis, iter *Váciense* incundum: quod ea re, & hostibus oppugnandi *Havani* suspicio iniiceretur, & instrumenta belli, secundo *Danubio*, facilius, quam citeriore salebrosoque via, subuehi possent. Dum hæc ita consuluntur in medium, litteræ adsunt a *Matthiæ* missæ, quibus prescribitur, ne expectatione sui, tempus inaniter deterrerent duces; posse exercitum, via, quæ uisâ fuerit expeditissima, *Budam* duci, dum ipse, cum prætorianis copiis adfuturus esset. Nec mora, edicitur ex templo profectiois ordo, in eum modum, ut *Pálffyus*, cum Hungaricis, quinque mille uirum, copiis, agmen duceret; *Nadasdius* hunc, cum mille equitum Hungarorum turma, sequeretur; eum, *Iohannes Stadniccius* Polonus, cum totidem *Cosacis*, exciperet; succederent denique, structis ordinibus, Germani, Galli, Vallones, eodem numero, quam qui præcesserant, censi. Vltimum agmen, *Schwartzenburgus* (n.), cum XXV. millibus Germanorum peditum clauderet; profectio ad eum modum instituta, ut classis amica, perpetuo, in obtutu esset exercitus. His ordinibus, cum ad *Váciam* ventum esset, pons naualis, in insulam *S. Andreæ*, atque hinc, in ulteriorem ripam instrui cœpit. quo celeriter, neque resistente quoquam, contabulato, *Pálffyus*, cum suis præcedere iussus, aduerso *Danubii* margine, metatur: frustra, *Hafane* purpurato, cum uelutibus occurrante; minuto enim prælio repressus, nullo insigni dato accepto detrimento, in urbem se recepit, adesse hostium exercitum, nuncians. Sed, celoces etiam, quæ aduerso amne, contra procurrerant, nostrorum uirtute, reiectæ fuerunt. Superato, in eum modum, amne, cum ad traiciendum, cum uniuerso exercitu,

Uu 2 tuta

n.) Erant tunc in exercitu, siue adrentes stipendia, siue uoluntarii sequuti militiam, uiri summi, & domi militique clari: *Hermannus* *Rosswarminus*; *Leo* *Gallus*; *Henricus* *Obern-*

bruckus; *Adolphus* *Althaus*; *Iohannes* *Prainerus*; *Baptista* *Peczus*; *Fridericus* *Merisburgus*, reliqui. *ISTVÁNEFYVS*, Lib. XXXI. pag. 732, 39.

Tata, vi
capitur, &
vicina ar-
ces alia:

promoue-
tur ad Stri-
gonium
exercitus:

duces
consilia, de
expeditione
ulteriori:

profectio-
nis, Bu-
dæ uer-
sus, ordo:

traicitur
Danubium:

castra ad
Budam
veterem,
collocan-
tur:

capitur
therma.

tuta expeditaque essent omnia, *Schwartzenburgius*, ad III. Nonat. Octobris, *Pálffy* sequitur, copiis, recta *Budam* ductis. Ut in vr-
bis conspectum ventum est, castra inter *Budam* veterem, *Sicambriae*-
que rudera, longo ordine, ponuntur, atque temporariis, per collium
opportuna, aggeribus, communiuntur; *Hungarico* peditatu, tanquam
viarum gnaro, ad thermas superiores inferioresque, progredi iusso:
quibus, eadem nocte, quin & suburbio extimiore, occupato, ex fa-
cili fuisset, urbem quoque amnicam, muro haud valido incinctam,
insedisse, nisi veritus insidias *Schwartzenburgus*, militem retentasset.

S. XLV.

Matthias
Archidux
aduentus
in castra:

Iam militares operæ, ducere aggeres, vias obsidionales deprime-
re, & locis idoneis, ponere suggestus, inceperant, cum MAT-
THIAS Archidux, V. Idus Oct. in castra peruenit. Segnius hucus-
que *Egembergus*, rei tormentariae praefectus, rem curauerat. Igitur,
MATTHIAS, idoneo stipatus comitatu, opportuna, ad faciendam oppu-
gnationem, loca perlustrat, adductisque tormentis, rem strenue ge-
rere incipit. Tres, eodem die, suggestus instructi fuere, e quibus
flumentaneum vrbs inferioris munimentum, & quæ ei cohaeserat,
moenia, verberari coepta sunt: ita distributis oppugnationis muneribus,
ut *Gallus* quidem, & *Obernbruckus*, *Peczus*que, ad primos ag-
geres, ad medios *Carolus Sulzius*, & *Rosswurmus*; ad ultimos, *Fride-
ricus Merisburgus*, cum adtributis sibi legionibus, in omnem, rei
fortiter gerendæ occasionem, excubarent. Ergo, dum res, inde a
diluculo, ad serum vsque dici, tormentis impigre gereretur, iamque,
rimas agere muri inciperent; legionum, quas diximus, praefecti, in-
uocati numinis auxilio, signum adfultus, tubis tympanisque edunt.
Subeunt, densatis ordinibus, nostri, omni ope in muros enitentes.
Sed, ea fuit hostium, in defensandis stationibus, contentio, ut glandibus
hi, sagittis illi, lapidibus alii, magnam, in adsilientibus, stragem
ederent. *Boppartus* certe, Gallorum tribunus, pila tormentaria dilcer-
ptus; *Russellius* autem centurio, foede vulneratus est. Nec disparti
virium contentione, *Leo Gallus*, & *Pezius*, depugnabant. Propugna-
culum hi occupauerant, vi tormentorum quadamtenus deorsum. Quo
vifo hostes, turmatim, in nostros irruunt, prostratoque *Christophoro
Ginetto* centurione, militem reliquum, magna vi, ex capta muni-
tione, deturbant. Iam in fugam effundebatur reiectus miles, cum tri-
buni, dilapsos cogunt, inque pugnam, structis celeriter ordinibus,
denuo accendunt. Et, fauit omnino ei virtuti successus. Namque, in
muros enisæ, cum signiferis, cohortes, vibratis illic vexillis, facile,
ad instaurandam pugnam commilitones incitarunt. Nostrorum hac
fortitudine, irritati hostes, maximo numero, in victores incurrunt,
iisque, vna cum signis, emisso glandium imbre, a statione, quam oc-
cupauerant, deiectis, pugnam, cum succedentibus, contrahunt, acrem
alex-

adgressio-
num parti-
tio:

adsilienti-
um virtus:

alexque plenam. Atque, metus omnino fuit, ne concisis proffigatis-
que nostris, non spe modo victoriae, quam certissimam conceperant,
excidant, sed ignominiam simul, rei male gestæ, ex iterata oppugna-
tione, referant. Proinde, sexcenti, circiter, *Hungari* pedites, qui
sub signis *Pálffy*, in noua arce *Strigonien*si, mercebant, laborantibus
Germanis, subsidio missi, confertissimos hostes inuadunt, & *Pezia-
nis* intermixti, retrocedere, moeniaque deserere, cogunt. Instabant
fugientibus *Hungari*, caesisque non paucis, hos in arcem, alios, ad
pontis *Pestiensis* munitiones, represserunt.

capitur
vrbs flu-
mentanea.

S. XLVI.

Capta, ad eum modum, haud sine caede, vrbe flumentanea, in
nouum se discrimen nostri induerant. Quadringenti circiter
Turca, ex ea pugna, quam cum *Gallis* contraxerant, supera-
bant. qui, quum, neque in arcem euadere, neque ad *Pestiensis* pon-
tis custodes, possent pertingere; vterque enim aditus praecipuus a
nostris fuit; in templum, suæ superstitionis, quod proximum erat,
se iniiciunt. Circumdant ædem nostri, diuque, cum rabido hoste,
depugnant; ad vltimum extulsis foribus, in medios irrumpunt, cæ-
duntque ad vnum omnes. Captus, eadem colluctatione *Husainus
Marassiensis* purpuratus, & a *Germanis*, tametsi veneranda esset can-
tie, trucidatus fuit. Nam, id pugnatoro militi, datum erat in man-
datis, ut ne quemquam viuum caperent. Dum hic feliciter pugna-
tur, elatus eo successu miles, *Peziani*, & *Hungari* potissimum, hos,
qui ad pontem *Pestianum* nitentur effugere, citato, per vrbs pla-
team, cursu, insequuntur, adoriuntur deprehensos. Init ergo pugna,
prioribus nihilo segnior; ac deleti sane fuissent a nostris *Turca*, ad
vnum omnes, nisi ex aquaria turri, *Ianitscharorum* agmen, subsidio
adcurisset. Tanta enim in nostros vi incubuerunt, ut cum non esset
retrocedendi locus, in *Danubium* precipites ruerent multi, atque aquis,
umbilico tenus immersi, per decliua ripæ, in tutum, pluribus ex
suorum numero desideratis, euaderent. Quid, seu profectum, seu
acceptum damni, ex hac vrbs expugnatione fuerit, his verbis
refert *ISTVÁNEFYVS*: In hac acerrima inferioris vrbs oppugnatione, praeter
Boppartum, *Resselium*, & *Galicanae* legionis legatum, *Laudam*, ce-
sos, complures etiam centuriones ac manipularii, & ex militibus, amplius
tercenti, occubere. *Pezius* vero, in facie ambustus, & *Pflugius*,
Rosswurmii legatus, in brachio glande stuciat, ac signiferi aliquot vul-
nerati fuerunt. Haec, in nostris iactura fuit; maior multo in *Turcis*.
In partibus hostium, supra *Marassensem* purpuratum interfectum, am-
plius mille, & quingenti *Turca* promississimi periere, ac *Carmanus Me-
hemetes*, glande maxillam percussus, *Asiaticus*que *Beglerbegus*, intentæ
fuga, in superiorem urbem, euaserunt. Prædam, inde historicus desi-
gnat, opinione tenuiorem. In hac inferiori ciuitate, tormenta bellica,

Qua hinc
enata sunt
nostris pe-
ricula.

circiter XL. maiora minoraque reperta sunt, & camelis centum, ac aliquot burdones sarcinarii, cum pauca, nec alicuius nominis, suppellectili: nam, qua cariora erant, in superiorem urbem, iam ante comportauerant. Atque, hæc quidem, primi adfultus fortuna fuit, uti ex se anceps, ita pauci fructus.

§. XLVII.

Hostes, subita hac urbis expugnatione, non tam perculsi, quam ad rem facti adtentiores, biduo post, ad tertium Idus Octob. praesidium, quod munitionem, monti S. Gerhardi inædificatam, tenuit, exusta ea, & tormentis, ne inuenirentur a nostris, alte defossa, in urbem, noctis usum silentio, se recipit. Et tormenta quidem, Pálffyus, nullo negotio reperta, in castra deuehi iussit, vno alteroue adseruato, ut stationem eam, tumultuario opere instauratam, communiret. MATTHIAS interim, victoria, ad rei summam usurus, suggestus, propius ad superiorem urbem fieri, tormenta quoque eo subduci iubet. Tripartito eos poni ducibus placuit, ut diuersis regionibus impedito hosti, propugnatio eo fieret difficilior. At Turca, simul rem serio geri aduenterent, crebris grandium pilarum iactibus, nostros longius submouere; quin & factis eruptionibus, pergunt fatigare. Periculosissima ea fuit, quam in Obernbruckii stationem fecerant. Nimirum, insigni Janitscharorum equitumque numero, alacres ex urbe procurrunt, inuadunt, quibus praemuniti erant nostri, aggeres, tantis animis, ut non pugnare crederentur, sed furere. Resistunt Obernbruckiani, non minore fortitudine, & qua machinis, qua gladiis, rem diu strenue gerunt. Sed, cum Turcis, nouæ subinde suppetiæ, ex urbe accederent, resillendo fessi, fugam denique circumspiciunt. Res erat in summo discrimine, fuissetque actum de tota ea statione, nisi commotis vniuersis fere castris, concurrissent nostri, ad ferendum pressis auxilium. Edocti, hoc experimento, duces, nihil aduersus vigilantissimum hostem, aperta istiusmodi, profici posse, oppugnatione, cuniculis subruendos muros statuunt. Utile in primis institutum, nisi madens continuo caelum, operas perturbasset. Accessit, importunus rumor, aduentare ingentes hostium copias, laturas obsessis opem. Id vero, ut impedirent nostri, Pálffyus, cum suis excubare iubent, ad utramque, orientis & meridici, viam. Multum is, pro more suo, militaris industriæ adhibuit, ne quid subiti funestique eueniret. Sed, frustranea erat vigilantia, cum, distenti Varadiensis obsidione hostes, nequiverunt, gemino loco, aperto Marte, virium suarum periculum facere. Interea, difficiliora in dies, apud nostros fiebant omnia. Præterquam enim, quod non cessabant erumpere hostes, ea cæli fuit temperies, ut facile & homines, & iumenta, conficerentur. Accessit inusitatus, toto exercitu, animorum torpor, quo factum est, ut, neque incursum in moenia fieri potuerint, neque reprimi

Mont S. Gerhardi, ab hoste desertus, occupatur a Pálffy:.

nostrorum adgressio:

eruptio hostium de muros:

cuniculis res agi cepit:

Caesariani exercitus calamitates:

reprimi hostes, si molesti erant nostris. Hac rerum difficultate circumuenti duces, hi quidem, Pestu admoueri tormenta, suadent, cessationem ab obsidione alii; cum eadem utrobique, pro anni tempestate, iniuriæ forent expectandæ. Placuit, eorum sequi sententiam, qui soluta obsidione, ducendum in hiberna militem, consulebant. Ergo, sub idem tempus, Turcæ Varadiensis, nostri, Budensi obsidione decedunt:

disceditur ab obsidione.

Siquidem tunc turbine nigra

Noctes atque dies, calo ruit agmen aquarum,
Et factam glomerat tempestatem imbribus atris,
Collectis signis, conuasatisque suorum
Inuiti rebus, Budensia moenia linquunt,
Et tot perpeffam ventos pluuiasque phalangem
Quadrupedum amandant sumantia soluere colla. (o.)

§. XLVIII.

Soluta, his difficultatibus, obsidione, creuerunt Budensibus animi: Sulymano in primis, qui defensandæ urbi praefectus obtigerat. quam tamen eius ferociam, fata, anno sequente, retulerunt: quando in castra nostrorum, quod supra diximus, delapsus, captiuus Viennam, ad Archiducem MATTHIAM, dimissus est. Hanc, acerrimi praefecti iacturam, uti sarcirent Turca, non minoris fortitudinis virum, Muratem ei suffecerunt. Ibrahimus, purpuratorum princeps, in Hungariam, cum exercitu adueniens, in locum Sulymani, inquit nosler (p.), tam foeda & miserabili sorte capti, Muratem purpuratum constituit. Fuit pollea a Turcis, in obsidem nostris datus, cum eiusdem Ibrahim, & Abmatage, principis Tartarorum legati auspiciis, in insula, aequali inter Budam, & Strigonium, intervallo sita, de pace mutuo, sed irrito conatu, ageretur. Crebræ homini, dum urbi moderaretur, aduersus Strigonienses querelæ fuerunt; quippe qui, agrum Budensem, nunc apertis impressionibus, nunc clanculariis subessoribus, ad eum modum infestabant, ut ne operis quidem agrestibus parcerent. Quæ res, eo perduxerant Ibrahimum, ut expugnato Strigonio, (q.) comparandam Budensibus securitatem, exillimarit. Id quod facturus omnino fuerat, nisi hanc eius destinationem, Hajdonum, vltiore Hungaria, grassationes, interuertissent. Anno, post secularem, primo, ea mens, ac voluntas Caesaris fuit, ut coniunctis exercitibus, bellum, in Pannonia administraretur, & oppugnandæ Buda, aut Alba, consilia susciperentur, atque alterutra, ex duabus urbibus, recuperata, totis postea viribus, in obsidendam Canisam incumberetur. Sed, his consiliorum rationibus,

Turcorum consequente hinc ferocia:

capto Sulymano, Murates sufficitur:

hominis iactura:

nona Caesaris, de obsidenda Buda, destinatio:

Aldo-

*) IOHANNES CSERKOVICVS, de Lybæo Monte, in, De bello Pannonico. Lib. III. extremo. (p.) Libro XXXI. p. 742, 20. (q.) ISTVANEFVS, Libro XXXII. p. 761, 23.

redditur in
risa:

Muratis, in
Albensi
prælio, in-
teritur.

Aldobrandinus, auxiliorum Pontificiorum dux, pessimo euentu, intercessit; quando, detricto, ad *Canise* obsidionem, exercitu, eius anni expeditionem fecerat. Felicius, ad *Albam*, *MATTHIAS* Archidux, cum *Mercuriano*, rem gessit. Præterquam enim, quod vrbe, per adfultum potitus est; *Turcas* acerrimo, & pleno ancipitis periculi prælio, fudit fugauitque. In eo, *Murates* Budensis, occubuit. *Murates* Budensis, verba sunt *ISTVÁNFEH (r.)*, & *Mehmet Kibaja*, ab *Hungaris* delecti equis, obtruncantur; eorumque capita, celeriter (s.) præciduntur. Hæc demum, *MATTHIAS*, *Petro Bolházi* militi, eiusque sociis, *Canisam*, in castra perferenda, tradidit. quæ a nostris, deditionem postulantis, frustra obsessis *Turcis*, tanquam insignis documentum victoriæ, ostentabantur. Atque, *Muratis* quidem hic fuit interitus. Quis ei successor datus sit, non reperio; tametsi, anno, qui sequutus est, MDCII. *Hasanes*, purpuratorum princeps, cum ad recuperandam *Albam* proficisceretur, necessarios in expeditionem eam, adparatus, *Buda* fecisse legatur. Nisi forte, *Murates II.* fuerit, cuius, post infelicem obsidionem *Budensem*, mentio nobis futura est.

S. XLIX.

Decernitur
Buda obsi-
dio, Mat-
thiaz, &
Rossur-
mii ductu:

clat initi-
um, ab ex-
pugnato
ponte Pe-
stiensis, du-
ctum:

vrbi, quon-
iam admodum
fuerit in-
fusa:

HAsane, post recuperatam, non tam virtute suorum, quam nostrorum ignauia, *Albam* regalem, *Belgrádum* reuerso, *Cæsariani*, *Buda* obsidendæ, agitata diu consilia, exsequi tandem statuunt. *Rossurmio*, eius anni expeditionem, *Cæsar*, secundum *MATTHIAS* Archiducis auspicia, mandauerat. Is ergo, fama discedentis *Hasanis* cognita, castra, quæ ad *Iaurimum* fuerant, recto itinere; *Budam* promouet, *Vácziam*, a nostris metu derelictam, reparat, atque, gemino ponte, apud insulam *S. Andreae*, instructo, in vltiorem *Danubii* ripam, cum exercitu transit. Dies erat *S. Michaeli Archangelo* sacer, cum in conspectum vrbis ventum, eaque obsideri cœpta est. Multum remoræ, in oppugnando, pons iniecit, quo *Buda Pestumque*, committitur, & quem ex eo loco, vbi olim stabula regia, tunc horrea fuere, acerrime defensabant *Turca*. Igitur, habito consilio, pontem, & terra, & nauibus, ad eum modum oppugnandum statuit *Rossurmius*, vt cum ipse, nauali prælio, rem esset gesturus; *Sulcius*, terra, cum suis, custodes adoreretur. Quæ res, successit omnino feliciter adeo, vt non ponte modo, sed *Pesto (t.)* etiam potirentur nostri. Tum vero demum, arctius obsideri *Buda* cœpta est: in primis, quinto *Idus Octobres*. Quidquid scilicet, per plures suggestus, tormentorum dispositum erat, ingenti id moenium, iuxta & publicarum priuatarumque ædium strage, continenter displodebatur. Maximæ interim ruinæ fiebant, per eos machinatores, qui ex aggeribus mon-

r.) Ibidem p. 799. 42.

s.) ORTELIVS, Chron. Hung. Parte 1. p. 297. a laudatissimi facinoris auctorem, Monsieur de Belli vocat, vt Gallum

fuisse oportuerit, non Hungarum.

r.) Relege, Historiam Vrbis Pestiensis, Cap. II. p. vii & vii. Tom. huius III. p. 66. seq.

montis *S. Gerhardi*, arcem infestabant. Idem, grandioribus tormentis, & e *Pestana* ripa, agebatur: vt spem conciperet *Rossurmius*, vrbis, quam primum occupandæ. Sub idem tempus, quarto scilicet *Idus Octobr.* metallicorum, ex montanis vrribus, manus, agendis cuniculis delinata, in castra venit. At *Turca*, hac nostrorum assiduitate, quam iteratis subinde minis exasperabant, ni vrhem mature dederent, adeo nihil permouebantur, vt visi etiam sint, eo magis ferocire, quo acrius, a nostris, obsidionales operas fieri, cernebant. Nondum in castra *MATTHIAS* aduenerat, cum *Hasanes*, *Pesti* ac *Budæ* periculo excitatus, iter flectit, atque, posthabitis *Transiluanorum* precibus, (nam a *Moyse Siculo*, ad ferendam sibi opem sollicitabatur) magnis itineribus, in campos *Rikos*, cum triginta millium exercitu, aduenit. Occurrit, castra metanti, *Rossurmius*, animo, quam successu, meliore: reiectus enim, cum sociis, *Nadasdio*, *Turzone*, & *Pogranio*, ægre in castra euasit. Frustra demum tentato *Pesto*, duobus tamen millibus suorum, *Budam* immissis, in iter se *Hasanes* dedit, *Belgrádum*, atque inde *Byzantium* rediturus. Cum hæc fiebant, *MATTHIAS XVI.* *Car*lendas *Novembris*, cum prætoriano milite, in castra venit, *Turcasque*, multo, quam sperarat, reperit perniciores: tum, quod *Hasanis* suppetias in vrhem receperant; tum, quod inclinante auctumno, præuidebant, haud perduraturos, in obsidionali opere, *Cæsarianos*. Interim, dum oppugnatio, non tam feracret, quam traheretur; *Hasanes* autem, longius progressus crederetur, quam, vt opem limitancis castellis ferre pollet; *Nadasius*, *Turzo*, & *Pogranus*, subitanam, in hosticum, expeditionem suscipiunt. Ac cessit ea quidem, ex animi sententia; *Adonum* enim, *Paxum*, & *Földvárum*, quin & *Tolnam*, nullo negotio intercepte; sed, cum illi absint, obsessores, ingentem a *Turcis* cladem accepere. Dum, inquit *ISTVÁNFEHVS*, (u.) iis absentibus, negligentius excubia exercerentur, hostium, ad duo millia, vrbe eruperunt, ac eos aggeres, quos *Sembergiani* tuebantur, cæcis *Germanis*, occuparunt, & partim rotis, & axibus tormentorum dissectis, & contractis, partim vero, foraminibus eorum & spiraculis, magno ferrearum clauorum numero impacto, obstructis, ea inutilia reddiderunt, adeo amplius duabus horis, eodem in loco, detrimenta assidue inferendo, moram protraxerunt. Et cum ceteri serius, quam par est, ac post peracta hostium destinata, auxilio adcurrissent, anceps & diuturnum cum iis certamen contraxerunt, ita, vt mille e *Germanis*, & amplius, occumberent, caderetque inter alios casus, *Carolus Mansfeldius* adolescens, eius *Caroli*, clarissimi ducis, filius, quem reportata de hostibus *Turcis*, sub *Strigonio* victoria, morbo correptum *Comaromii*, e viuis excessisse diximus. Atque hæc quidem, communia obsidentium sunt mala. Facile enim admittitur aliquid, siue præfectorum, siue excubiarum incuria, quod ad vniuersorum, & cladem pertinet, & ignominiam. Illud, in summo belli duce, ferendum haud est, quod porro memo-

Tom. III.

Xx

rat

u.) Lib. xxxii. p. 79t. 39.

præsidium
ruas obsi-
dionis:

Hasanis,
ad liberan-
dam obsi-
dionem vr-
bis, aduen-
turi irruunt:

MATTHIAS
Archidux,
ad castra
accedit:

*Hungaro-
rum* solio
in hosticum
procursum:

destrimen-
ta, ab ex-
cubiarum
hostium
bus, data:

culpa Ross-
wurmii.

rat historicus: *Ferunt Rosswurmum, in ferendo laborantibus auxilio, tardius sese expedivisse: quod eo fere tempore, alea, & chartis pictis, in tabernaculo ludendo, nec lucrifacienda pecunia spem relinquendo, nuncios & legatos, aliquamdiu ad tribunos mississet, sicque tempus terendo, hosti, spatium exsequendi, quæ volebat, concessisse.* Illud vero est, in re summa, ob pravam cupiditatem, versari pessime.

§. L.

Fiant, eo
eventu,
animosiores
Turca:

Svmfere, ex hoc successu, animos Turca, & cum hinc atque il-
linc, moenia, ad eum modum procumbere viderent, ut tentan-
do adfultui, prona esse putarentur, magno labore, fossas intra
moenia, qua metuebatur accessus, deprimunt. Atque, tentaturi omni-
no insultum nostri erant, nisi a transfuga signifero, de hac oblesso-
rum providentia, mature fuissent edocti. Dum hæc ita geruntur,
iamque in castra recepti fuerant, qui castella, pone Danubium, inter-
ceperant, frequentes adferunt nuncii, *Albanos, Canisianos, Szigetba-
nosque* Turcas, auxilio *Budensibus* adventare: ea destinatione, ut, cum
pro castris congregendum cum nostris fuerit, delectam suorum ma-
num, in urbem iniiciant. Eo intellecto, *Matthias* princeps, *Nadas-
dium, Turzonem, & Herbersteinium*, Illyricarum copiarum præfe-
ctum, obvium hosti ire iubet. Opportuna fuit missio: vix enim ca-
stris egressi fuerant duces, cum se hostis, duorum mille equitum, in
conspectum dat. Tunc vero nostri, facta in hostes impressione, for-
titer dimicare, reicere, pertumpere, nihilque non suscipere, quod
reprimendo barbaro putabant idoneum. Neque se ipsos Turca dese-
ruere. Ergo, pugnatum est, diu non minus, quam acriter: dum ab
equitibus defultoriis, deslinatis scloporum ictibus, constanter, magna-
que iactura fortissimorum quorumvis, impeti, mox & nutare hostis, atque
tandem, in apertam fugam effundi, coepit. Media parte diminutum,
cum longius insequuti fuissent victores, ducentos tandem captivos,
signa militaria aliquot, in castra reducere: reliquis Turcarum, partim
Alban, partim, incertis viarum erroribus, aliorum dilapsis. Mul-
tum, his successibus, ad summam rei profecissent *Cæsariani*, nisi, clan-
dulariis ducum simultatibus, laboratum in exercitu fuisset. Vfus ta-
men est, hac rei gerendæ opportunitate, *Archidux*, cumque manitionem,
quæ regia stabula, & aquationem, in profluente, defendebat,
intercepisset, ad spem, capiendæ proxime urbis erectus, turrim aqua-
riam, perpetuis XVI. machinarum iactibus, prosternebat, expeditamque,
ad adfultum, viam adaperit. Destinatus is erat, in sequentem diem,
cum familiaris auctumno tempestas, inusitato frigore, pluviis, & ni-
uosis procellis, scuire coepit. Ergo, fractus, his cæli iniuriis miles,
cum neque excubias vigilasque obire, neque, si ingrueret hostis, eo,
quo par fuit, ardore, occurrere posset, sed tormenta etiam, perpetuis
imbribus, inutilia, muris verberandis, redderentur; fortunæ malignita-
tem

hostiles sup-
petia form-
antur:

Matthias,
Archiduci
solertia:

cæli inta-
ria, stan-
gunt mili-
tem:

tem incusare *Matthias*, consiliaque, de soluenda tempestive obsidione,
agitare instituit. Non erant ignari, tantarum, quæ obsessores preme-
bant, difficultatum, hostes. Igitur, crebris eruptionibus, infestare
obsessores, deturbare a stationibus, nihilque intentatum relinquere,
quos nostri, quo loco essent, bene memores, masculè repressos, non
vna clade adfecere. Sed, ea Turcarum erat temeritas, ut, tametsi nul-
la ab eis procuratio, sine cade suorum fieret; haud tamen desinerent,
dispositas circumquaque stationes, infestis armis laceßere. In pri-
mis, male mulctati sunt, cum in *Turriani* excubias, quas ille cum equi-
tum suorum agmine, adtentissima cura agebat, incurerent. Magno,
scilicet, numero, atque rabidis similes, excubantium ordines invadunt,
conferunt pugnam, diuque, nunc factis cuneis, nunc iterum sparsis
manipulis, nostros fatigant. Ac, visa est omnino, *Turrianorum* con-
stantia nutare, cum *Collonitschius, Nadasdus*, atque *Georgius Turzo*,
cum Germanis ille, hi cum Hungaris, laborantibus succurrunt. Er-
go, redintegratur subitaneum prælium, propulsantur hostes, magna-
que adfecti clade, intra urbem compelluntur. Ex hostium numero,
præfectus equitum *Spahoglanorum*, armis, & inaurato thorace conspi-
cuus, sub illa glande traiectus, occubuit. quem, equo delapsum, con-
globati hostes, sustulere. Neque nostris, incruenta fuit dimicatio: præter
gregarios enim complures, qui desiderati sunt, *Turrianus* ipse, in
sinistro brachio, *Christophorus Puchaimus* autem, equestris turmæ
ductor, in capite, levi vulnere, sauciati fuere. Hæc III. Idus No-
vembres, gesta sunt.

prædiali-
vius fero-
cia:

caduntur
a nostris:

haud ta-
men suo
clade Cæ-
sariano-
rum.

§. LI.

Iam ergo *November*, multis infestis tempestatibus, adoleuerat, cum
in eam sententiam duces abiivere, ut, obsidionem, irrito hucus-
que institutam conatu, neque meliore terminandam successu, si
pergerent oppugnare urbem, tempestive soluerent. Quod, antequam
fieret, ipsis *Idibus Novembris*, e classe quidem amica, XL. plus minus,
candentes pilas ferreas, in urbem euibrant; ex aggeribus autem, ma-
iore multo, quam hucusque, vi, tormentorum ictus congeminant;
tanto obsessorum detrimento, quantum, toto fere oppugnationis
tempore, vix se accepisse, ultro confiterentur. Tum vero demum,
urgente magis magisque, tempestatum malignitate, servatis rite ordi-
nibus, ab obsidione discessum est. Causas, irriti laboris, in *Archiducem*
coniiciunt aliqui, quod urbem, se absente, acrius adorandam ve-
tuerit: forte, ut eius interceptæ gloriam, sibi præservaret. Huc re-
spexit *Csernovicius* (v.) dum rem, in hunc modum cecinit:

Malignitas
tempestatum,
ad soluen-
dam obsi-
dionem,
duces adi-
git:

causa irriti
laboris, quæ:

At quia discedens præceperat optimus armis
Matthias, princeps, ne tentent moenia, neve

X x 2

Inua-

*Inuadant urbem sociorum in castra relati,
Mars licet ipse viris faueat, praecepta faceffunt,
Armatique ducem, tantum grauiore remota
Exspectant cura, qui tot post tempora demum
Turrita pulchra digressus ab urbe Viennae,
Cristata iuuenum comitante in castra cohorte
Aduolat, aduentum vari clamore salutant.*

Id, si erat, non potuit non remora poni ducum destinationibus. *Rosswurmio* certe, non satis bene, cum *Archiduce* conueniebat: quippe, quod ab eius auspiciis, pendere cogebatur. His vero rebus, oppugnatione multo, quam tanti moliminis rationes poscebant, fiebat remissior. Nam, sic pergit canere poeta:

*Rosswurmio tacitum celante in pectore virus.
Qui dum cunctatur, letosque per otia soles
Consulto ducit, trepidosque inuadere ciues
Tardat, ab occasu veniens pluuiatibus hedis
Verberat imber humum, totumque ex ordine mensum,
Torquet aquosam hiemem, & calo cana nubila rumpit.
Tempore, quo non iam Scythica cum gente gerendum,
Sed cum fulminibus, nimbisque furentibus, aëto
Cum Zephyro, & Boreae flabris, austroque procaci,
Bellum erat, impos erat muros inuadere telis,
Aut castris exire, via impediante lutosa.*

Ita est, fregere tempestates militem; haud tamen impeditura fuerant, summam rei, si ducibus, in urgendo opere, maior, & concordia fuisset, & alacritas. Hoc est, quod acerbe porro queritur *Csernovicius*:

*O tempestatem ventis crudelibus atram!
Quae nisi Caesareis fregisset robora turmis,
Non sub Sultani gemeret nunc Buda furore.
O sed & inuidiam, qua corda superba tuebant
Primorum, & se inter con - - sepe solebant
Nomina cui parti sunt consecranda tropaei!
O infelicem inuidiam, qua certa triumpho
Spes sublata perit, toties qua bella rogata
Prospera, tam vultu clauserunt fata pudendo!
O amentiam, & o solida ratione carentem
Fastum hominum! ille urbem deditibus hostibus ipsis
Perdit & ut victa uiuat, facit hostis in aula.
O ubi tunc toties promissa in praelia vires?
Foedera ubi, & dextris data sacramenta leuatis?
Ingentes ubi sunt curaque minaeque priores?
Omnia fluxerunt, vacuas dimissa per auras.*

Istae tunc causae fuerunt, non captae urbis (x.): profecta omnino, ab irato numine, quod, & caelum fauere iussit, & permisit, homines adfectibus fluctuare. Eadem postea, quae obsidionem exceperat, hieme, tanta in urbe amonae caritas inualuit, ut, si leuata obsidione, qua arcerentur commeatu, conclusam tenuissent nostri, quin ex facili, spontaneaque hostium deditio, capi potuisset, nullum fuerit dubium. Famis grauitatem, inde colligas, quod equinae carnis pondo, *quadraginta numis Hungaricis; salis, imperiali solido; modius hordei, aureis circiter decem (y.)* uenerit.

§. LII.

Annus, qui sequebatur, MDCIII. cruentus is sane fuit, neque non funestus *Budensibus*. Tenebatur Christianorum praesidio *Pestum*, acri eo, & ad infestandos hostes, vnice intento. Id ergo, cum factis, in ripam *Budensem* impressionibus, tum destinatis tormentorum iactibus, non raro urbem ipsam, infestabat. Glaciali sane, trans annum suscepta irruptione, ingenti caede, lauantes in thermis *Turcas*, a *Lechnero* centurione, adfectos fuisse, praeter *Istwanffy*, *Khevenhillerus* (z.) auctor est. Post eam cladem, ingens detrimentum, moenia *Buda* acceperant. Cum enim ineunte *Martio*, more suo, iteratis identidem machinarum explosionibus, urbem *Pestenses* impeterent, euenit, ut candens globus, apothecam pertunderet, pulueris nitrati, qui, igne celeriter concepto, grandem moenium regionem, & ad quindecim orgyias protensam, ab imis fundamentis, reuulsit. Eo viso, tribunus *Albanus*, cum mille Germanis, centum Hungaris equitibus, peditibus autem ducentis, horis antelucanis, annum, summo silentio traiecit, seque, loco opportuno, tam diu occultat, dum rei gerendae occasio, se dederet. Aduertere *Turcae* subsessorum. Ergo, ubi esset, quidque susciperet, missis septuaginta equitibus, curiolius rimantur. Atque inciderunt sane in nostros, magno quidem suo malo, sed quo tamen, multo maius aliud auerruncarunt. Nam, dum nostri, in speculatores importune irruunt, dissipatisque ex templo, equos viginti, captiuos duodecim, abigunt; urbis praefectum, qui equitibus quinquaginta, *Ianitscharis* centum stipatus, proxime aderat, in fugam coniciunt; intercipiendum procul dubio, si continentius rem (a.) administrassent. Sed haec, quotidianis fere uelitationibus, fiebant. Exercitu demum ex hibernis collecto, ad *Strigonium* castra metatur *Rosswurmio*. Dum hic ponte iungit *Danubium*, per exploratores condiscit, *Murathem*, *Buda* praefectum, itidem pontem in *Sarvizo*, cenofo atque, infra *Albam*, prope ad vicum *Szerdabely*, instruere, atque illic *Hasanem* purpuratum, aduentantem cum exercitu, praestolari. Capto mox consi-

X x 3

lio

x.) Irritae obsidionis *Ephemerides*, seu *Diarium*, lege sis apud *KHEVENHILLERUM*, *Annal. Ferdinandeor.* Tom. v. p. 2619. seqq.
y.) Ibidem p. 2533.
z.) Tomo VI. *annalium Ferdinand.* p. 2661. seqq.
a.) Idem ibid. p. 2665.

Qua postea
urbis fortuna
suerit?

Pestensem
inceptio-
nem?

non Rosswurmio
malisior?

lio, *Collonitschium*, cum bis mille equitibus, *Sulzium* autem, cum aliquot biremibus, Vienna tunc adpulsis, atque classe *Comaromiensi*, quæ tria peditum Germanorum & Hungarorum millia vehebat, secundo Danubio, ad hostium conatus explorandos, interuertendosque, dimittit. Ineunt illi terrestre, iuxta & nauale iter: cumque ea regione, naues adplicuissent, qua id maxime videbatur opportunum; facta exsensione, in hostem mouent, adoriuntur operi intentum, magna edita acceptaque clade; *Collonitschio* propemodum amisso: quippe qui, e ponte, vna cum equo, in impeditam carectis paludem prolapsus, ægre a suis seruatus est. Ad vltimum, emissa glandium procella, fracti hostes, cum impetum nostrorum sustinere amplius haud possent, in fugam versi, terga dederunt. quod *Murati Budensi*, in primis salutis fuit. Interiere ex hostibus, quingenti, *Sexardiensis* adhæc præfectus, cum duobus ingentibus signis, interceptus est: ex nostris, ducenti, circiter, desiderabantur. Re, ad eum modum, haud infeliciter gesta, onusti præda milites, in castra ad *Strigonium* posita, rediere. Hac, melioris fortunæ proclivitate, vsurus *Rosswurmus*, exercitum promouet, positisque inter *Vácziam*, & *Budam*, castris, occasione rei bene gerendæ imminet. Atque fiebant omnino, passim minuta prælia, sed quibus, ad summam rei, nihil proficiebatur. Nam, quod *Buda* metuerent hostes, castris se continebant, inter urbem & montem *S. Gerardi*, angusto loco, more nostrorum, fossa aggeribusque communitis. Tandem, moræ, atque iniuriarum auctumno pertæsi, tentandum rati quidpiam militaris facinoris, antequam hibernatum abirent, *Cæsarianorum* castra, summo silentio, noctu adoriuntur. Fit anceps, ad pontium, quibus nostri Danubium iunxerant, capita, prælium, diuque dubio Marte, dimicatum est, dum concurrantibus nostris, maior in hoste cædes edi occiperet. Enim vero, periculi admonitus *Rosswurmus*, cum vniuerso propemodum exercitu, ad pugnae locum aduolat, factaque impressione, & curulibus tormentis adtractis, hostem, magna virium contentione pugnantem, partim in fugam coniecit, partim in *Danubium* præcipitem agit. Nocturnum eius diei, qui *S. Michaeli* sacer est, prælium fuerat, eo quidem difficilius, quod neque ordines, ritu militari construi, neque adgressiones, densatis agminibus, institui potuerint: Turcæ contra, non tam consilio, aut arte, quam cæco rabidoque impetu, depugnarent. Cæsa Turcarum fuere septem millia, signa XXXV. adempta, captiui facti pauci. Hostibus castigatis, cum *Budam* adgredi, anni superioris fortuna dissuaderet, *Habuanum* interceptit *Rosswurmus*, communitoque *Pest*, exercitum, in hiberna, tum demum abire permisit, cum & hostes *Belgradum* redire coeperunt (b.) *Murates* interim *Budensis*, tametsi & ducis, & fortissimi militis, munere, egregie defunctus, vix ac ne vix quidem cædem euasit; præfectura tamen *Budensi*, diu fructus haud est; sine mor-

profigan-
tur *Buden-*
ses, pugna,
ad *Sarvi-*
zum con-
missa:

Rosswur-
mus, castra
inter *Vá-*
cziam, &
Budam,
metatur:

adoriantur
nostris Tur-
cas; unde
atros: sic
prælium:

hostium
clades:

Budam
tentari, non
sustinent
Cæsariani:

b.) Huius anni expeditionem, suse descripsit
KHEVENHILLERVS, Annal. Ferdinand.

Tomo VI. p. 2664. seq. haud tamen
vbique, ex *ISTVANTFFY* nostri, sententia

morte præuentus, siue alia quacunque præfectura ornatus. Certe enim, ad anni MDCIV. exordia, *Halys*, *Budæ*, cum imperio præerat, (c.) pacificationi ei, quæ in *Pestano* campo, mensè *Martio*, irrito conatu instituebatur, arbiter, cum collegis, datus.

Halys, vr-
bis præfe-
ctus.

§. LIII.

Mitiora omnia *Budensibus*, annus MDCIV. adtulit. *Pest*o enim, ab *Hafane*, ad obsidendum *Strigonium*, proficente, metu nostrorum intercepto, quin & *Habvano*, eodem pauore occupato, magnis malis exonerati sunt *Budenses*. Præterquam enim, quod gemina hac Christianorum præsidiorum iactura, cessabant molestiæ illæ, & agitata continenter, in agrum vrbis, impressiones; coadunatis cum *Hafane* viribus, *Halys* *Budensis*, poterat militare. Ac fuit saue, insignis eius opera, cum anno MDCV. *Strigonium* laboriosa obsidione, hostes occupassent. *Halys* (d.) enim vero fuit, qui intra arcis moenia admissus, non modo de conditionibus tradendæ eius, pactus est, cum prædialiis; sed etiam, qui integros manipulos Germanorum, cum signis, tympanis & ducibus, in Turcicam militiam pertraxit. Incidit, in eundem hunc annum, senescente iam auctumno, solemnis illa *Botskaii*, cum *Mehmete Vezirio*, congressio: cuius historiam, quia prolixè explicuimus in vrbis *Pestiensis* descriptione (e.), non est, ut hic eam repetamus. Præcipuè, in accipiendo *Transihiano*, partes, *Halys* *Budensis*, sibi delatas habuit. Ad riuum *Rákósum*, inquit *ISTVANTFFYVS*, *Alys purpuratus Budensis*, per *Saicas* *Danubio* trajecto, eum, nomine *Mohmetis Vezirii*, salutauit, eoque persundens officio, consensit nauigiis, discessit: & non diu post, nox adfuit. Quo, ea tempestate habitu, *Buda* fuerit, docendus est lector, ex *IOHANNIS* *Bocacii* epistola (f.) ad amicum, de congressu hoc *Botskaii* perscripta. Plures fuere, ex eius principis comitatu, quos subido incescit arcis adeunda. Hac & *Bocacius*, *Cassouiensium* consul, & legatus, *Botskaii* in primis carus, trahebatur. Ad huic vero modum rem exorditur. „ Relatione illorum, qui *Budæ* fuerant, captus, de re deundo (g.), deque visenda *Buda* me incedit libido. Communico rem & propositum cum aliis, idem cogitantibus. Impetrata, a principe, venia, cum *GEORGIO* *HOFMANN*, consiliario principis, & aliis, iacio aleam, & nouo me expono periculo: cum præsertim intelligerem, principem, eo die, ultra duo miliaria, non perrecturum. Rationibus itaque subductis, redire me, & castra, eodem die adprehendere posse, pergo *Budam*, cum sociis curtu ventus. Adpello in *Danubii* portum; adest nauis; recipimur, trans-

*Pest*o, &
Habvano
intercepti,
Budæ tran-
quillitas
procacata:

Botskaii,
cum *Meh-*
mete Vezirio, in
campu *Rá-*
kos con-
gressio:

Halys *Bu-*
denis, in eo
recipiendo,
partes:

qui tunc
Budæ fue-
rit habitus,
verba *Bo-*
cacii docer-

c.) Pacificationis irritæ historiam, lege apud *ISTVANTFFYVM* Lib. XXXII. p. 803, seq.

d.) Idem Lib. XXIV. p. 834, 45.

e.) Supra, Cap. II. §. VIII. vsque ad §. XIV. Vide

ISTVANTFFYVS quoque loc. cit. p. 836, 30. Dabimus eam integram, in *ADARATY* ad Historiam Hungaricam.

f.) Idem eum, cum comitatu, *Vácziam*, & campis *Rákó*, mouerat *BOTSKAIVS*.

ferimur. Intelligo, *Veziurum*, hesternam die, quam primum princeps discessit, non solum *Budam* ingressum; sed eadem vespera, iter suscepisse, ad castra sua, infra *Budam*, duobus miliaribus distantia. Maturare iubetur iter, ut anteuertat hiemem, & tempestates. Egressus naui, quod primum, quod postremum lustrandum sit, ignoro. Ad portam (b.) video longum & testudineatum, ex quadratis lapidibus, ædificium. *MATTHIAE* regis sumtuosum stabulum exstructum fuisse cognoui. Miratus, & alterum vicinum huic, non impar mole & longitudine; sed eminentius & altius, versus vrbis moenia. Video, hinc ire, & redire homines, & iumenta, & stratam saxo viam, per flexus aliquos ad moenia ductam. Venitur ad portam, (i.) cuius nomen ignoro, quam tormenta Pestiensia lædere potuerunt, cratibus & congerie terrestri impletam, ut curruum non detur ingressus; tantum equiti & pediti fauebat. Iacent hic passim, intestina, cadauera, sordes, simus, excrementa. Ingredior *Budam*. Salue, dicebam, *BUDA!* Hungarorum quondam regia, nunc dolor & morbus. Ut in aditu in primis videris, foribus & lato es amica. Pergo, montem & plateam ascendendo, reflectere ad dextram. Hinc & inde tabernæ, præ foribus institoriarum, coqui publici, & tonstrina. Erigo caput, lustro domus, tectis admodum pauperibus, & non tectis, fenestras obstructas luto, lateribus, stramine. Troiana me *Pergama* visurum arbitrabar: video, suo auspicio, deformatas, conspurcatas situ & fumo, macerieque dehonestatas aedes. Forumne sit? interroganti, esse respondetur! Adeo mercatores, postulo hoc, postulo illud: singuli respondent: *Loek!* alii, *Loektar!* non esse, quod velim! intelligo. Venduntur sericata; nihil adparet, quod capiat, quod mens, quod postulet vsus. Pretium, pro qualicumque, etiam re vilissima, magnum. Emuntur colorata cochlearia, atramentaria, & pauca alia. Hæc ille, indigna profecto, pristino regie habitu.

§. LIV.

Pergit, quæ vidit, recensere, cetera. Conuenio, inquit, presbyterum Hungarum Christianæ religionis. De statu & ordine Christianorum, ibidem habitantium expiscor. Is, vno verbo: miseria & seruitus. Templum, non ita pridem Christianis ademtum, querebatur. Ergastulum, suas aedes esse dixit. Vbinam Schola? Ecce! inquit, ostendens quinque puculos. Plures ne? Non certe! Miser, inuitat, & professionis signum (k.) edere vult. Pellit frigus, & caros de foco: iubet, vxorcula cibum præparet. Supersedeat, rogo; morandum non esse. Peruoluo

libel-

b) Ingressus, nimirum, fuit ad turrim aquariam.
i.) Fuit scilicet, porta fumentanea, Pe-

sto obuersa.
k.) Christianum esse, neque immemorem caritatis.

libellos veteres, eiusdem seculi. Album offero meum, & posco, pro memoria, nomen profiteatur suum. Facit bonus, præmittit, nescio, quod mysterium. *Nunc altum tentabo scopum, si adtingere possim; quem nondum quisquam adtigit. &c.*
STEPHANVS M. KETSKE MÉTHINVS. *Budæ*, 2. Nouemb. (l.) secundum vetus Calendarium, A. MDCV. Valedico homini; polliceor amicitiae vicem, & ad litteras prouocatus. Atque, hæc quidem condocent, & cum tyrannis incubaret *Budæ*, haud tamen ciues ei Christianos defuisse. Concionator hic, *Heluetica Confessione* adductus fuerit, oportet; quod & hominis ingenium prodit, & cognomentum. At *BOCACIUS*: urbem, inquit, lustraturus pergo. Colligo, fuisse *Budam*, qualis describitur, qualis dicitur. Nihil iam præclarum, cœnum vbique. Versiculi, dicta, & sententiæ passim in parietibus domorum. Tempora diruta, iumentis hospitia. Nec scandulam, nec asserem vnicum, vidisses hic recentem. Monumenta marmorea, ex cœmeteriis perlata in angulos, & plateas, vel sedilia præbebant, vel mensam mercatoriam. O vastitatem! o vastatores! proclamabam. Sicne homines, ab omni ornatu & mundo alienos esse, ut porci nostri, præ illis, homines esse videantur? Strata passim iacent cadauera. Quo in loco quod suffractum, eodem relictum. Obueniunt agazones; equi singuli, binos sordidos & horrendos culeos, deferre visuntur. Aquam venalem circumportari, & saccum vnum, asperis septem, vel octo, coemi, mihi dictum est. Vrbs enim superior, propter situs altitudinem, & loci duritiam, (saxum enim est solidum) puteis & aquis, destituitur. Inferior ciuitas diruta, disiecta, incolis cassa, plus Neptuni, quam Cereris, & Vulcani, nunc habet: nullo fere edificio adhuc stante, præter bina, vel trina turcica templa. Aduertat animum lector, quam hæc foeda, immo turpia sint omnia. Ut mirum sit, etiam cogitatu, quemadmodum potuerit gens *Hungara*, prisco suo more, munditiei sic satis studiosa, cum hoc foedissimum hominum genere, & foederibus consociari, & misceri habitationibus. Audiamus porro *BOCACIUM*: Arcem indago, & reperio. Primo, occurrit statio tormentorum numerosorum, Turcica inscriptione, & Cæsarum Romanorum. ex quibus vnum recens adlatum, diligentius contempletur; annum & dominum reperio. ANNO (m.) MDCII. RVDOLPHVS II. Nulla illorum cura, stant sub dio, terram axes adtingunt. Gloriarum passim stratorum, & absque ordine iacentium, ingens copia. Mox alteram ingredior arcem, & in intimiorem arcem me introritti peto. Denegatur: sub capitis poena sibi interdictum esse, custodes dicunt; sed olfaciebam, vnde illæ lacrymæ. Per portam,

TOM. III.

Yy

,, ma-

l.) Fuit nimirum, XII. Nouembris, qui & c. *kytensium* sum congressum excepit.

m.) Sub *Ressvarmiana* obsidionis tempore, quæ in eum annum incidit, intercepto credo.

„ magnificas & egregias columnas, intueri licuit. Sed de monte S.
 „ *Gerhardi*, ante triennium, a *Cæsarianis*, occupati & possessi, vi tor-
 „ mentorum, eadem parte, admodum adparebat arcem esse perfora-
 „ tam. Turres hic video, albicantes & tectas, hinc inde quoque la-
 „ ceras, & globis percussas. Cum nihil aliud ad contemplandum da-
 „ retur, de porta arcis me demitto, vbi *Turcicæ* duæ feminæ, (nul-
 „ lam aliam præterea videram, in tota vrbe) obuiam veniant, facie
 „ velata, e thermis, sub arce pullulantibus, egredientes. Præcep-
 „ hic descenditur mons. Iacet hominis *Turcæ* cadauer ad semitam,
 „ esca canibus. O immanitatem! viam & ripam *Danubii* contrecto.
 „ Rursus congeries globorum, vt aiebant, ex castris *Cæsarianis* huc-
 „ usque eiculatorum. Egressis cum focis, noti quidam *Hungaro*
 „ *Turcæ* *Christiani*, panem, caseum, oryzam, fructus hortenses,
 „ offerunt, donant. Ingredior nauem, & dum per *Danubium* ve-
 „ hor, focis, ænigma propono; respondeant, quid esse putent,
 „ quod loco termini, & notæ alicuius, *Budæ* visæ, velint obseruare:
 „ Esse quid *Budensibus* in tanta copia, vt nulla, in tota *Hungaria* ciui-
 „ tas, vrbs, aut oppidum habeat; gratis cuius, idem illud detur, con-
 „ cedatur; nihilominus tamen, ipsi, nisi pecunia interueniente, conse-
 „ quantur. Hæsitantibus illis, *Aquam* esse respondi. Magnus enim
 „ licet, & amplius fluuius sit *Danubius*, cuius vsura, vt nemini pro-
 „ fus, neque iumentis sit interdicta, in vrbe tamen ista ematur pecu-
 „ nia. Hactenus epistolica, *Bocacii* de *Budæ*, cum eam inuideret,
 „ habitu, commentatio, vti ex vero scripta, ita lectu iucunda. Di-
 „ xeris heic merito, cum *ENNIO*:

O! domus antiqua quam disparti dominaris domino.

§. LV.

Budæ in-
culcus, Bar-
barorum
fordibus
adscriben-
do:

Consequuta, anno *MDCVI*. *Viennensi* cum *Hungaris*, *Zitwa-*
Torokiensi cum *Turcis*, pace, reparari, foeda hæc *Budæ* fa-
 cies, potuisset in melius; nisi barbarorum id, & sordes vetuis-
 sent, & vrbs, tandem aliquando perdendæ, haud inanis metus. Pro-
 inde, mansit, nobilissima & in cultissimis *Europæ*, iure quodam suo
 censa olim metropolis, non squalida modo cadaueribus, sed ipsa etiam,
 tota, quanta quanta fuit, putidum cadauer. Mirari subit, *Halym*,
 vrbs præfectum, hominem, elegantia studiosum, non elaborauisse,
 vt vrbi, si non pristinus, saltem aliquis decor, se rerum potente,
 conciliaretur. Verum, eo sunt *Turcæ* ingenio, vt cum fines proferre
 student, negligant ea, quæ sub potestate miserunt; satis habentes, si
 tuto possideri queant, defensarum, vbi trepidi quidpiam ingruerit.
 Accessit, ad vrbs calamitatem, ictus fulminis, quo arx interior, pri-
 die *Calendas Iunii*, *MDCVI*. percussa fuit. Delapsum id est in nitra-
 tos pulueres, qui conceptis flammis, grandem mœnium portionem,
 in aera eliserunt, ingenti passum priuatarum publicarumque ædium,
 quin

percutitur
fulmine:

quin & hominum, strage edita. Turris certe, quam ob defectum
 fastigii, *Tsonka-Torony*, hoc est, *truncatam turrim*, *Hungari* vocant,
 tota propemodum, depluentibus ex aere, murorum fragmentis, obsita
 fuit; aliquot simul, præcipui nominis *Germanis*, qui in ea captiui detine-
 bantur, obrutis. Id, arci vrbsque saluti fuit, quod capacior, pulue-
 ris pyrii apotheca, haud longo interuallo, inde disuncta, a flammis in-
 temerata mansit. quam, si corripuissent, pronum fuerat, molem vni-
 uersam, funditus disijci (n.). Sed, ad *Halym*, vrbs præfectum, re-
 deamus. Emicuit, singularis viri æquitas, in pacis *Sitwa-Torokiensis*,
 cuius eximius erat conciliator, tractatione. Præterquam enim, quod
 inuitantibus nostris, vt ad destinatum, arduo ei negotio locum, quam
 primum cum collega, accederet, iter vltro lubensque ingressus est, ve-
 nitque *Althanium*, *Turcarum* stationi designatum oppidum; sane, to-
 to eo tempore, quo de pacis conditionibus disputabatur, eum se præ-
 buit, vt nostris etiam arbitris admirationi esset. Tametsi enim, no-
 strorum postulationibus offensus; (*Agriam* enim & *Canisam*, saltem
 alterutram earum, constantissime repetebant) conceptam animo indi-
 gnationem, non vna significatione prodidit; mitescens tamen no-
 stris, & ipse factus placidior, *Cæsarianos*, aduersus *Botskaiarum* cri-
 minationes, insigni vsus libertate, mascule defendit. Accusabant pri-
 uatim & publice, *Althanium*, arbitrorum *Rudolphii* præcipuum, *Bots-*
kaiani, quasi prioribus tractatibus, id, apud *Halym*, ingenti auri vi
 promissa, egisset, vt *Hungaros*, a pacis communionem exclusos, *Cæ-*
sari, bello delendos permitteret. Quam ille iniuriam, suam non mi-
 nus, quam *Althani* ratus, palam negauit, seu *Romanorum Imperato-*
ri, seu arbitro sibi, in mentem, fecit hanc consilii rationem, venisse
 vnquam: adeo, vt quicumque, falsi & impii rumoris auctor existis-
 set, suo merito, in solemnibus hoc, diuersarum gentium, confesso, puti-
 di mendacii conuinceretur; ipse contra, cum *Althanio*, famæ hono-
 risque integer, omnium, qui adessent, sententiis, iudicaretur. Pa-
 ce demum, æquis conditionibus, haud tamen sine acri disputatione,
 conciliata, *Halym* designatus est, qui cum *Battyanio*, vicis, ditionis
 vtriusque, ad *Canisam*, discriminaret. Nullam eius postea mentio-
 nem reperio; forte, quod *Muratis*, purpuratorum principis factus
 gener, maius dignitatis fastigium, apud suos obtinuerit.

ingenti ho-
minum &
murorum
strage:

Halym præ-
fecti, in
pacis *Sit-*
wa-Toro-
kienis tra-
ctatione;
æquitas:

Cæsaria-
nos arbi-
tros, ad-
uersus cri-
minationes
Botskai-
arum,
defensit:

Halym, de fi-
nibus, cum
Battyanio,
composit.

Sopisto-
rum tem-
porum in-
genium:

sancti Bu-
densibus:

§. LVI.

Sequuta hinc tempora, tametsi vicennali pace, reparata credeban-
 tur, erant tamen, nunc *Turcicis* impressionibus infesta, nunc
 bellis perturbata *Transiluanicis*. Vtrumque, cum *Budensium* ac-
 cessionibus, coniunctum fuit: quippe quibus, domi quidem secura,
 foris autem, ad rapinas prona existere omnia. Vix enim quidquam
 subitæ expeditionis, cis & vltra *Danubium*, a *Turcis* suscipiebatur;

Y y 2

quin,

n.) *KHEVENHILLERVS*, *Annal. Ferdinand. Tom. vi. p. 3075.*

quin, aut auctores eius *Budenses* essent, aut complices. Regioni profecto, quam late circum tributariam habebant hostes, hinc imperitabant: tunc in primis, cum Principes *Transilvaniae*, commoto toties totiesque bello, non vna impressione, *Cæsares* fatigabant. Quantaunque autem *Budensium*, sub tyranno, fuerit felicitas, haud tamen caruit conuersionibus, a domestica profectis calamitate. In his incendia numeraueris, quæ, & crebra erant, & vltra modum noxia vrbi. Enimvero, anno MDCXXV. mille, plus minus domos exultas, legas. Nondum profus reparauerant damnum isthoc, Turcæ; cum decennio post, anno scilicet MDCXXXV. vniuersa propemodum vrbs, conflagrauit. Incendio, temporis momento, latissime propagato, porta gemina, moeniaque, correpta fuere. Tormenta certe, idoneis locis, per propugnacula disposita, exultis currulibus suggestibus, concidere. Fama est, mille homines flammis haustos, fœdum in modum interiisse. Vulcani hæ fuerant iniuriæ. Cælum postea, urbem adfixit. Atque, anno quidem MDCXLIII. inusitatae magnitudinis grandine (o.), tanta cadente vehementia, vt ædium tecta pertunderet, prosterneret homines pecudesque. Cumulauit eam cladem, delapsum iterum, anno MDCLX. cælo fulmen, ignitum illud, maximeque nocuum. Eui-brato enim igne, eximiam vrbs regionem, centenis aliquot ædibus instructam, opinione celerius concremauit. Adhuc vero, pars domorum, Turcarum segnitie, in cineribus iacuit; cum anno MDC-LIX. iterabatur, feralis incendii malum. Simul id exarsit, diffusis, perniciter, huc illucque flammis, ingentem ædium hominumque stragem edidit. Quod malum anno MDCLXXVI. insolens aliud, neque auditum facile, excepit. A spectris nimirum, nocte concubia, extra modum exagitati sunt Turcæ. Nam, in hos quidem, vario terriculamentorum genere, verberibus in alios, seuiisse ferebantur. Ergo, vt suorum consuleret securitati, vrbs præfectus, castra, extra moenia, nec quidquam metatur: nam & huc penetraere, boni maliue illi spiritus, pessimeque multabant, duces iuxta & gregarios; vt rem Constantinopolim, nunciandam, purpuratus existimarit. Hæ dum fiebant præstigiæ, in eo palatio, quod *MATTIUS* Coruinus incoluit, nocturnæ faculæ adparebant sæpius: tanto barbarorum pauore, ut nihil non inde, pessimi ominis, rebus suis, augurarentur. Atque fuit omnino calamitas hæc, illi similis, qua adfluctabantur infideles *Aegyptii* (p.), dum pergerent, aduersus gentem *Israel*, destinata exsequi. Hæc istiusmodi ostenta, tumultus consequutus est, quem ob male dissoluta stipendia, eodem illo anno, *Ianitschari* commouerant; tanta omnium rerum perturbatione, vt præfectum quidem, in vincula conicerent, ciuium autem, atque mercatorum potissimum ædes, diligentissime expilarent: dum seditioni, mixta pollicitationibus seueritas, finem faceret.

§. LVII.

e.) Leges, Theatrum Europæum, Tomo p.) Libro Sapientie, cap. xvii. vers. 6. v. p. 60. seq.

§. LVII.

His malis, intra muros, exercebantur barbari, dum extus, nihil esset, quod timeretur. Quod enim *Regum Hungariae* vires, hinc quidem ciuili seditione, tricesimali illinc bello, accisæ erant; *Turca* contra, pace, nunc quomodocunque confocillata, nunc iterum, belli iniecto metu, factisque in *Cæsarianos* fines procur-sionibus, suspensos detinerent; quin propagarent etiam, barbaricæ ditionis terminos; *Buda*, armis tentandæ, impotes fuere Christiani. Inter has difficultates, *FERDINANDI* II. & III. tempora exacta sunt, incremente subinde hostium ferocia: dum *LEOPOLDVS*, diuino munere, retundendis barbaris, *Hungariæ* datus, collapsam gentis, ac regionis, fortunam, Herculeo labore, successu autem, ad miraculum felici, repararet. Dura ei regnandi initia fuere, ideoque, despectui a *Turcis*, *Budensibus* in primis habita. Procax, & plenum contemptu fuit facinus, iuxta & disterium, quo *Buda* præfectus, inauguratum, anno MDCLV. in Regem *Hungariæ* *LEOPOLDVM*, proscidit. Est, præter cetera, in more, vt nonus Rex, equo, in collem, seu terreum aggestum deductus, vibratum, in crucis figuram, gladium, ad quatuor orbis latera, circumferat; rei (q.), nescio cui, significandæ causæ. Quam rem, in ludibrium vertens *Budensis* *Vezirius*, in lectum se dat, caput, velut vulnere faucium, fascia obligat, quiratur, chirurgos adesse iubet. Mirantibus, qui sanum nosset, barbaræ ferocia reposuit; *Hungariæ* Regem, gladio, quem nuper, dirum in modum vibrasset, ingentem ipsi plagam imposuille. At profecto erit, cum eadem, nequaquam ioco repetent *Ottomanni*: verba sunt *WAGNERI* (r.). Abiere quidem, complura lustra, bellis variis, varia gestis fortuna, extracta, dum sentirent barbari, quem regem nacta sit *Hungaria*. Interim, nihil non egere *Budenses* præfecti, quod adfluctandis rebus Christianorum, putabant idoneum. Anno in primis MDCLIX. multa purpurato huiati, *Szejdi Ambeti*, cum *Rákóczio* iuniore, *Transilvaniæ* principe, sed & infelix conflictatio fuit. Fluctuabat, pessimis suis consiliis ea provincia, quam *Rákóczius*, non tam moderabatur, quam susceptis præpostere consiliis, in dies magis magisque, confundebat. Abdicauerat se ille, indignante illinc *Sultano*, hinc suadentibus *Ordinibus*, principatu. Mox, pœnitentia ductus, repetendæ dominationis, cui adueuerat, cupidine, rapitur denuo; *Barczaium*, sibi succedentem, eo falligio proturbaturus. Contraibant subitæ huic destinationi (s.) *Turcæ*, princeps purpuratorum maxime, qui, ne nomen quidem *Rákóczii* ferre volebat. Dona certe ab eo missa, factasque, de augendis tributis annuis, pollicitationes, non modo non acceperat; sed minas etiam interposuit, longe atrocissimas, ni ceptis desisteret. Nondum hæc forte cognita ha-

Yy 3

buit

r.) Excussimus eam, Tomo I. *Hungariæ* Cis-Danubianæ, Parte Speciali, in *Historia* Urbis *Piloniensis*, cap. v. Art. I. §. xviii. p. 309. r.) *Historiæ* *LEOPOLDI* M. Lib. I. p. 8. r.) Causas odii *Turcarum* in *Rákóczium*, excussit *WAGNERVS*, Lib. II. p. 80. seq.

urbis incendia:

clades ex grandine:

itemque ex fulminis ictu:

adfluctantur præstigiis spectris:

Ianitscharorum seditio.

Buda, in-
ter tot ma-
la, seueri-
tas: eius
causæ:Leopoldi
aduersus
Turcos fe-
licitas:Budensis
præfecti in-
cum dister-
rium:Szejdi Am-
beti in-
qui-
et:cum Rá-
kóczio iu-
niore con-
flictatio:huius præ-
postera con-
silia:

buit *Rákóczius*, cum legatione alia, praefectum *Budensem*, *Szejdi-Ambetem*, suis partibus innectere laborat; at euentu, multo, quam putarat, funestiore. Comprehensum enim legatum, & onustum vinculis, ad *Vezirium* dimittit. qui, barbara feritate percitus, se inspectante, verberibus, more Turcico, caedi, posteaque obtruncari hominem iussit. Datum in mandatis erat, a Turcarum imperatore *Szejdi-Ambeti*, uti exturbaret ex Transilvania *Rákóczium*, *Barczaium* contra, *Temesvári* exsulantem, pristinae redderet dignitati. Ergo, uti iubenti hero satisfaceret, exercitum comparat, *Buda*, *Belgrádi* & *Temesvári*, magnos in bellum adparatus facit. Sub idem fere tempus, missis *Temesvárim* litteris, ingratis erga se, parentemque suum, mentem, generis item ignobilitatem, *Barczaio*, acerbè (t.) exprobrabat *Rákóczius*; si forte posset, nouum hominem, Turcis, hac arte, despectum reddere inuisumque. At, res, longe aliter, quam opinabatur, cecidit. Purpuratus enim *Budensis*, *Szejdi-Ambet*, rustici, & ipse filius, in pueritia latro, mox praedo, tandem eorum, qui in Asia, contra Imperatorem Turcarum rebellauerant, dux, non armis, sed oblate dignitatis auctoramento, ut seditioni finem faceret, euictus, ignobiles ortus, virtute militari illustrauerat: ob exprobratam *Barczaio* ignobilitatem, vehementissime exandescens, abstinere se haud potuit, quin vteretur inuectiua in *Rákóczium*, omnium acerbissima; idque suae ipsius ignobilitatis, cum gloriatione memor: *Nequissimus ille mortalius*, inquit, *ignobilitatem alterius, perstringit; cum ex paruis initiis, virtute in altum eniti, quam ex alto. (uti Rákóczio contigit) propter scelera deturbari, honestius sit. Ego, rustico natus patre, virtute simul ac honoribus, genitores meos praeui. (u.)* Verissima omnino voces, & si furorem demas, etiam philosopho dignae. Quid est enim iniquius, quam natales exprobrare cuiquam, quos mortalium nemo, ne huius, vel alteriusmodi essent, impedire potest; potest autem illustrare virtute, & rebus praclare gestis. Recte *IUVENALIS* (v.), in natalium suorum immodicos praecones:

*Malo, pater tibi sit Therfites, dummodo tu sis
Acacidae similis, Vulcaniaque arma capeffas.
Quam te Therfite, similem producat Achilles
Maiorum primus, quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.*

Barc-

*) IOHANNES BETHLENIUS, Barczaio a consiliis, idemque, Transilvaniae Cancellarius. Rerum Transilvanicarum. Lib. II. Sect. XIII. p. 99. epistolae argumentum sic recenset: *Ignobilitatem praecatoris, in despectum, procul dubio, Turcarum eum adducitur, obiciens: quippe qui, patris ipsius domum calefactor, ab eoque precoriam, solum Domini sui usurpare,*

non arabefferet. Opus, copias, immo vitam suam, offert ad obsequium Ottomanicae Porta. Hec ille. BARCZAI characterem, scite pictum exhibet, WAGNERVS, Lib. II. p. 81.

u.) Idem, Rerum Transilvanicarum, eodem Lib. II. Sect. XIII. p. 100.

v.) Sacyra VIII. extrema.

Barczaio interim, nihil *Rákóczii* hac inuectiua, illatum iniuriae est, dummodo ab animo profecta fuisset aequiore: erat enim, sicuti in herum *Georgium Rákóczium* seniore, ingratus, ita impius in patriam, quam Turcica hac clientela, pessum dedit. Ceterum ipsa, aduersus *Rákóczium*, *Ambetis* expeditio, infeliciter cessit. Caesis enim, & in fugam coniectis, Turcis, aegre *Rákóczianorum* victrices manus euasit: sed, quam ille cladem, inita, inter *Claudiopolim*, atque arcem *Gyalu*, pugna decretoria, egregie vltus est. Illic enim, dum & ducis, & militis munere, mascule defungitur *Rákóczius*, profligata suorum paucitate, ipse, letali vulnere faucibus, vix *Váradinum* (x.) euasit, atque illic, breui post, pridie *Nonas Iulii*, *Caluinianus*, an *Romano-Catholicus?* irrequietum spiritum, reddidit. Filium *Franciscum*, morti proximum, *LEOPOLDO* commendauisse, *TOPPELTINVS* (y.) auctor est.

vincit Arabes Rákóczius, vinciturque iterum.

§. LVIII.

HAEC, quae de *Ambetis* expeditione Transilvanica diximus, eo pertinent, ut constet, qua tunc praefecti *Budenses*, & auctoritate fuerint, & viribus, ad res Christianorum pessundandas.

Digressio huius cantus:

ORTELIVS (z.) auctor est, *Rákóczium*, parta primum, de *Szejdi-Ambete* victoria, *Caesaris*, & *Hungarorum* auxilia, impensissime efflagitauisse, quibus confirmatus, victoria uti, & Transilvaniam, depulsis barbaris, Christianorum ditioni, postliminio adiacere possit: quin, *Buda* capiendae, eliberandaeque *Hungariae*, spem haud vanam ostentauiſſe, si ad belli societatem coiretur maturius. Meminit precum *Rákóczii*, *WAGNERVS* (a.) non item spei, quam ille, de *Buda* capienda, ingesserit. At, *Szejdi-Ambeti*, expeditio Transilvanica, tamen victor ad vltimum euaserit, funesta existit: magistratu enim *Budensi*, non tam suo merito, quam factorum iniuria, cedere iussus, & ad tenuioris fortunae rationes, redactus est. Rem, *IOHANNES BETHLENIUS* (b.), ad hunc modum retulit in litteras: *Nondum haecenus, in Ottomanica Porta, Principis Rákóczii interitus, resque Purpurati Budensis, Szejdi Ambetis Bassae, feliciter gesta, cognita; ideoque, tanto impar negotio iudicatus, cum vniuersis Europaeis, Asiaticisque exercitibus, ad dictum principem, (iam defunctum) armis persequendum, purpuratus Haly-Bassa missus, Albam primum Graecam, mox Temesvarinum, peruenit: omneque Szejdi Ambetis munus ademptum, Ismaele quodam, in purpuratum Budensem, qui tamen Ali Bassae subsit, ordinato. Ergo, declinare hanc tempestatem poterat Ambetes, si consilio vsus, per celeres nuncios, Sultanum, de profligato Rákóczio, cond-*

victoria Transilvanica funesta fit.

*) Praeter nunc laudatum BETHLENIUM, Lib. II. fine; vide WAGNERVM, Lib. II. p. 83. vbi Rákóczii simul imaginem legas, p. 84.

y.) In Originibus, & Occasibus Transilvaniae, p. 237.

z.) Chronici Hungarici, Parte II. p. 177. a.

a.) Libro II. p. 98. seq. vbi, & causas, negotiorum auxiliorum, legas.

b.) Lib. III. Sect. II. p. 162.

cuius. Tantum est, occasione prudenter uti! Interim, *Ali Bassa*, uti *Szejdii Ambetis*, a praefectura Budensi deiectioni, fortunam, quomodo-
cunque temperaret, collegam eum adsciuit (c.) *Varadini* oppugnandi.

§. LIX.

Ismael,
post Anhe-
tos, Budae
praefectus:

Budae ab-
decto con-
silio Mon-
teuculii,
interuen-
tur:

Iam Transilvania relicta, quorum nos *Szejdii Ambetis* expeditio, traxerat, *Budam* redeamus. *Ismael* ei, post captum a Turcis *Varadinum*, praefectus, quod nunc diximus, ab *Halys* purpurato, loco *Szejdii*, datus fuerat. Inierat annus MDCLXI. exitialis futurus *Buda*, nisi *Montecuculii* destinationes, praecipiti magis, quam salutare consilio, interuertissent, qui *Viennae* fuerunt a moderandis belli negotiis. Quindecim is millium exercitum, ad *Comaromium*, e veteranis fere legionibus, coegerat, iis nimirum, quae annis superioribus, per *Poloniam*, *Daniamque*, victricia arma circum tulerant. Supplementa, ne hiarent turmae cohortesque, iusto numero, sublecta, secundo amne in castra aduenerant. Annonae, tormentorum, & nullius non bellici instrumenti, ingens vis comparata, praesto fuit. Pontem *Danubio* instrui curabat *Montecuculus*, quo in insulam exercitum traiceret, *Strigonium*, aut *Budam*, obsidione clausurus. Haec molientem, litterae interpellant, a senatu bellico, *Vienna* missae, uti ceptis desisteret, seque, cum exercitu, ad expeditionem *Transilvanicam*, pararet. Vehementer ea res *Montecuculum* perturbavit, inquit *WAGNERVS*, (d.) tempore, impensis, adparatibus maximis, inaniter perditis. Nec continuit se, quin *Transilvanicae* expeditionis consilium, uti perniciosum euentu patuit, libere disuaderet. Nullo, aiebat, in arduum adeo iter, adparatu facto, vndenam annona conquireretur? Qua militi transeundum sit? Deseri fore casas, ab agrestibus, qui in silvas se recondant, Germanumque, velut hostem intueantur. Improbo estu sitique, (Augustus mensis subibat) ac lassitudine aridos milites, parum vigoris in praelium adlaturos. Turcam interim, pro libidine grassaturum; *Kemenium* periturum, dum ipsi peregrinarentur. Promptiora omnia ad *Danubium*; nam & fluminis opportunitatem, plurima commoda habere, & ex hostico bellum ali. *Varadini* iacturam, *Strigonii*, *Budae*, aut, si maioris id negotii foret, *Alba Regalis* expugnatione, pensari posse. Ad ea, non aliud ipsi responsum, atque: ubi male sit corpori, ibi curationem adhiberi oportere. Quasi, ut ipse in suis commentariis notavit, capitis, aut pectoris vitium, non perinde brachio inciso, consanetur: id quod adcurate, ac solerter, anno toto expensum, ac deliberatum, leuibis adeo momentis, haud quaquam mutandum fuisse. Ita tunc, praeposteris consiliis, quorum fontes solerter indagavit *WAGNERVS*, recuperandae *Budae* occasio, nullo operae, apud *Transilvanos*, facto pretio, elisa *Montecuculo* e manibus est. Atque, fuit hoc omnino, nescio, quid inuidi ac perniciosi fati, ut quoties *Buda*, tyranno extorquendae, vel agitabantur,

c.) Ibidem, Sect. III. p. 166. & Sect. V. p. 171. | d.) Lib. II. p. 94.

tur, vel suscipiebantur serio, consilia, diuersissima aulae procerum, iam olim, studia, optimis destinationibus, intercessisse. Nempe, sunt in aulae plerumque, maioris auctoritatis, quam experientiae viri; sunt item, quibus potior otii, & oblectamentorum est ratio, quam necessarii belli, seu adparatus, seu ad prosequendum, ardor. Quo circa, intemerata superabat *Buda*, non tam sua fortuna, quam nostrorum culpa. Dum enim tumultuatur *Transilvania*; consilia autem, quae subinde inibantur *Vienna*, sibi inuicem contrahunt; alta superbaque pace, *Budenses* fruebantur.

eius rei
causa:

nomen inde
Budensibus
feliciter.

§. LX.

Vrbis interim praefectus, *Ismael*, vix quidquam laceffitus a nostris, siue suapte ingenio, siue causis aliunde arcessitis, infenso, in rem Christianam fuit animo. Pacem, laboriosa huc & illuc missa legatione, *LEOPOLDVS*, cum Turcis nitebatur conciliare: iamque eo processerat negotium, ut confectum *Viennae* (e.) crederetur: cum Turcae, moram primo rebus iniicere, mox, data opera cunctari, tandem, postulationibus aliis super aliis accumulatis, sufflamen ponere. *Ismael*, nimirum, *Budensis*, noui, & adolescentis admodum *Vezerii* instinctu, tantae rei, tamque noxiae Christianis, auctor exstitit. Reiecerat *Vezerius*, pacis conficiendae negotium, in *Halym Temesuariensem*, qui rebus diu multumque disputatis, eo perduxerat opus, cum *Goesio*, isthuc misso, ut signarentur etiam tabulae, mutuo consensu. Ratas, *Caesar* quoque habuit; non item Turcae; *Ismaele*, quem diximus, intercedente. Inueterata huic, cum *Halys* fuit similtas, quem, omnibus in rebus sibi praelatum, ferebat aegerrime, & ad se, tum *Varadiensem* expeditionem, tum pacificationis negotium omne, pertinere, contendebat: eo quod prima sit, post purpuratorum principis dignitatem, flatio *Budensis* praefecti. Proinde, ut irrita faceret *Halys* consulta, ad *Vezerium* perscribit: Sibi, qua Christianorum finibus propiori, certum esse exploratumque; Germanos, id sibi proposuisse, ut *Synolis* ambagibus, arma Turcis, e manibus eliderent; cum ipsi interim, & magnos domi instituant delectus, reges principesque, in belli societatem pertrahant; noua passim, per limites, munimenta excitent, instaurant vetera, & praesidiis impositis, ad incursum non minus, quam reuicendam vim, reddant idonea. Longum foret, cetera cauillationum momenta prosequi, quibus, *Temesuariensem* pacificationem, exagitabat, homo, & suis infidus, & nostris damnosissimus; legi reliqua poterunt, apud *WAGNERVM* (f.). Valuit, interim, ad interuertendam pacem, *Ismaelis* haec calumniandi libido: quod, & multum gratia auctoritateque, apud *Portam*, iniquissimus homo, polleret, ob suppressam feliciter, seditionem Asiaticam; & facile fuerit, sanguino-

Ismaelis
praefecti in-
doles, in-
uicem Chri-
stianam:

pacem sus-
flaminat:

quibus visu
ustramentis:

Tom. III.

Z z

len-

e.) Labores, eius pacificationis causa, | Lib. II. p. 105, seq.
perlatos, vide apud *WAGNERVM*, | f.) Loco eodem, p. 109, seq.

prauitas Il.
maelis re-
liqua.

lentam gentem, a pacis, ad noui belli studia, transducere. Adeo Budenses praefecti, & cum gladium vagina continebant, iniquissima consiliorum malignitate, res Christianas scruerunt pessundare. Neque, intra hos malitiae fines, *Ismaelis* prauitas sublitit. qua se, vel per nebulam dabat occasio, perrexit nostris esse perniciosus. Adparuit hoc, cum alias semper, tum in primis, anno MDCLXIII. Annus is fuit, post rescissas, pacis iam constitutae, leges, *Vyarino* exitialis. Huc, dum proficisceretur, cum exercitu, *Vezius*, pacis arbiter *Goesius*, in custodiam datus est, *Buda*que, ubi nec quidquam recoquebantur de pace consultationes, relictus fuit, angusto & humili tecto intrusus. qui, quod indignius, quam pro sui principis, & legati dignitate, haberetur, amplius diuersorium, & ad habitandum commodius, animosa confidentia, requisit. Has eius, siue monitiones, siue preces dixeris, ita accepit *Ismael*, vt nihil dubitaret, interminari (g.): Si minus, id hospitium adideret, altam sibi profundamque turrim esse, qua cum familia ipsum expectaret. Hunc ferociae tenorem, adeo non deseruit *Ismael*, vt nouis subinde maleuolentiae, in Christianos, significationibus, cumularit. In expugnando certe *Vyarino*, praecipuae, post *Vezius*, eius partes fuere. quod illic dicemus.

S. LXI.

Pax cum
Turcis no-
uam Buda
securitatem
parit.

Annus successit, post millesimum sexcentimum, sexagesimus quartus, vt gemina de hoste victoria, ad *Leuam* altera, altera ad *S. Gothardum* insignis; ita, subita pace nobilitatus. Tunc vero iterum, noua *Buda* parta securitas fuit, nimirum, vt praeter captum, anno superiore *Vyarinum*, & detentum hucusque *Strigomium*, *Buda* quoque metropolis olim, nouerca iam Hungariae, faces porro, depascendae, quae superabat regioni, admoueret. Constituta, quam diximus, pace, *Waltherus*, S. R. I. Comes de *Leslie*, orator *Byzantium* missus, magna, ac insolenti, humanitate, a barbaris, acceptus *Buda* est. Seruauit nobis rei gestae memoriam, *PAVLLVS TAFFERNERVS* (h.) S. I. itineris comes, & oratori a facris. quam heic excerptam dabimus, vt constet, quam sit *Turcis* versatile ingenium, & cum ad crudelitatem prouum, tum etiam procliue ad elegantiam, si ita poscat occasio. *Vaczia*, inquit, ad *leuam* dimissa, nona matutina veterem *Budam*, a meridie vero nouam, regiam quondam *Corona Hungariae*, legatio tenuit. Ibi, inductus in tentoria regia orator, in hunc usum sumtuose adparata, per *Kihajam*, aule *Proto-Vezirii* praefectum. In hoc homine, virum, ab humanitate & officio, dignissimum reperit. Adfuere subinde primarii gentis, salutandi gratia, & firmatam, ad obsequia voluntatem, ab urbis (i.) commen-

g.) Inibi p. 124.

h.) In libello, cui titulus: CAESARIA LEGATIO, Part. I. p. 15, seq.

i.) *Ismaelem*, truculentum alias hominem fuisse, satis patet.

dante, *Vezius*, adportabant. Stabant, secundum litus *Esphiorum*, *Lantiscbarorum*que non pauciores, quinque millibus, instructi armis, de more, dissimilibus, at splendidis, iidemque, passibus propemodum viginti, a tentorio legati, praeteribant, deducturi ad mania: mixtum interea carmen, consonantibus tympanis, cymbalis, aliisque militis & plausui instrumentis, apud barbaros, decretis. Interea, tantus irruit tormentorum fragor ab urbe, & arce, vt credi posset, non amicum, sed hostem, in pomoeria irrupisse. Ante delectum militia, seu praetorianam cohortem, morio, claua immuni armatus, *orsina*, in totum, contactus pelle, choragum agebat, *Turcico* idiomate, omnipotenti laudes, excellentissimo vero hospiti, suoque *Sultano*, *sausta* & *prospera* quaque, adprecabatur. Iste, primi diei, & sub ipsum legati aduentum, officii significationes fuere. Pergit *TAFFERNERVS*. Diem insequentem, quies absumpsit. Humanitate certare, & reciproca beneuolentia, ab omni parte tentatum est. Pro nouellis frugibus, ac floribus (ineunte haec *Iunio* siebant) ex aula *Vezius* submissis, *dulcioria* *Genuesium*, pretio & raritate, plurimum a *Turcis* commendata, orator reposuit. Inuitati ad *thermas*, toto orbe laudatissimas, plerique nobilium, seu voluptatis, seu memorie causa, tepentes has *Budensium* delicias experiri voluerunt. Non tamen aequae omnibus profuit curiositas. Vnus certe, *podagricis* adfectus passionibus, immitem in se aquarum mineralium astum persensit: quippe, eo calore, sic humores accendit, vt pedum manuumque usu e vestigio destitutus, *Belgradum* usque, lecto adfigi haberet necesse. Insalubris omnino est, saluberrimus ex se latex *podagricis*, dum exacerbari incipit: tunc enim, ultra modum exandescit *paroxysmus*, diffunditque se per eas etiam partes, quae ante fuere intemeratae. Id quod ex medicorum sententia, ideo monemus, vt abstergamus a *thermis* *Budensibus*, insalubritatis conuitium. Sed, audiamus porro *TAFFERNERVM*, pompam, qua urbem subiit orator, describentem: *Tertia* *Iunii*, eo, quo *Viennae* superbierat, adparatu, *Buda* quoque, in *Vezius* conspectum venit legatio; si labara demas, & carpenta, supremo actui destinata. Selectissimorum equorum sexaginta, submisit prorex *Turcicus*, quorum subsidio, bini & bini, cliuum, & in cliuo urbem subiere hospites; tot undique spectatores nacti, quot patens circum regio, plane incolas ferre videretur. Aula area, exiguae capacitatis est; vix omnes ceperat, qui subibant: gradus in ascensum lacos, sed ligneos exhibet, conformes reliqua nunc aedificii structura. Prospectus huic, ad urbis forum vix nullus; ad *Danubium* vero, & late effusum orientem, ac *Pestum* ex aduerso situm, nobilissimus, ac dignus, tam famosa regia. Oratori *Caesareo*, sedile *holoserico* instratum patuit, ex quo familiare, ac succinctum illi, per interpretem, cum *Vezius*, colloquium fuit. Sub initium sermonis, porrecta in *argentea* *phiale*, *Augusti* *CAESARIS*, & *Principis* *Wenceslai* de *Lobkovicz*, aule imperatoriae praefecti, epistola. Exinde nomina, prima, qua cum Oratore aderat, nobilitatis, singillatim recitata: singulis postea, paludamentum diuisa: & in ceteros, panni volumina quadraginta distributa. Vbi fi-

therma Bu-
densis,
quando sint
insalubres
podagricis

subit ur-
bem Les-
zeus

orator
Caesarei,
cum praef-
cto Buden-
si, colloqui-
um

nierat salutatio, reditum ad suburbana tentoria, ea pompa & adparatu, quibus urbem, & aulam, ante fuerunt ingressi. Atque, hæc quidem, audientia, & ratio fuit, & pompa, quæ singula, adulto ritu obibantur. Turcarum demum nobilissimos, indulgente urbis præfecto, prandio, accepit adparatissimo, legatus. Suspiciebant illi suppellectilis, apud oratorem, aureæ argenteæque pompam; vestium, metallo & gemmis, distinctarum multiplicem adparatum; symphonicos, qua voce, qua plectris, ad amœnitatem conspirantes; dignam denique Christiano heroe, & imperatorio feciali magnificentiam, dilaudabant. Intererant tamen, haud pauci, qui hæc omnia, liuidis, & pro gentis more, cupidis etiam oculis, contuerentur. Alii, nostrorum urbanitate, & gratia capti, paria humanitatis officia, seu reddere, seu simulare, nitebantur: dum pridie Nonas Iunii, Theophoriz festo, quantum eius licuit, concelebrato, Buda classis soluit, quatuordecim dierum navigatione, Belgradum deferenda. De his hæc tenus.

S. LXII.

EXacta legatione, & confectis, quæ eius intererant, negotiis, Budam iterum, felix non minus, quam incolumis anno MDCLXVI. rediit *Leslæus*. Nihil adinet, id, quod ei, redimendorum captiuorum causa, cum huiusmodi purpurato, rei intercessit, memorare: urbis, & arcis habitum, qualem tunc spectare reduces Christiani, ex TAPFERNERO (*k.*) adscripsisse iuuat. Interea, (dum de redimendis captiuis agebatur) reliquis, de comitatu, per otium circumspicere regionem, & urbem, licuit. Fuisse hanc, regali solito illustrem, multa passim, regiz magnificentiz, ab ipsis quoque parietinis ac rudicibus, monumenta tellantur. Magis autem nunc, eiusdem desolationem, & ruinas desleret, si superstes viueret *Ioannes Vajuda*: quam cum vacuum, a caeso *Lvdovico* olim ingressus, ingemuit. Minus eam pro celeberrima, ac pulcherrima urbium dilaudaret nunc *Solymanus*; si redux ab inferis, per suorum immanitatem, etiam in saxa, & parietes desuientem, atque ideo degenerem a maiestate pristina, inspiceret. Urbis reliquias ingredientibus, sepulchrale marmor, rubrum & elegans occurrit, inscriptum: *Fr. Martino Strigoniensi Archiepiscopo*, defuncto sub annum millesimum, trecentessimum, octogesimum tertium; num aliquando eiectum ciuitate, num templo, quod illic forte steterat, insitum, nemo diuinauerit. Intra fauces portæ, quæ Viennensis dicitur, immania duo tormenta ænea, trunco incubant. Ad forum parte vtraque deducunt confertæ domus, ex ætate, quam præ se ferunt, ac proportione, elegantes quondam: sed ruinosa nunc, & lateribus, ac tecto hiantes: pro vitreis, ad inferendum domo lumen, repagulis, charta sufficitur, atque in huius

k.) Laudati Libelli Parte IV. p. 173.

supplementum; frequentius stramen venit. Urbi mediæ S. Georgii sacra ædes in *Moscheam* verla infidet; ex parte in armamentarium translata. Porticus e lapide cultissimo martyrem præfert, sed capite ferociter diminutum: nec draconi subiecto, stulta scuitics percit; nisi malis dicere, in vindictam immanitatis exercitæ, in effigiem martyris profuuisse illud in caput noxium sceleratissimi iconoclastæ; aut istud ab eodem assumptum prius, vt licentia magis irrationabili, in sacram iconem postea baccharetur. In arcem digressis, vtrinque ambitu elegantissimo complexa regia, & nitidissimi theatrum marmoris albicantibus venulis inspersum, ac columellis suffultum, patet. Bases, & coronidem ornant leones efficti, tigridesque; sed & arte, & numero, vbique potiores corui, stirpis *Coruinæ* gentilitia, ac *Beatricis* *Neapolitanæ* monumenta. Conclaueregium, etiamnum extat pari ingenio, & arte adornatum, nisi quod segmenta passim subtracta, atque imminens sine tabulato impluuium, squalentesque circum vastitates, decorem pertinaciter superstitem, retundant. Ab arcæ descensus, in extimo muro arcuatus ad thermas regias, & submœnianum hortum, deducit. Hypogæa, penuria, ac viuarum; vti & reliquam conclauium ruinam, penetrare non licuit: Nihil isthic, præter telas araneas, & deformatam exitio pulchritudinem, quod inspiceretur, superest. Regia, pro diuinis officis ædificata, in sordidi *Mahometis* antrum cessit. *Danubium* ea pars aulæ, & urbem subiectam spectat. In atrio regiz, concha aquaria incumbens candido marmore non tam illi insisit, quam casum spectans inclinat. Circuitus, seu labium conchæ, per gyrum, infusa Austriacarum Prouinciarum insignia representat. Raptam haud dubie aliquando hæc fuerit e suburbano quopiam, non alieni nominis palatio: nunc exilium suum inclinato vertice designat, & exhaustis, cum aqua, lacrymis, sortem, quam vel sic deslere non potest, casu propinquo deslet. Extra arcem, atque eius fossam, amplissima area septentrionem versus procurrit. Triginta ibi aliquot maiores machinæ bellicæ numerantur, omnes, si loqui possent, reddi se dominis, quibus inscriptæ leguntur, postulaturæ. Ad meridiem, carcer subterraneus visitur, aptior immanibus belluis, quam, quibus interdum scater, captiuis fidelibus colligendis. Cohortatione ad constantiam Christianamque patientiam, crecti infelices, & liberali stipe recreati sunt. Diutius, impendendo solatio insistentes hospites, maturare, abrumpere, accelerare reditum apparitores, qui aderant, iussere: ipsi captiui, ne productius colloquium in verbera & grauiora vincula sibi redundaret, gressum promouere, modo prius bene precarentur, qua venerant, rogauerunt. *Coruini* quoque Bibliothecam inuisere desiderantibus, prorex annuit. Huius gloria, in millibus voluminum, & præstantissimorum Ecclesiæ Orientalis authorum copia, ac delectu, ab altero nondum elapso sæculo, constabat. Certabat cum orbis Christiani,

Turcarum nobilissimos, prandio adparatissimo accipis *Leslæus*.

Redux a legatione, Budam iterum rediit *Leslæus*.

urbis, sub idem tempus, habitus: *Taf. ferneri* oratione describitur.